


Inter Asceticos Latinos in 8vo reperitur.

INSTRVCTIO SACERDOTVM,

EX SS. PATRIBVS,

ET

ECCLESIÆ DOCTORIBVS, CONCINNATA.

Auctore R.P.F. ANTONIO de MOLINA, Monacho Carthusiensi.

Quam, post septimam in Hispanijs impressionem, Latinitate donauit

R.P. F. NICOLAVS IANSSENIVS BOY, Ordinis Prædicatorum.



Edita bis in Belgio;


Nunc verò primùm CRACOVIÆ,

In Officinâ Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr.

Anno Domini, M. DC. XLIII.

In Stemma Ill^mæ Domûs

GEMBICIANÆ.



Cernis non Aquilas, Tygrides, aut Stemma superbum,
    Fascia sed mollis voluitur orbe suo.
Pastorem decet hæc: Ouium quâ vulnera cingat,
    Stemma tuum, PRÆSVL, Præsulis omen habet.

Ill

D. PE

Dei

EPIS

DV

Domi



penderem

tis articu

iudicium

dotali fun

Illmo ac R^mo Domino,

D. PETRO GEMBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CRAC. DVCI SEVERIÆ.

Domino, & Patrono meo Colendissimo.



Vm perplures annos indignum Sacerdotem agens, iamq́; ad decrepitam fermè ætatem vergens, perpenderem mecum vicinum meæ mortis articulum, ac propè instans Dei iudicium & examen de meâ Sacerdotali functione; cogitaui, ILLVSTRIS-

SIMAE PRAESVL, *vel in ipsâ postremâ vitæ meæ periodo, præteritos in munere Sacerdotali errores corrigere. & satius iudicaui, serò, quàm nunquam discere munus probi Sacerdotis ne forte sors mea sit inter* filios Heli filios Belial, nescientes Dominum neque officium Sacerdotum. *1. Reg. 2. Sera quidem ætas, fateor, ad discendum:* At honestius est Maiori, *quemadmodum ait Ven: Petrus Damiani (l. 2. Epist. 14.)* vt quæ nescit addiscat; quàm superbè, quæ recta sunt ignoret. *Et vel prophanum Poëtam ad quem ipsos quoq; senes remittit S. Hieronymus* (in Apologia contra Ruffinum) *commonentem audire:*

Cur nescire pudens prauè, quàm discere malo?

In eo dum versor proposito, meq; iam discipulum paro, quo ad Angelicum

Sacer-

Sacerdotis munus ritè obeundum, erudiar; incidi, Deo disponente, in hunc Carthusiani Libellum, inscriptum, INSTRVCTIO SACERDOTVM, *vel ipso titulo præfixo, meo opportunissimum intento. Quem vbi pro Magistro meæ Artis assumpsi, & reuoluere cœpi; vix effari valeam, quantum in eo voluptatis, & simul vtilitatis, reperi. Quantumq́ dolui, quòd tardè; tantum gauisus fui, quòd saltem aliquando in manus meas preciosus hic Libellus venerit. Nec piaculo vacare arbitrabar, si tantum boni intra proprium sinum duntaxat continerem, nisi etiam pro meo tenui modulo, cæteris Sacerdotibus communicarem, qualemcunq́ operam meam ad hoc conferendo, vt hîc in nostris partibus imprimeretur, quatenùs com-*

modiùs à pluribus Sacerdotibus poßit acquiri, & magno cum ipsorum fructu, & profectu, legi.

Tantillum id obsequij mei in Ecclesiam, & hanc præsertim Diœcesim, non alteri, quàm Tibi ILLVSTRISSIME PRAESVL, *deuouendum erat, quem mihi semper addictißimum, cui me semper adstrictißimum agnosco, & insuper recenti munifico liberalitatis argumento, deuinctum experior. Vrget & alia non minùs prægnans ratio, quòd Opus hoc, licet non proprium, Tuo Nomini dicandum censuerim: Gratulor quippe nobis, nostræq; Ecclesiæ quod Te tantum* PRAESVLEM *nacti sumus, qui pio Zelo, & Pastorali sollicitudine, bonum Ecclesiasticum amplissimæ Tuæ Diœcesis, strenuè promo-*

ues:

ues: nec in postremas partes Officij Episcopalis reijcis curam Spiritualis profectus Cleri, è cuius sanctitate, totum in plebem redundat bonum. Quapropter non ingratum Tibi fore existimo, Optime ANTISTES, quidquid in hunc finem opportunum aliquis attulerit. Porrò persuasum habeo, rem è voto Tibi magnâ ex parte cessuram, si hunc Libellum, Probum Sacerdotem optimè efformantem, à cunctis Tuæ Diœcesis Sacerdotibus, tenendum mandaueris, & frequentissimè legendum commendaueris. Ne dedigneris, ILLVSTRISSIME PRAESVL, me in partem amplissimi meriti Tui admittere, quem inuariabili semper affectu complexus es. Clementissimum Deum exoro, Te

Eccle-

Ecclesiæ , Regno , mihi , Tuisq;
quàm diutißimè sospitem conseruet
Datum Crac. Idib. Septembr. Ann
Reparatæ Salutis, 1643.

Ill^{mæ} ac Rńd^{mæ} Celsit^{nis} Vestræ,

humilis Exorator,

Lucas Dabski, Canonicus
Cracouiensis.



PROLOGVS AVCTORIS.

INter cæteras calamitates, quæ ætatem hanc miserandum in modum afficiunt, nõ minima est, fortè maxima, esse abusum, licentiam, confusionem in munere Sacerdotali. Etenim tam humilis æstimatur hæc dignitas, quæ in Ecclesiastica Hierarchia verè princeps; vt sine cruciatu dici nec cogitari possit. Non loquor de honore, quem Sacerdotibus deferre laici tenentur (in quo vehementer deficiunt:) id tantùm deploro, Sacerdotes à seipsis vilipendi, qui vocationem suam amplissimam nesciant, ignorent in hanc inclusam excellentiam, coniunctamq; religionem vitæ sanctioris, non meminerint rationis exigendæ, neque eorum, quæ scire ipsos necessarium est. Quæ lues adeò inualuit, vt miserationem excitet crassissima ignorantia, & torpor asserendæ salutis. Nam ex toto numero Sacerdotum, qui grandis est, paucos reperias, qui rationem aliquam reddere possint, multos qui intelligant nihil esse hoc fungi officio, quàm à laicis veste distingui, & Horas cursim recitare. Ex quo fit, vt æquè de quâuis arte mechanicâ, & de Sacerdotio, existimetur. Nempe in status delectu cum Sacerdote mercator patroni, Medici, & similes, pro arbitrio,

bitrio comparantur : ac porrò diſcutitur, quis horum faciliùs ea quærat, quibus viuere tranquillus poſſit. Quod verò peius, & ex hoc ſequitur, vt qui hoc pacto ſeſe ad hunc ſtatum applicant, poſt & fungantur eo tepore quo elegerunt, adeòque nihil pænè diſtet eorum vita à ſecularium, vt hodie experientia conſtat ſatis. Etenim omiſſis quibuſdam, quæ magis eſſentialia, & quæ minùs dici poſſunt, dicemus id, quod commune eſt, inq; omnium oculis verſatur. ſcilicet, quòd ex ignorantiâ, ſeu conſideratione, quam diximus, munus ſuum complures exerceant, quoad externum cultum. ſine vllâ pænè reuerentiâ, ac religione. Videmus enim celebrari ſacratiſſima myſteria tam modicâ grauitate, & decoro, ſine modo, cærimonia, pronuntiatione, vt eum, qui id intueatur penitùs ex affectu, dolore concuti neceſſe ſit. Certum quippe eſt, ſi Gentilem myſtam videremus litantem idolis, eâ celeritate & leuitate, dicam, qua pluresChriſtiani Sacerdotes offerunt Deo æterno Vnigenitum crucifixum, quibus non ſannis iociſque exciperemus? Et quod lacrymas meretur, ſi nota ipſis eſſent ſancta, quæ in Miſſa tam abiectè tractamus, numquid certò nobis illuderent & ipſi? Quocirca, ſi animi rectâ affectione trutinemus, clarum erit,

non

non esse opificem in Republicâ, quin munus suum, quantumuis humile, existimet magis, meliusque & ad amussim sciat exercere, quàm Sacerdotes vix suam æstimantes dignitatem, diuina exequuntur. Quod ita cùm sit, imò plus quàm hîc dicitur, aut dici potest; non temerè quispiam iudicabit, vnam esse hanc calamitatem in maximis, plurium causam, aut cunctarum. Nam cùm summo Deus beneficio homines affecerit, dando SS. Sacramentum, & obstrinxerit sibi Sacerdotes maximis meritis, eos legendo in amplissimam dignitatem; grauiter & molestè fert sceleratos, qui ob delatum honorem debuissent seruire enixiùs: multoq; magis vt Sacerdotes noxios odit, id est, quòd in ministerij deficiant seruitute. Hinc meum semper fuit iudicium rem esse præclaram, dignam animo illius, qui ardet honorem Dei, Christianamq; Rempub. asserere, conniti, vt, quatenus in se erit, medicinã admoueat tanto malo. Etenim iam abhinc multis annis in voto habui, vt quispiam ingenio valens, & sanctitate huic sese accingeret, quò grassata dudũ lues aliquando tolleretur. Quòd verò id ipse facerem, præsumere nunquam volui: cùm quòd scirem (Deo laus) meam infirmitatem ad rem maximè arduam, tum etiam vt his, quæ ad Mo-

nachi professionem spectarent, peruicaciùs inhærerem: mihi scilicet solitario incumbit orare, & silere, studiosis & Magistris docere, quæ ad salutem. Sed, cùm vult, Suprema illa Mens quædam excipit à communi cursu, & vtitur ad alia instrumentis, quæ placent. Ita factum in scriptione huius Libri, ad quam fateor vim quandam animo meo impressam esse, violentiam quandam internam, cui resistere nec sciui, nec potui. Hæc ipsa impulit me ad scribendum, quæ non capiebam, & ad quæ opus erat maiore scientiâ, eruditione, & spiritu. Quocirca ex hoc, alijsque adiunctis, quæ concurrerunt, neque hîc sunt referenda, mihi adeò persuasum est, fuisse Dei voluntatem, vt hæc scriberem, vt fieri non posset vnquam me non ita credere. Quod cùm affixum animo esset, opinatus sum constanter, voluisse sic Deum, vt auctor tam infirmus, tamque humilis, redderetur securus; & si quid scriptum foret bonum, atque vtile, adscriberetur Auctori principali, & ei daretur gloria, à quo omne bonum procedit.

Non me latet esse hoc æuum tam ferax Librorum, qui scripti sunt, & quotidie scribuntur à viris doctissimis, pleni eruditione & scientiâ, in omni genere facultatis, in omni materia, vt videri queat superfluum, quod

quòd vltrà ſcribitur. Sed hanc abundantiam Librorum nunquam mihi viſum eſt, (vt quibuſdam ineptè) vertendam eſſe vitio huius ætatis, quin imò, felicitatem æſtimandam, bonamque ſortem noſtri æui, quod, inter cætera quæ affligunt, in hoc à Deo ditatur, vt videat, & miretur viros ſapientes, qui ſcripſerint ad miraculum, docta & erudita, quæ magno fructui ſint Eccleſiæ. Proinde iudico non eſſe rationem iuſtam, qua auocentur à ſcriptione hi, quibus datum eſt id poſſe ad Eccleſiam adſtruendam, & fideles ad virtutem excitandos. quantumcunque enim ſcribitur, reliquum ſemper eſt, quod ſcribatur. neque falſum erit vnquam, quod per Salomonem Spiritus Sanctus propalauit: *Faciendi plures Libros, nullus eſt finis.* Neque limitem eſſe conuenit, quòd ſaliua multorum ſit tam varia, qui indigent varietate doctrinæ: hi enim de hac guſtant, illi de aliâ. Denique ob huius abundantiam, annus infelix vocari non debet, ſed fertilis, & beatus. maximè verò, cùm iſtius materiæ, quam tractamus, ſumma ſit penuria; quamuis non valeret iſta, hæc excuſatio haberet locum.

Quòd ſi cuipiam videatur, hanc doctrinam non eſſe tam neceſſariam, prout hîc ſignificamus: cùm Eccleſiæ Doctores mul-

ta & præclara ſcripſerint, quæ ad inſtruendos Sacerdotes queant ſufficere. Huic reſpondeo ita eſſe: & ſi Sanctorum documenta Sacerdotes traderent memoriæ, ac attentè ruminarent, ſufficiente doctrinâ potirentur. At certiſſimum eſt, paucos eſſe, qui, quid dicant illi, nouerunt. Hoc enim Sapientes ſolent inquirere, qui ſtudijs applicârunt omnem curam. Neque hi omnes, ſed ij tantùm, qui SS. Patrum verſant ſcripta, inq; illis aſſidui ſunt. At licet in hoc omnes incumberent; quæ Sancti ſcribunt, hinc inde iacent ſparſa, varijs in libris, & diuerſo ſæpè inſtituto: hîc vna ſententia, alia illic: vnde omnibus Sacerdotibus ſufficiens nequit eſſe inſtructio. Quocirca is, qui in hoc tantùm ſudaſſet, vt quæ ſparſa erant circa hanc materiam, colligeret in vnum corpus, vberem meſſem in Eccleſia omnibus Sacerdotibus offerret. Nimirum daretur iunctim, quod hinc inde magno ſtudio eſſet conquirendum. Et verò fateor hoc fuiſſe mei conſilij. primùm enim ſatagebam, vt hæc doctrina tota eſſet Sanctorum. Deinde viſum fuit fore ſatius, (vt meliore guſtu ac fructu legeretur) ſi formam quandam poneremus doctrinæ redactam in ordinem, cum ſuâ declaratione. quod proinde à me factum.

Adeò

Adeò vt, cùm multos sibi videam plaudere, quòd in suis scriptis nihil aliunde sint furati; contrà glorier nihil hîc contineri meum, sed esse ex alienis monumentis excerpta, esse doctrinam Sanctorum, & quam grauissimi Auctores tradiderunt. Furtum non est, quia esse nequit, quod habetur pro alieno, vt hîc: cuilibet enim suus auctor adscribitur, & ex quo fonte, declaratur. Porrò, quæ videri possent à me dicta, aut excogitata, aliunde deduxi. adeòque sæpiùs aut semper allegari possent auctores, ex quibus, quæ dico, desumuntur. (nec enim ex hâc scriptione honorem mihi aucupor, seu famam auræ popularis, quæ non mihi, sed alijs debetur:) omissum verò id est, ne nimiùm videremur prolixi; neuè eius, quod dicitur, obscurior esset intellectus, filum sententiarum abrumperetur, Lectori denique offunderetur confusio. præsertim in hoc Libro, qui non est ad iactantiam & curiositatem, sed ad fructum. vnde sufficit dicere, omnia deducta esse ex auctoribus, magnâ fide, & æstimatione. Quapropter in huius compositione Libri, de me, velut altera Ruth existimo, de qua narrat Sacra historia, *(Ruth 2.)* cùm pauper esset, nulla hæreditate aut censu, ad diuitis cuiusdam agrum sese contulit, *sequens messorum vestigia,*

gia, & spicas colligens, quæ excidebant manipulis, quo scilicet labore penuriam arceret. Idem ipse conatus sum, qui conscius meæ egestatis, subiui campum fertilissimũ Sacrarum Literarum, atque ibi sequens vestigia SS. Patrum (qui sunt primi messores, qui tam copiosos manipulos, tamque abundantem messem coëgerunt, vt per eam hodieque alatur S. Ecclesia, ac pascatur spirituali doctrinæ cibo) spicas nonnullas collegi, ad componendos hos septem Tractatus, velut septem fasciculos, quos Deo offero, eius instar quod præcepit in Lege, vt de fructuum primitijs, quilibet aliquot spicarum manipulos penderet. Quæ mea oblatio si Deo grata fuerit, acceptaque, affatim operæ pretium tuli.

Duo hic notanda: vnum, in quo docti nonnulli religione quadam ducti sunt, cùm ea, quæ scripsi, priusquam subijcerentur prælo, examinarent. Hi, sicut alij fortè, existimabant de primo, & secundo Tractatu, esse rigidos valdè, ac strictos, qui tantoperè debitam Sacerdotibus perfectionem, atque sanctimoniam inculcent. volunt enim omnes Angelos, Seraphicos, nec istud quidem sufficere. Enimuerò, cui hoc videtur, hunc obtestor, iudicium suspendat; donec Librum semel euoluerit. fiet enim, opinor, vt per

vt per ea, quæ ſequuntur, quidquid durum nimis, aſperumque, mitigetur. adeò vt iuncta ſimul omnia, optimam faciant harmoniam. Porrò ſi & tunc perſtet opinio concepta, moneo, expendant iudices huiuſmodi, num id, quod à me allatum eſt, meum, ſit, mei cerebri, & non Sanctorum. Quòd ſi hoc (vt verè eſt) & ſint Doctorum ſententiæ; perſuadeant ſibi, hanc eſſe doctrinam ſanam, & fixam, quamuis videatur difficilis. nempe difficilia ſunt, quæ pulcra, quæ excellentia. Adhæc meminerint Philoſophi docentis, in quâlibet rerum claſſe vnam eſſe perfectiſſimam, eamque normam cæterarum. vnde & Cicero maximè conatus eſt depingere Oratorem perfectum, vt hic reliquis eſſet exemplo, & ad hunc illi ſe totos conformarent. Ita etiam meritò factum, vt deſcriberetur Sacerdos perfectus, quem omnes ſtuderent imitari, & eſſe. Etenim vt in gradum ſummum nunquam pertingant, non tamen idcirco diffidendum, quin, quoad poterunt, adſpirare conentur ad maximam illam perfectionem. Sanè conſulentem audiant Poëtam:

Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec, quia deſperes inuicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere podagra.

Alterum moneo: stilum effinxi planum, grauem, rebus, quæ tractantur, consentaneum. vnicè enim fugio dictionem immodicis figuris, verborumque insolentiâ assurgentem. Nec eam solùm, quæ doctis omnibus improbatur, sed etiam, quæcunq; arte constat, summâq; elegantiâ, mihi non tantùm nihil adferre videtur, verùm in rebus Spiritualibus & serijs, impedire fructum. in his enim nulla ostentatio, nulla curiositas prætenditur. nihil quod delectet auditum. multa quæ animis ferant salutem. Ita è Patribus non pauci studiosè in rebus Spiritualibus discesserunt à lenocinijs verborum, stilum planum secuti, & ferè communem. talis est S. Augustini in Sermonibus, & in materia morali. Cùm verò is eloquentia instructissimus, magnus Orator, Rhetoricam Romæ, ac Mediolani, professus, in illis humiliter serpat, credendum est factum ex instituto. Si autem dicor hîc coniectare, non id facio in operibus S. Gregorij: nempe fatetur hoc ipsum de se. quod patet in Prologo Moralium. *Ipsam*, inquit *artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, seruare despexi. Nam sicut huius quoque Epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem deuito, situs motusq; præpositionum, casusq; seruare contemno,*

temno, quia indignum vehementer exiſtimo, vt verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati. Idem ferè S. Ambroſius ſuper Lucam. Et S. Hieronymus, cùm foret ex natura diſertus, ait: *Multum laboraui in deprimendo ſtilo.* idipſum in pluribus Sanctis eſt reperire. Mihi iſtud nullo conſtitit labore, quia eloquens non ſum. at fateor, vt eſſem, ſtilum deprimerem, me his conformans, qui vulgari dictione vtuntur. Hoc enim mihi vnicè in votis, vt Lector plus attendat ad ſubſtantiam fructumque ſententiarum, quàm ad verborum fucum, ſeu compoſitionem.

Denique, ex vero affirmare poſſum, ex quo me applicui ad ſcribendum, conatus ſum illud dicere, quod maximo eſſet commodo Sacerdotibus, quod excitare poſſet ad dignam muneris functionem. atque in hoc oculos defixi, nihil præterea contemplatus. Ad quem finem nullis ſuccubui laboribus, quin ea adferrentur, quibus facilè quis iſto potiretur. Euenit porrò vt ſic creſceret liber plus quàm vellem, quem optaui, paruus eſſet, & ſinu geſtabilis. viſum tamen fuit minùs incommodum, ſi creſceret, quàm ſi omitteretur aliquid, quod ad rem deſeruiret.

Decet ſanè, vt animum hunc, quo ſcripſi, benignè adſpiciant Sacerdotes, & ita legant,

legant, tam candidè, tam sincerè, quo animo conscripta sunt. Quod si fiat, spondeo fore, vt nullus pœnitentiâ ducatur. Quatenus verò in me, exopto, quotquot sunt Sacerdotes, legant: &, si fieri posset, gratis offerrem, solâ conditione vt legerent. Magnam enim & vberem spem subijcit mihi animus, futurum, vt quicunque legerint, proficiant. Non quòd arroganter præsumam in hâc scriptione tantam esse efficaciam, sed quia spero mittendum à Deo Spiritum, dum hæc legentur attentiùs, qui fructum operetur. Cùm enim mihi persuadeam (nec sine fundamento & probabilitate) vt hæc scriberentur, fluxisse è mente diuinâ; etiam illi incumbit, (vt finis consequatur, ad quem scripta sunt) vim illis addere, atque virtutem. Quod certius erit, quo maiores sunt defectus in opere culpâ auctoris humani. Si porrò iste finis sequatur, operæ pretium factum est. sin minùs; & hoc erit, cùm receperit voluntatem Deus, qua scripsi. cui placuisse pretium est immane laborum, & cui placere scribendo studui.

Ad maiorem eius gloriam.

Amen.



ARGVMENTVM TOTIVS LIBRI.

INtentum principale est, instruere Sacerdotes, iisq; ostendere religionem, qua tenentur, ratione status ac muneris, modum denique præscribere, quo se omni debito soluant.

Ad hoc fundamentum est, cognoscere excellentiam & magnitudinem Sacerdotij, beneficia, fauorem, quem Deus exhibet Sacerdotibus, rationem strictissimam, quæ super istis exigetur. De quibus omnibus sermo est in primo Tractatu.

Quia verò non sufficit generatim scire obligationes, nisi distinctè & singulæ cognoscantur; hinc Tractatu secundo ostenditur sanctitas & perfectio, qua pollere debent Sacerdotes ratione muneris, & quantum in virtute decet, excellant seculares, singulatim commendantur non nullæ virtutes ipsis magis propriæ, nimirum Oratio, Castitas, Paupertas Euangelica, Moderamen denique, quo in Ecclesiasticorum censuum distractione vtendum.

Quia verò primarium munus Sacerdotis est Missam dicere, Horas recitare; tractatur tertiò de S. Missæ sacrificio, eiusq; excellentia, & quâ grauitate, quo decoro ipsum deceat celebrare. deniquè, quâ attentione & spiritu recitandum sit Officium diuinum.

Post

Post hæc maximè refert scire, quâ præparatione opus sit ad dignè & reuerenter celebrandum. de quo in sequentibus sermo continuus. Primò in genere Tractatu quarto, posteà particulariter duobus sequentibus. Præparatio enim ad duas partes principales reducitur, & sunt puritas conscientiæ, & consideratio eius, quod agitur.

Proinde Tractatu quinto disseritur de Sacramento Pœnitentiæ: quomodo id ritè frequentandum. vbi sanè medium traditur conscientiæ expurgandæ. Sextò autem, de consideratione debitâ ad dignè celebrandum. vbi habes varia exercitia & meditationes, ante & post Missam.

Postremò, ne fortè ex primis Tractatibus, nonnulli Sacerdotes metu & pusillanimitate quadam corripiantur, qua abstineant interdum à Missa celebranda; Tractatu septimo declaratur, quàm diligenter frequentandum sit SS. Sacramentum. vbi adducitur egregia doctrina Sanctorum, circa hanc materiam, tam pro Sacerdotibus, quàm laicis, & totum Ad maiorem Dei gloriam.



APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

HÆc *Inſtructio Sacerdotum*, per R. P. F. Antonium de Molina, Carthuſianum, primùm Hiſpanico ſermone edita, nunc verò Latinè reddita per R. P. F. Nicolaum Ianſſenium Boy, Ordinis Prædicat. admodum pia eſt, & propter varia propoſito Argumento connexa, videlicet de Sacerdotum miniſterio, conuerſatione, & exemplo, ſummam commendationem meretur. digna quæ excudatur, ac diuulgetur. Ita cēſeo

I. Bejerlinck Archipresbyter, & Canonicus Eccleſ: Cathedralis Antuerp. ac Librorum Cenſor.

EDITIONIS LATINÆ LICENTIA.

VT Sacerdotes Domini induantur iuſtitiam, & Sancti Dei in Eccleſia exultent, vtiliter hæc *Inſtructio*, in Latinum idioma translata, per R. P. F. Nicolaum Ianſſen: Boy, Ord: noſtri Prædicatorum, Conuentus Antuerp: imprimetur. Datum Antuerpiæ 11. Martij, Anno 1618.

Fr. Michaël Ophouius, S. T. Doctor, & Prior FF. Prædicatorum, ac Vicarius Prouincialis per Brabantiam, Hollandiam, &c.

Approbatio.

Iacobvs Vstiensis, S. Theol. & I. V. Doctor, nec non per Diœcesim Cracouien: Librorum Censor, *Instructionem Sacerdotum*, ex SS. Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus, Authore R. P. F. Antonio de Molina, Monacho Carthusien: perquam vtilem, & necessariam Spiritualibus, antea iam toties excusam, etiam hic typis recudi, concedit facultatem.

TRACTATVS I.

DE EMINENTISSIMA SACERDOTVM DIGNITATE;

Et districtâ ratione, quam sunt reddituri.

CAPVT I.

Nunquam gentem adeò barbaram exstitisse, quin Sacerdotes habuerit: & de auctoritate ac honore, quem Gentiles ijs detulerunt.

§. I.

MAGNVM esse, & fuisse nomen ac munus Sacerdotale, clarum est, non tantùm è sacris, verùm etiam omnium gentium literis atque linguis. Hoc vt perspicuè magis intelligatur, sciendum, sicut nihil vnquam certius fuit, atque adeò omnium hominum impressum atque insignitum animis, quàm Deum

Ità probatur à Theologis 1. p. q. 2. a. 1.

 esse

Deum honorandũ esse aliquo cultu norunt omnes ex instinctu naturæ.
2.2.q.85. a.1.

esse (in quo omnes gentes, quantumuis barbaræ, semper conuenerunt) sic nulla natio tam fera, nulla omnium tam fuit immanis, cuius mentem hæc non imbuerit opinio, quosdam in Republica ritus esse necessarios, quibus & debitus Deo cultus exhibeatur, & sacrificiorum oblatio procuretur. Hinc asserit S. Thomas, Deo sacrificium offerre, esse legis naturæ, hominemque sic opinari illâ duce; nulla ratione, nullaque doctrina. Vnde elicere possis, in ipsis mundi cunabulis sacrificiorum natam esse institutionem : quod primùm nobis suo exemplo Cain & Abel, exinde Noë & Abraham, cæterique Patriarchæ, testatum reliquerunt. Nec solùm ij qui fidei lumine illustrati, sed & Gentiles crassis ignorantiæ tenebris circumfusi; qui dæmonum astutiâ & dolo cùm illuderentur, veri Dei potentiam & maiestatem, idolis è lapide, ligno ac metallo, fabricatis adscripserunt: atq; eadem, deorum instar venerati, illis ipsis obtulerunt sacrificia, statueruntq; Mystas ac Sacerdotes, qui singulari hoc munere fungerentur. Quæ dignitas apud quascunq; nationes, inque omni Reipublica, pro amplissimo honoris gradu semper æstimata est.

Vide de hoc Aug. l. 10. de Ciuit. c. 4. &c. Plat. dial. 8. de legi. Arist. l. 7. Polit. & l. 8. Ethic. c. 9. & Cic. lib. de Nat. Deor.

Multis Gentibus Rex & Sacerdos esse debebat.
Plat. l. 16. de regno. Ambr. sermon. 18. in Psal. 118.

Ex hoc, tanquam origine & fonte, promanauit, vt non paucis gentibus, ad regiæ dignitatis splendorem atque auctoritatem confirmandam, consuetudine ac lege cautum fuerit, ne Rex haberetur, qui non esset & Sacerdos; quin imò nemini Regem esse licebat, nisi Sacerdotibus cęteris præmineret religione & sapientiâ .quod vsu tenuisse Ægyptios auctor est Plato. Idcircò, teste S. Ambrosio, inter alias peregrinationes, quas ille suscepit

fui

fuit potissima, qua in Ægyptum delatus est, vt vitæ gestorumque Mosis, & eorum quæ ad Dei legem & Prophetarum doctrinam facerent, certus redderetur. Verba eius sunt: *Plato, eruditionis gratiâ profectus est in Ægyptum, vt Moysi gesta, legis oracula, & Prophetarum dicta cognosceret. Inter alia autem didicit, apud Ægyptios non licere Regem absque Sacerdotio imperare. Quinimò si ex alio genere quispiam regnum vsurparet, cogebatur statim sacris initiari, vt simul Rex esset & Sacerdos*

Hanc legem & ipse tulit in ea ciuitate, quam finxit, cùm mores optimos, & optimum Reipub: statum exquireret. Ob hanc etiam caussam magnus ille Mercurius Ægyptius, se Trismegistum nominauit. quo titulo se tripliciter esse magnum innuit: magnum scilicet Sapientem, magnum Regem; magnum Sacerdotem. Xenophon insuper generatim omnes Reges Lacedæmonios, etiam Sacerdotes fuisse asserit. Illud ipsum primi Romanorum Reges, ac pòst, Imperatores obseruarunt, vt notat S. Isidorus, atque in Decreto refertur. Dionysius Halicarnasseus expressè Regem Numam, primum apud Romanos Sacerdotem creatum esse commemorat: & auctore Suetonio Sacerdos fuit Galba Imperator. Poëta denique quam disertè?

Isid. l. 7. Etym. c. 12 & refert. in c. Cleros. 21. dist.
Dio. Halic. l. 2.
Suet: in Galba.

Rex Anio, Rex idem hominum, Phœbiq; Sacerdos. *Virg. 3. Æn.*

In sacris porrò Literis idem significatur: vbi de Melchisedec constat fuisse Regem Salem, & Sacerdotem Dei altissimi, ac obtulisse sacrificium panis & vini, mysterijs plenũ; figuram nempe eius sacrificij, quod in nouo Testamento excellentis- *Gen. 14.*

ſimum prædicamus. & ibidem patet, quantam illi reuerentiam & honorem, detulerit Abraham Patriarcha, cùm daturum ſe fructuum decimas pactus ſit.

§. II.

Bar. to. 1. Ann. an 57. pag. 435. Omnes gentes Sacerdotibus deferunt.

PLENI ſunt totius antiquitatis annales, pleniſſimaq; auctoritate Scriptorum oſtendit Baronius, ab omni gente populoq; Sacerdotibus maximos honores decretos fuiſſe. Et quamuis vera Dei agnitione non fruerentur; occulto tamen afflatu, & lumine naturæ, aliquam Diuinitatem, licet falſam, cùm agnoſcerent; eodem naturali inſtinctu iudicabant, eos qui Dei eſſent miniſtri, & offerendis ſacrificijs deputati, pollere debere omni auctoritate, omnique probitatis exiſtimatione eſſe digniſſimos.

Strab. l. 17 Geogr.

Refert Strabo, in Æthiopiæ ſiue Abyſſinorum regno, ſummâ Sacerdotem poteſtate & imperio valuiſſe: adeò vt penes illum ius eſſet Regem regno exuendi, & præficiendi quem dignum ipſe exiſtimaſſet. Idem Ælianus, in more Ægyptijs fuiſſe tradit, additque ſoli Regi ac Sacerdoti vſum purpuræ conceſſum. Perſas & hoc obſeruaſſe narrat Euſebius, ſoliſq; Sacerdotibus de rebus difficillimis creditum iudicium. Ioſephus præterea teſtatur in magno illo Areopagitarum conſeſſu, vbi grauiſſimæ quæſtiones decidebantur, iudicandi poteſtatem ſolis Sacerdotibus permiſſam. Prodit Cæſar, Druidas Sacerdotes apud Gallos olim ſummo in honore fuiſſe, ac de controuerſijs publicis priuatiſque conſtituiſſe. Ariſtoteles

Ælian. Var. hiſt. l. 14. c. 34.

Ioſephus l. 14. Ant. c. 16.

Caſ. l. 6. de bello Gallico.

les porrò in Politicis clarè docet, inter cætera Reipublicæ munia, quibus illa stabilitur, & perenni quadam tranquillitate perfruitura est, præcipuam censeri Sacerdotij dignitatem: cuius est diuina curare, victimas pro omnibus offerre, communemque salutem deprecari.

Admiratione dignum est, quod recitat Pierius, in tanta apud Æthiopes, deorum Mystas habitos æstimatione; vt cuicunque, licet & Regi, dixisset Sacerdos illum dijs iratis vitam trahere, miser ille mortem sibi consciret, ratus magis conducere vita priuari, Sacerdotibus obediendo, quàm illâ frui contradicendo. quod & Diodorus Siculus confirmat.

Pierius in Hierog. l. 20. c. de noct.

Consuetudo Gentilium notatu digna.

Diod. Sic. l. 3. de ant. fab.

In Germania, narrante Cornelio Tacito, nulli secularium Iudicum, ne Regi quidem, fas fuit, quemquam morti addicere: solis verò Sacerdotibus. Persuadebant sibi gentes barbaræ (& meritò) tam arduum negotium, quale est vitæ humanæ, ad nullum posse tribunal securè agitari, quàm Sacerdotum; firmiter credentes, quod illi in re tam seriâ statuissent, non sine dijs fore determinatum. Pertinet huc, quod sensit Comœdus: etiamsi humana nequitia se ad quæuis alia scelera extenderet: nunquam tamen eò prorumperet audaciæ, vt Sacerdotum sacrosanctum nomen aut munus violaret. *Quis est homo*, inquit, *tanta confidentia, qui Sacerdotem violare audeat?*

Plautus in Rudente, act. 3. scen. 2.

Hæc quidem sufficiunt, vt propositum confirmetur. quòd si priscis illis temporibus Gentiles, spissis ignorantiæ nebulis circumdati, in hoc ratione se niti solidâ existimarunt; quid

modò? in lege gratiæ? tenebris clarissimâ luce diffusis? Vnum addam, & supremum.

Lib. 2. de Leg. In sua Tullius Republica mirificè extollit honorem Auguribus solitum præstari: qui tantus est habitus, vt summo iure & auctoritate summis præessent imperijs & potestatibus. Magistratu se abdicarent Consules, decernebant: legem tollebant, si non iure rogata esset: nihil denique domi, nihil foris gestum sine eorum adsensu poterat cuiquam probari. Addit Halicarnasseus, Sacerdotes publico stipendio alitos. imò Plutarchus in Problematis refert, Sacerdotes Romanos ad iusiurandum à iudice compelli nefas fuisse. Sed cùm in re grauissima eorum requirebatur testimonium, absque Sacramento testabantur: quòd Sacerdotalis officij dignitas tantam nudis verbis, quantam cæterorum iuramentum, fidem postularet.

Dion. l. 2. h (?) Rom.

§. III.

HÆC reuerentia Sacerdotalis, quam omnes profanæ historiæ loquuntur, sacris itidem Literis maximè commendatur. In Genesi patet, grassante septem annos fame Ægyptia, cùm frumenta nulla excrescerent, cùm seri nec arari terra posset; tanta omnes penuria constrictos, vt pani comparando, hereditate cunctisque opibus se exuerent. Hoc tempore misero, possessionibus & agris Sacerdotum nihil detractum est: adeò vt non solùm suis non cederent, nec tributo aut vectigalibus grauarentur; verùm illis ipsis, tanquam genti diuinis obsequijs deuotæ, & quæ communi

Gen. 47.

Sacerdotum in Ægypto quāta cura.

bono

bono inuigilaret, è regalibus horreis necessaria victui vltrò delata sint.

Simile alibi: vbi legimus ab Artaxerxe, Persarum potentissimo Monarcha, licet veri Dei cognitione illustratus non esset, tanto Sacerdotes honore præuentos, vt præterquam ipse regia indulgentia omnes Leuitas ac Sacerdotes manumisisset; in itinere commeatu publico præstiterit securitatem. Insuper argento & auro, quod Babylone conueherent, sacrificia rursus procurarēt, concessit: districtè inhibens, ne quis ministrorum aut Prætorum eò procederet confidentiæ, vt seruis Dei altissimi, portoria, tributa, aut huiusmodi vexationes imponere præsumeret. *1. Esdræ 7.*

Porrò ex Genesi constat, cùm Iosepho totius Ægypti gubernacula tanquam primo à Rege delata essent, edixit Pharao, vt illum omnes flexo genu colerent, nihilque sine eius moderamine ageretur. quin aureo ipsum torque, instar Velleris aurati, de collo pendente, anuloque regio, donauit. His omnibus vxorem filiam Putifar Sacerdotis † Heliopoleos superinduxit. Vnde collige, quantæ sit auctoritatis officium Sacerdotale, cùm Rex illi filiam coniunxerit Sacerdotis, quem amplissimæ præfecerat dignitati. Non desunt tamen auctores graues, qui negent illū Sacerdotali munere functum fuisse: sed tantùm nomine tenus, vt maiore existimatione polleret, & regio sanguini splendorem quendam adijceret. Hinc in præcedentibus Scriptura dilucidè affirmat: Putifar regij exercitûs ducem ac imperatorem constitutum. Sanctus verò Hieronymus, hoc ipsum probabili con- *Gen. 41.* *† id est ciuitatis Solis.* *Gen. 37. & 39.* *in Quæst. Hebra. in Gen.*

coniecturâ & Hebræorum traditione conatur asserere: qua fuisse in vsu dicit, vt cùm laboribus, bellis ac senio confecti duces essent, ad maiorem auctoritatem conciliandam Sacerdotio ornarentur. Et hac ratione Iosephum Pharao studuit magis extollere, Sacerdotis eum filiæ copulando.

Ioseph. l. 11 Ant. c. 7.

§. IV.

Exemplũ notabile.

IDIPSVM admirabili historiâ confirmatur, quam Iosephus in libris Antiquitatum recenset. ait illa hoc modo: Cùm Alexander Macedo grauissimè, ob auxilia negata, Hierosolymis infensus esset, miserabili strage ciuitatem & incolas delere certus; exercitu iam pænè admoto, Pontifex Iaddus, omnem defendendæ incolumitatis spem ereptam considerans, Pontificalibus indutus ornamentis, & magno Sacerdotum agmine stipatus, Alexandro, vt benignè poterat, obuiare decreuit. Quos vbi occurrentes vidit Rex, tanto stupore perculsus est, adeoque mentem immutatus, vt equo desiliens, iræ & furoris immemor, Pontificem veneratus sit, iusseritque è vestigio signa candida, rubris detractis, ventilari: atque ita clarissimo pacis indicio vrbem & templum ingressus, victimas Deo immolauit. Omnia insuper, quæ Iaddus ad Diuini cultus petijt splendorem, regiâ munificentiâ largitus est. qui vel Gentilis, hoc honore coluit Sacerdotes. Quod licet admirabile, maiori tamen admiratione digna est ipsa, qua factum, intentio: digna, inquam, Christiano magis Principe. Dum enim hac subita beneuolentia milites in stuporem vertisset, Parmenioni causam

tam

tam diuersi adfectûs sciscitanti, Rex ita respondisse fertur: *Non hunc adoraui, sed Deum, cuius Sacerdotio fungitur.*

Declarant hæc, quantâ olim obseruantiâ habitum sit nomen ac munus Sacerdotum. quandoquidē ipsi Ethnici, veri Dei lumine frustrati, quique vilissimis & humillimis idolis aduoluebantur, tanta eos prosecuti fuerint veneratione, quòd dijs litarent: vnde sequitur ipsum nomen ac munus in se multæ esse existimationis. Hinc etiam Gregorius Papa, scribens Imperatori Mauritio, eidem hac ratione impietatem exprobrauit: quòd ipse, cùm Christianus esset, negauit Sacerdotibus honorem, quem Gentiles falsorum deorum Mystis detulissent. verba eius sunt: *Ante tempora Constantini in Rep. Principes fuerunt, qui Deum verum nescientes, deos ligneos & lapideos colebant: & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignatur honorare, dum pagani honorem impendere Sacerdotibus nouerunt, qui dijs ligneis & lapideis seruiebant?* Eodem inuehitur zelo in Christianos Ioan. Chrysostomus. *Ne simus*, inquit, *deteriores infidelibus: qui propter errorem idolorum suorum, adhuc tantum cultum exhibent eorum Sacerdotibus: sed quantum distant error & veritas, tantum distant illorum & Dei Sacerdotes.*

Greg. l. 4. regist. ep. 75. & refert. in c. Sacer. 11. q. 1.

Chrysost. hom. 65. in Gen.



CAPVT II.

De honore & auctoritate, qua sub lege naturali Sacerdotale munus colebatur.

§. I.

POSITIS seorsum Gentilibus, eorum, qui semper vero Deo cultum exhibuerunt ineamu societatem: proponamus inde ob oculos, quant apud eos in honore Sacerdotalis dignitas habit sit. In primis, si de legis naturæ statu seu constitutione loqui velimus; fuit illa à mundi creation vsque in tempora Moysis; quando scilicet pe ipsum populo suo Deus legem scriptam promulgauit. quod præcedens æuum legis naturæ appellatur: quia nulla esset, quàm ipsius naturæ lex, ac cuius normam rectæque rationis dictamen, omnes homines conformare se, & vitam instituer tenebantur. Hoc longissimo temporis tractu, etsi nullus certus ritus colendi Deum, nec cæremoniarum circa sacrificia inuiolabilis esset consuetudo: constat tamen iam inde ab ipso mundi principio Sacerdotes exstitisse, qui singulari ad diuina peragenda munere fungerentur: vt expresse testā tur sacræ Literæ, vbi adfirmant Melchisedec & fuisse Regem & Sacerdotem. Ex historijs quoque, alijsque auctoribus, ostendi potest, hanc dignitatem tantæ fuisse æstimationis, vt necessariò priorem natu sequeretur, adeoque illustrium familiarum primogeniti Sacerdotes essent: & hanc præcipuam esse prærogatiuam, qua ius primatûs natalitij, seu primogenituræ, sibi vindicarent. sic asserunt

Quis status legis naturæ.

Gen. 14.

Primogenitus nobilium Sacerdos.

ferunt SS. Doctores Hieronymus, Augustinus, Isidorus, Eucherius, Thomas, Antoninus, Lipomanus, Caietanus, Glossa ordinaria, & Scholasticæ historiæ scriptor. Hanc verò præeminētiam S. Antoninus in sex potissimùm rebus ait consistere. In vestimento propriè Sacerdotali, eidem ministerio deputato: in sacrificiorum oblatione: in vltimæ benedictionis à patre susceptione: in cæteris danda benedictione, actibus publicis & solemnibus: in recipienda duplici cibi portione, & duplici parte hereditatis: & in dominio super reliquos fratres: quodq; omnes hasce prærogatiuas habeat primogenitus, quia Sacerdos sit. Hanc etiam dicunt fuisse excellentiam, quam Esau germano suo Iacob, pro lentis edulio diuendidit: quem idcircò Apostolus profanum vocat, quòd dignitate sua cesserit ob tam vile pretiū, nec postea pactum resciderit: *Abijt, paruipendens, quòd primogenita vendidisset.* Tali ingenio reguntur ij, qui nihil præter lubrica huius vitæ lenocinia appetunt; aspernantur nimirum quæ solida, quæ veræ diuitiæ, vtpote spirituales, nuncupari & æstimari debent. Gloriosus Doctor S. Thomas hîc, Esau non tantùm profanum fuisse contendit, sed etiam Simoniacum: additque Dionysius Carthusianus illum reum periurij fuisse: quòd, etiamsi interposito iureiurando venditionem sanxisset, id tamen non intenderet implere, sed vi dominium, quo cesserat, sibi vindicare. Quin hoc velle textum, vbi ait, pro nihilo duxisse, quòd ius suum vendidisset: quia iam fidem datam fallere destinarat. Atque id probatur, quòd eo animo decrepitum parentem accesserit,

Hier. epist. ad Euag. & quæst. Heb. in Gē. Aug. Isid. Glos. Ord. Hist. Scholast. sup. Gen. 25. Euch. l. 2. in Gen. c. 48. S. Tho. 1. 2. q. 103. a. 1. ad 3. Ant. 1. p. hist. tit. 1. c. 1. §. 9. Caiet. sup. Heb. 5.

Quā præeminentiam fratri suo vēdiderit Esau.

Gen. 25. Heb. 12. Tho. sup. Heb. 12. lect. 3. Dio. ibid.

vt supremæ benedictionis fructum præriperet. Sed parum emolumenti astutia & sagacitas humana percipit, vbi cum diuina prouidentia non consentit: qua cautum erat, vt Iacob, quantumuis simplicis naturæ & pacificæ mentis, dolos fratris sui eluderet, machinas dissolueret, & ius, quod obtinuerat, retineret. Nec ideò maximè, quòd ipsum emisset: sed quia diuina mens sanxerat, vt hereditate istâ potiretur. Hinc absque mendacij scrupulo, potuit Iacob affirmare: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Qui quamuis persona non esset, erat tamē iure, cui renuntiauerat frater. Sic dixit Christus de Præcursore, quòd esset Elias: spiritu quidē, non personâ. quia sicut hic præcursor venturus est Iudicis: ita ille pręcursor factus est Redemptoris.

Non profuit astutia Esau, contra simplicitatem Iacob.

S. Aug. l. cont. mendac. & de Gen. ad literam.

Matth. 11.

Cæterùm vestem, qua Iacob Rebecca operuit, affirmant S. Isidorus & Eucherius, fuisse Sacerdotalem, qua solùm vtebantur, dum solemnem aliquem actum sacerdotio adnexum exercerent: quales sunt, sacrificia offerre, & vltimam à patre benedictionem recipere. Proinde dicit Scriptura, fuisse vestem hanc admodum pretiosam, & solitam asseruari in loco odorifero: quòd tanto in pretio haberi debeant ornamenta: quibus diuina mysteria peraguntur. vnde etiam Isaac grato vestium odore & fragrantiâ allectus, maiori adfectu benedictionem impertiuit.

Isid. in Gen. a 5. Euch. l. 2. in Gen. c. 48. Quæ vestis data Iacob à matre ad recipiendam benedictionem.

§. II.

PEr dicta, enucleandus hîc locus occurrit Apostoli: illis enim incognitis difficilè caperetur. Ad Hebræos dicit, Christum priuata auctoritate

Locus difficilis Apostoli explicatus. *Hebr. 5.*

tate officium Sacerdotale ſibi non aſſeruiſſe, ſed iure id obtigiſſe, patriaq; auctoritate illi commẽdatum eſſe. quod Pſalmus manifeſtat, vbi Pater æternus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ſcilicet in hoc die æternitatis. Qui locus non videtur euidẽter inferre, à Patre Filium Sacerdotio decoratum: niſi præſupponat doctrinam iam allatam, quòd nobilium familiarum primogeniti ſint Sacerdotes. Atque ita, vt probet Chriſto de iure commendatum à Patre hoc munus, oſtendit, quia eodem parente & in ipſa æternitatis die genitus ſit. vnde & ſubiungit: Sicut in alio loco dicit: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec.* Quaſi ſignificet idem eſſe, Primogenitus meus es, ac ſi dicas, Sacerdos es, & iure tibi hoc munus obtingit.

Pſal. 2.

Hac ipſa doctrina nititur, quod aſſerunt multi, Melchiſedec Regem Salem (qui obuius proceſſit Abrahæ, cùm victor de quinque Regibus reuertiſſet, & à quo ſpoliorum omnium decimas, quòd Sacerdos eſſet Altiſſimi, recepit) Sem fuiſſe Noë primogenitum: qui cùm obuiaret, fuerit 390 annorum, & vixerit poſt Abrahæ mortem, triginta quinque annos. Quia verò primogenitus Noë, Sacerdos erat, & Abrahæ ſuo nepoti occurrit, vt de victoria gratularetur, & Sacerdotalem benedictionem impertiret. Sic Diuus Hieronymus, & communem eſſe Hebræorum traditionem aſſerit: cui S. Thomas, Gloſa Ordinaria, Nicolaus de Lira, alijque adſtipulantur. Et notandum, quoties huius ob aliud intentum meminit Scriptura, eum appellat Sem Noë filium: tantùm hoc loco vbi Sacerdotij fit men-

Quiſnam ſit Melchiſedec.

Sem decimus auus Abrahæ.

Hier. epiſt. ad Euag. & in q. Hebr. ad Gen S. Th. Nic. Lir. Gloſ. Ord. in Gen. 14.

mentio, Melchisedec vocatur, quasi dicas Regem iustissimum: & Regem Salem fuisse dicitur, id est, pacificum, vt hac ratione excellentia Sacerdotalis ostendatur. Quòd nimirum in tam eminenti dignitate constituti Reges esse debeant: Reges, inquam, qui retundant effrenatos impetus, passionum stirpes elidant, semina exstinguant: Reges in induenda virtutum omnium perfectione, cæterisque facem ad eas præferendo. Hinc subnectitur, debere esse Reges iustissimos; id est in omni sanctitatis genere eximios: & Reges pacificos, id est tales qui exteriùs cum proximo, interiùs cum animo, tranquillitate summa perfruantur. Adiungit Apostolus, eum nec patrem, nec matrem, nec genus habuisse, nec suorum principium aut finem dierum. Non quòd istis careret, cùm verus esset homo (in quo grauiter antiqui quidam decepti sunt, asserentes spiritum fuisse humana specie: quem errorem SS. Augustinus & Epiphanius, ab undè redarguunt) quod manifestum est: & vt sic patrem & matrem habuisse pro certo credendum. Sed dicit his eum carere, quòd illius mentionem faciens Scriptura, Sacerdotij tantummodò rationem habeat, & vt talem, principio nec fine dierum coarctari. In signum, Sacerdotes adfectu tam seiunctos & separatos debere esse ab his, quasi nullis parentibus nati; tam iuratos spiritualiũ rerum contemplationi, & in cultu Dei occupatos, velut cœlo lapsi, aut ad hoc solùm vita donati essent. Apostolus deniq; omnibus modis simillimũ Dei filio exstitisse ait: quia cõuenit talem esse, qui Altissimi Sacerdotem se profitetur. Sed hęc missa fa-
ciamus

Heb: 7. Cur dicatur quòd Melschisedec nec patrem, nec matrem, nec genus habuerit.

Aug: *lib*: *de Har*: *har*: 34. *Ephipha*: *har*: 55 & 67. *Vide Castrũ V. Melchise-dec.*

ciamus, quæ suo loco propriè discutienda sunt. *Tract. 2. c. 1. & deinceps.*

Munus Sacerdotale, magno fuisse in pretio sub lege naturæ, satis modò arbitror declaratum. Quo tempore Sacerdotium adeò erat imperfectum & debile, vt nulla expressa lege, nulla Dei sanctione esset institutum; sed solo naturæ instinctu. licet interdum Deus Sanctos aliquos singulari inspiratione dignaretur.

Huc facit, quod Propheta Iob, qui eâ vixit ætate, denunciat. Hinc exaggerans diuinæ vltionis in peccata seueritatem, ita ait: *Baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum.* ac subiungit: *Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates supplantat.* Quasi velit: Tantus est vindictæ rigor, vt non solùm Regia maiestate non flectatur, quò minùs militare cingulum eis detrahat, regijs armis exuat, & in horum loco fune vinciat; verùm etiam Sacerdotes, suâ priuet gloriâ & auctoritate, turpissimasque illis ignominię notas inurat. Hoc cum maiori, qua potest, exaggeratione proponit: quia Deus statum illum, cui tanta dignitas, tanta gloria adiuncta est, magno furore dissipat & euertit. Id expertus loquitur ipse, quòd Sacerdos, vt multi Patres affirmant & colligunt, non ex eo tantùm, quòd in dies holocausta pro filijs immolaret: sed etiā Rex esset, vt communis fert opinio: illo enim vixit tempore, quo Reges etiam Sacerdotio fungebantur. de quo 1. capite: tùm primogenitus fuit Zara, de stirpe Esau. Atq; ita Sacerdotalis dignitas primogenituræ illustrium familiarum obtingebat. qualis erat illa Iob, quæ erat Regum illorum & Principum, qui è semine Esau prodierunt. Cumq; esset

Iob. 12.

Iob fuit Sacerdos.

Iob cuius filius.

tam

tam claro loco natus, tantâ præditus potentiâ, vtpote regali titulo insignitus, meritò seueram Dei manum aperit: quæ virum tot amicorum paulò antè studijs gloriantem, tam multis opibus circumfluentem, in tantas subitò calamitates egit, vt ab omnibus se desertum, spoliatum, opprobrijs diuexatum, in sterculinij fœtoribus inueniret.

CAPVT III.

De honore, auctoritate, qua sub lege scriptâ Sacerdotale munus colebatur.

§. I.

EXACTA legis naturalis ætate, Deus sibi gentem elegit, cui certam viuendi normam præscriberet. Præ cęteris igitur Sacerdotes instituens, eos sacra, cæremonias, omnemq; cultum edocuit, præcepitque, vt omnes illorum colerent auctoritatem, imperium iussaque amplecterentur. In primis mandauit Moysi, isti ministerio Aaron & quatuor eiusdem filios designaret, qui induerentur vestibus Sacerdotalibus, auro, hyacintho, purpurâ, cocco bis tincto, bysso adornatis. Etenim tam artificiosa erat hæc textura, tamque admiranda operis polymiti varietas, vt nullos hodie reperias phrygiones aut segmentarios, qui non dicam exæquare, sed nec ex parte imitari possint.

Exod. 28. Vestes Sacerdotales, erant pretiosæ.

Omnem hunc exquisitissimum ornatum, adhiberi voluit Deus, vt Sacerdotum maior esset dignitas & reuerentia: *Facies vestem sanctam Aaron, in gloriam & decorem.*

Ad

Ad eundem finem, multis cæremonijs Sacerdos creabatur, vt pluribus in Exodo & Leuitico capitulis videre est. In primis iussit Deus, vt à populo seiungeretur quod deceat Sacerdotem à communi hominum cœtu separari, aliaque vitæ consuetudine vti. Deinde vt ante fores Tabernaculi quotidiana exueret vestimenta: quia ei necessarium sit vetus peccati fermentum deponere, omnia praua desideria cum vitiorum sordibus eijcere, viuo puroque fonte se abluere; qui tam diuinum ministerium digne & reuerenter obire velit. Ita porrò mundatus, sacris ornamenis vestiebatur, sanctæq; vnctionis oleo perunctus, certas victimas pro consecrationis beneficio litabat. Et hæc inspiciente populo peragebantur, vt venerarentur illum, quem tanta solemnitate diuinis obsequijs mancipatum agnoscerent.

Sacerdos creabatur multis cæremonijs.

Plurima adiecit Deus, quibus cresceret honor & obseruantia Sacerdotalis. In omnibus planè voluit Sacerdotes à plebe esse segregatos. Populum censeri imperabat. *At tribum*, inquit, *Leui, noli numerare, neque pones summam eorum cum filijs Israel: sed constitue super Tabernaculi ministerium.* Omnis autem populus supra viginti annos; Sacerdotes & Leuitæ vnum post mensem censebantur. Etenim cùm terram promissionis inter se filij Israël diuiderent, noluit vt cum populo acciperet partem tribus Leui, neque certa hæreditate frueretur, quia ipse eorum esse portio, illosque fouere gestiebat. *Eruntq; Leuitæ mei, & ego hæreditas eorum.* Scilicet non conuenit, Sacerdotem terrenis impediri, aut negotijs futilibus intricari:

Numer. 1.

Num. 18. *Filijs ergo Leui dedi omnes decimas Israëlis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi in Tabernaculo fœderis.* Quippe vt cultum diuinum, cæremoniasque & victimas procurent; cæteros tanquam vectigales fecit & tributarios, atq; agricolas qui seminarent, meterent, & de terræ frugibus eos sustentarent. Hoc benè aduertit S. Cyrillus Alexandrinus. Philo quoque, grauis admodum scriptor, disertè ait: *Ex his rebus liquet iuxta legis iudicium, Sacerdotes æquiparari honore ac maiestate Regibus: siquidem illis, tanquam Principibus, conferri tributa imperat.*

Populus, quasi vectigalia pendebat Sacerdotibus.

Cyr. Al. l. 3. de Sacer. Philo. lib. de Sacerdotum honor.

§. II.

QVID porrò dicere, Regibus, Sacerdotes æquari? meritò dixisset in altiorem dignitatem euectos, maiori donatos auctoritate. Videamus igitur Deum non tantùm iussisse, vt à plebe Sacerdos coleretur, sed etiam Regibus & Principibus mandâsse, vt omnem illi reuerentiam obseruantiamque deferrent. Ita patet *Numer. 27.* vbi cùm vellet Deus, Iosue toti populo Ducem præficere; Moysen tamen admonuit, à Iosue Sacerdotem in summo honore esse habendum. ait enim: *Tolle Iosue, filium Nun, virum in quo est spiritus, qui stabit coram Eleazaro Sacerdote. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum.* Ac si dicat; Quamuis in populo futurus sit Princeps, cunctique eius imperium amplecti debeant; Sacerdotem tamen sibi agnoscat superiorem; adeò, vt horum, quæ decernet in plebem, priùs à Sacerdote consilium quærat: qui ex diuinâ voluntate, quid facto opus, respondebit.

Princeps in populo deferebat Sacerdoti tanquam subditus. *Num. 27.*

In

In Deuteronomio item præcepit, vt duci legitimè creato, legis diuinæ traderetur exſcriptum, ad cuius mentem omnes vitæ ſuæ dirigeret actiones, & plebi æquitatis iura adminiſtraret. Hunc gradum excellentiæ conſtituit Deus, cùm Iſraëlitis mandauit, vt ſi lis aliqua occurreret decidēda, ad Sacerdotem appellarēt; quodq; ille ſecundùm fas & æquum iudicaſſet, omnibus probaretur. Quòd ſi res adferretur prorſus ambigua; ſentētia Sacerdotis pro certiſſima veritate haberetur: adeò vt quicūque hoc iudicium pertinax auderet contemnere, capite lueret, in pœnam ſibi, cæteris in exemplum. audi Textum: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſq; ad Sacerdotes Leuitici generis, quæreſq; ab eis; qui iudicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcunque dixerint, ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, nec ad ſiniſtrā. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio; morietur homo ille, & auferes malū de Iſraël, cūctuſq; populus audiēs timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbiā.* Deut. 17.

Argumentum quoque excellentiæ eſt, quòd Sacerdotibus præcepit, vt caput nemini, quamuis clara ſtirpe, aperirent, quòd videlicet in ſummo dignitatis faſtigio collocati, nulli mortalium deferre hac ratione deberent. Porrò in Num. hortatur vt memores ſui muneris, in omnibus ſuam auctoritatem tueantur: *Tu autem & filij tui cuſtodite Sacerdotium veſtrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum ſunt, per Sacerdotes adminiſtrabuntur. ſi quis extraneorum acceſſerit, occidetur.* Leuit. 21. Numer. 18. Sacerdotes auctoritatē ſuam tueantur.

Iordanis retentus ob reuerētiam Sacerdotū.

Deinde prodigium illud ostensurus, quo Iordanis retentus est, & portæ aquarum apertæ sunt, vt populus omnis transgrederetur; Sacerdotes stupendi huius miraculi administros elegit: qui pedes in extremo aquarum tinxerunt, quasi transire vellent, vt videretur fluuius cursum suum Sacerdotibus stitisse: atque ita illi procedentes, in medio Iordanis steterunt accincti, donec omnis populus arentem alueum transisset: ipsisque exeuntibus sequebantur vndarum montes repressi, reuersique in alueum suum, totâ crepidine fluxerunt. Confirmat etiam quod præcepit Dominus Iosue, vt duodecim viros per singulas tribus eligeret, qui è loco, in quo constiterant Sacerdotes, duodecim lapides assumerent, vt in monumentum admirandæ Dei potentiæ toti posteritati erigerentur, & in signum quòd Sacerdotes in fluento Iordanis stetissent.

Iosue 4.

Aduertendum autem est diligenter, primates totius gentis delectos, qui humeris suis attollerent lapides, quos pedibus Sacerdotum calcatos constabat.

§. III.

Ministerio Sacerdotū, muri Iericho corruerunt.

POST hæc voluit Deus Sacerdotibus debitum honorem & obseruantiam altero portento asserere. Nimirum, vt muros Iericho absque omni bellicarum machinarum impulsu prosterneret solo, opera Sacerdotum vsus est: qui eos, tubis ac buccinis arietinis clangendo, funditus diruerunt. Et hoc suffecit, vt potentissima ac munitissima ciuitas, in Israëlitarum transiret potestatē. Ob quæ

Iosue 6.

tantâ

tantâ existimatione officium Sacerdotale cultum est, vt frequenter in sacris Literis, vbi sermo de Principibus ac Regibus habetur, reperias illos, etsi reapte non essent, Sacerdotes appellatos. Quod 2. *Reg.* patet, vbi dum recensentur omnes Principes domûs Dauid, & munera quibus fungebantur; additur, *Filij autem Dauid, Sacerdotes erant.* Et certum est reipsa non fuisse tales, cùm essent de tribu Iuda: in qua, Apostolo teste, nullus poterat Sacerdotio fungi: atque inde idem ille probat Christum non potuisse Sacerdotem esse secũdùm Ordinem Aaron: huic loco conformiter loquendo, necesse est affirmare, quòd Sacerdotis nomẽ personas denotet primarias & regales. Eadẽ notione hanc vocem alio cap. reperias: vbi dicitur, Iram Iairiten Dauidis Sacerdotem esse: & constat officio non fuisse, cùm sic antè nominentur Sadoch & Abiathar, Sacerdotes. sed tantùm significatur inter Regis amicos primum tenuisse locũ, &, quòd reliquis Iudicibus prælatus esset, Sacerdotem appellatum. Ita accipiendum est, quod 3. *Reg.* de Zabud filio Nathan dicitur Sacerdotem esse, familiarem scilicet, & quo priuato Rex Salomon vteretur.

Qui ex illustri, aut regia stirpe, vocati sunt Sacerdotes.
2. Reg. 8.
Herb. 7.
2. Reg 20. ita Nic. Lyr. Rabbi Salomõ & alij Interp.
3. Reg. c. 4. Sacerdos pro Principe, & persona Regia.
Gen. 41. Exod. 16. Iob 12. & aliâs.

Hæc explanatio, alijs quibusdam S. Scripturæ locis dabit lucem.

Enimuerò prædicta robur accipiunt ab his, quæ de Ozia referuntur. Cùm is anno ætatis sexto decimo regnare cœpisset, tanta præfuit felicitate, vt insignes aliquot ab hoste victorias reportârit, plurimas vrbes arcesq; munitissimas exstruxerit, inque tantam excreuerit potestatẽ, vt exer-

2. Paral c. 26. Ozias Rex vt maiori esset in honore, Sacerdotij munus voluit vsurpare.

citum trecentorum ſeptem millium cenſuerit, quibus ipſe arma diſtribuit, & ſtipendia numerauit: tam denique proſperis bello ac pace ſucceſſibus vſus ſit, vt nomen eius per exteras gentes longè lateque vagaretur. Ad tantum honoris & famæ culmen cùm euectus eſſet, dicit Scriptura: *Eleuatum eſt cor eius, in interitum ſuum*: adeò vt miro faſtu alteram ſibi voluerit vindicare dignitatem, nempe Sacerdotalibus indutus infulis, thuribulo accepto, ingreſſus ſit Sanctuarium (quod fas ſoli Sacerdoti) vt adoleret. Officio hoc, quòd ſibi excellẽtius videretur, vti volebat. Sed enim ſua fretum potentia Azarias Pontifex ab incœpto conatus eſt deterrere: *Non eſt*, inquit, *tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum: ſed Sacerdotum, qui conſecrati ſunt ad huiuſcemodi miniſterium: egredere de Sanctuario.* Reluctãtem Regem lepra inuaſit, quæ & ipſum reuocauit à temeritate. Porrò manſit infectus ad vitæ finem: adeò vt Ioathan filio regnum cedere, & è populo eiectus campeſtrem caſam habitare coactus ſit. Quod ſanè multa dignum eſt conſideratione, vt intelligatur, in quanta fuerit id temporis æſtimatione dignitas Sacerdotalis: quandoquidẽ, vt regni ſui gloriã redderet clariorem, ea ſe Ozias præſumpſerit adornare. quod elegantiſſimè in duabus homilijs Chryſoſtomus: vbi hanc hiſtoriam fusè exponit.

Chryſ. hō. 4 de verb. Iſai. à medio illius, & hom. 5. à princ. tom. 1.

Peccato huic, ſimile fuit Saulis, offerentis ſacrificium: qui tardante Samuele, ſe excuſauit, dicẽs: *Neceſſitate compulſus obtuli ſacrificium.* Ob hoc ſcelus tantã eũ vindictã Dominus eſt perſecutus, vt & regno & vitã exuerit, non obſtante quòd mul-

Saul officio Sacerdotis functus.

tis

tis lacrymis Samuel reatum deprecaretur. Eadem fuit temeritas Core, Dathan, & Abiron, eorundemque asseclarum: qui inuidiâ ardebant ob Sacerdotij honorem Aaron & filijs delatum: cumque Leuitæ essent, sibi illum asserere nitebantur. quam præsumptionem sic vltus est Deus, vt spectante omni Israël terra absorbuerit viuos, & infernus cruciandos deuorarit.

Numer. 16 Temeritas Core & asseclarum.

§. IV.

Cognitvm est, quam pœnam Mariæ infixerit Deus, quòd fratri suo murmurando derogâsset: quæ tanta fuit, vt licet Moses pro ea enixè supplicaret, lepra tamẽ infecta sit, & diebus septẽ extra castra gemuerit, cęterorũ cõmunione priuata.

Pœna Mariæ, sororis Moysi. *Numer. 12.*

Maximas imò pœnas, quas Deus exulcerato furore de Israëlitis in deserto sumpsit, seditiones illæ aduersus Mosen & Aaron acciuerunt: quippe Sacerdotibus illatam iniuriam, promptissimè semper vltus est. quamuis patienter alia crimina ferre videretur, in illa tamen vindex inexspectatus animaduertit.

Aliæ plurimæ leguntur in sacris Literis correptiones, quibus eos qui Sacerdotibus debitum honorem negârunt, apprehendit. quod scelus quantum ipsi displiceat, conqueritur Oseas: vbi exaggerans magnitudinem peccatorum, quæ Israëlitæ in idolorũ cultu cõmiserant, eos comparat his qui Sacerdotes nullâ reuerẽtiâ obedientiaq; dignãtur: *Populus tuus, sicut hi qui contradicunt Sacerdoti.* In Exodo sancitum est: *Homo, quicunq; fuerit in superbia, vt non exaudiat Sacerdotem aut Iudicem, quicunque fuerit in*

Osea 4.

Exod. 17. Rebellis Sacerdoti moriatur.

diebus illis; morietur homo ille, & omnis populus timebit eum, cùm audierit. Proinde multùm commendat Spiritus S. vt honor Sacerdotibus proprius deferatur: *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes*

Eccles. 7. *illius sanctifica.* Ac statim altero versu repetit: *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* Vbi manifestè liquet, Sacerdotis honorem, diuino subiectum fuisse: ac si velit, à diuina Maiestate nihil dignius ac venerabilius reperiri. Vnde sic explicandum est τὸ *Sacerdotes sanctifica*, id est illos habe tanquam rem sanctam & Deo consecratam, quia in sanctissimo munere occupantur. Hanc ipsam obseruantiam pluribus item locis inculcat:

Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite*

Zachar. 2. *malignari.* Et, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

§. V.

ALIVD suppeditat sacra Historia, quo æstimari potest, in quanta veneratione munus

Num. 25. Sacerdotum haberi oporteat. Cùm Phinees heroico facinore se nobilitasset, quòd zelo Dei impulsus, pugione transfixit Zambri Israëlitam, ausum concumbere cum Madianitico scorto, in graue totius populi scandalum, manifestamq; diuinæ Maiestatis iniuriam: vt ostenderet Dominus, quàm gratus sibi hic vindictæ furor exstitisset, suam ipse iram mitigauit, præmiumq; statuit vltori dicens: *Erit tam ipsi quàm semini eius pactum Sacerdotij sempiternum: quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israël.* Vnde patet, quàm debeat esse Sacerdotibus cordi honor diuinus; quantoque eis zelo & feruore incumbendum, vt turpitudinem

Sacerdoti proprius est zelus honoris diuini.

omnem

omnem atque immunditiam ex hominum cordibus euellant & exstirpent quod verò maximè ad rem, ob facinus tam insigne & gloriosum, nullo alio præmio donatus est, quàm in Sacerdotali dignitate constantia, inque nepotes propagatione. Ita Ecclesiasticus, à quo magnis encomijs hoc ipsum factum celebratur: *Ideò statuit illi testamentum pacis, vt sit illi & semini eius Sacerdotij dignitas in æternum.* Eccli. 45.
Idem venerabilis senex Mathathias, filijs suis ob oculos posuit, per hoc eos animando, vt sine metu prælium ineuntes, sanguinem pro lege Dei profundere non dubitarent: *Phinees* inquiebat, *pater noster zelando zelum Dei accepit testamentum Sacerdotij æterni.* 1. Mach. 2.
Ex quibus colligi potest, summo in pretio dignitatem Sacerdotalem haberi; cùm ipsa quasi in stipendium operis heroici & excellentissimæ virtutis data sit.

Christus, etiã malos Sacerdotes, honorauit.

Illud denique in primis notandum, quòd ipse Christus summus Sacerdos & Rex regum, cum nostra tectus carne inter homines versaretur, potestatem Sacerdotibus, quam habebant, non derogarit; sed eandem agnoscens, leprosos à se mundatos ad illos remiserit, vt pro munere suo ipsi definirent, sani essent, necne? tum etiam vt reciperent oblationes, quas lex præscribebat. Matth. 8. Luc. 5. Quin aliquos sanare statim cùm nollet, eos ad Sacerdotes misit, qui in itinere à lepra mundati sunt, vt viderentur ob promptam obedientiam, qua se offerre Sacerdotibus non tardabant, sanitati pristinæ restituti. Id constat in decem leprosis, quos propter castellũ Samariæ obuios habuit. Luc. 17. Et quod magis mirandum, cùm sciret Christus Sacerdotes

esse hypocrisi infectos, simoniâ deprauatos, auaritiâ ardentes, superbiâ inflatos, pluriumque vitiorum contagione pollutos; præcepit tamen populo, vt eos honoraret, & quæ prædicarent exequenda, perficeret. *Omnia quæ dixerint vobis, seruate & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere.* Matth. 23.

CAPVT IV.

De præcellentia, quam veteri Nouæ Legis Sacerdotium superaddit.

§. I.

Vetus Testamentũ noui figura.

EA, quæ prætacta sunt, quamuis magna appareant; nubes tamen fuerunt & vmbra, quibus verum & propitiatorium legis Euangelicæ Sacerdotium signabatur: omnia enim, quæ in lege naturali & scripta tam accuratè obseruata sunt, figuram quandam siue tabulam pictoris arte delineatam præ se ferebant, per quam altissima legis gratiæ mysteria prænotabantur. Hoc Corinthijs denuntiat Apostolus: *Omnia in figura contingebant illis.* Et ad Hebræos, vbi speciatim de Sacrificijs & Sacerdotio tractat, dicit vetera illa adumbratam fuisse imaginem, præ his quæ in nouo Testamento peraguntur. ait enim: *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.* Ac ibidem fusè inter se nouæ legis & antiquæ Sacerdotium & sacrificia comparat. Quòd nimirùm non sit minor eorum differentia, quàm viui hominis & picti, aut (vt meliùs explicemus) tanta est

1. Cor. 10.

Heb. 9. & 10.

Quæ differẽtia inter Sacerdotes & sacrificia nouæ & antiquæ legis.

est distantia, quanta esse potest, cùm Deo vituli, tauri, & cætera animantia offeruntur; cumque eidem Vnigenitus, pro peccatis nostris interemptus, & in nostram iustificationem resuscitatus, offertur. quod sacrificium diuinæ Maiestati adeò gratum acceptumque est & fuit, vt propter illud, omni furore deposito, peccatis indulserit: quãuis enim per illa grauiter foret exulceratus, maiori tamen per hanc hostiam clementia est mitigatus.

Hinc prouenit, vt in Scriptura sæpiùs de istis sacrificijs, tanquam fastidiens, loquatur, vti Apostolus refert, vbi suprà, ex Psalmis: *Quia hostias, & oblationes, & holocautomata & pro peccato noluisti: nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur*, &c. Illa ergo dicit Deus minimè sufficere, vt furorem suum in hominum scelera non effundat: *Impossibile est*, inquit, *sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Tunc dixi, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Hinc (ait Christus) ex ipsâ æternitatis sede, ô Pater, in hanc miseriarum abyssum descendi, quòd oculis tuis antiquæ legis sacrificia parùm accepta sint: ipse igitur venio, vt tuam mentẽ impleam, litaturus eiusmodi victimâ, quæ gratissima futura sit, tamque efficax, vt inueteratam omnium delictorum rubiginem sit abstersura. Alibi cum gente sua expostulat Deus, & sacrificiorum obijcit vilitatem. Quæ, inquit, necessitas mihi est, vt hircorum aut vitulorum sanguine indigeam? *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues: cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam,*

Hebr. 10.
Psalm. 39.
Sacrificia antiqua, ex se parũ valebant.
Psalm. 49.

dicam tibi: meus enim est orbis terrarum, & plenitudo eius. numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Idem eleganter, 1. apud Isaiam capite: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus, plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Ipsum item per Ieremiam, scilicet vt significaretur. quàm humilia ex se abiectaq; essent ista sacrificia. Quòd si nonnunquam accepta forent, (sicut verè erant, cùm ex lege statis cæremonijs offerebantur) id æstimari, aut ex pietate offerentis, aut quia præsignarent sacrificium illud diuinum. quod in lege gratiæ excellentissimum habemus. Cæterùm qualis inter sacrificia diuersitas reperitur, talis inter Sacerdotes constituenda est: nam ex sacrificiorum præstantia, Sacerdotij dignitas æstimatur. si ergo sacrificia antiquæ legis excutiamus, dabitur videre, quanto distent interuallo, quantoque munere Euangelici Mystæ fungantur: in id enim Sacerdotes quondam vt plurimùm incumbebant, vt agnos, arietes, & huiusmodi animalia occiderent, pellem detraherent, in partes scinderent, suam altaris sacrificio, Sacerdoti offerenti suam assignarent: lauare item pedes & ventrem, ignem victimis struere, & similia ipsis exercitia erant: quæ magis ad laniones aut coquos, quàm Sacerdotes pertinere quis neget?

Isai. 1.

Ierem. 6.

Ministerium Sacerdotum Vet. Test.

§. II.

EX quibus hoc liquidò infertur: Si Sacerdotium in veteri lege, imperfectũ planè & mancum, tantæ fuerit dignitatis, tanta cultum veneratione,

ratione, vt iam declarauimus, quòd vmbra tantùm esset Euangelici ordinis; quantam putamus huius excellentiam æstimari oportere? Arithmetici, vellem, numeris suis rationem inirent, si horum ad inuicem proportionem deprehendi posse iudicarent. sed nulla inter finitum & infinitum, inter immensum Solis orbem & minimam scintillam, potest assignari proportio.

Item infertur: omne quod in sacris Literis Sacerdotij antiqui præstantiam & auctoritatem cõfirmat, primariò nouæ legis Sacerdotio attribuendum est: cùm illud vmbram, hoc ipsam veritatem, includat.

Ex his sequitur: Vt Euangelicæ huius dignitatis præcellentiam explicemus, nullum est tantum flumen ingenij, nulla dicendi tanta vis, tantaque copia, quæ in hoc non deficeret, cùm, quæcunque dici possunt ampla & magnifica, longè infra magnitudinem futura sint. Etsi verò tanto nos oneri impares fateamur, & quæ dicturi sumus, ipsius rei dignitatem nec in minimo adæquare possint; dicemus tamen sine verborum fuco, cùm tantum negotium silentio præteriri nefas videatur; eò quòd maximè intersit, vt Sacerdotes, quos in tantam Deus amplitudinem euexit, cognoscãt suæ dignitatis præstantiam, ministerij sui induant auctoritatem, Deo denique grates agant, qui eos elegit, vt in tanto fastigio collocaret. qui & *Aaron elegit ab omni viuente, offerre sacrificium Deo, & placare pro populo suo*. Nam beneficium non agnoscere, teste Philosopho, ingratitudinis est. proinde Christus, cùm Apostolos initiarat, percunctatus est:

Maximè interest, quòd norint Sacerdotes amplitudinẽ suæ dignitatis.

Eccli. 45.

Scitis

Ioan. 13. *Scitis quid fecerim vobis?* Et iure percunctabor: Patres & Domini mei, quibus tantam præstitit Deus gratiam, vt vos sibi assumpserit in Sacerdotes, scitis, quid fecerit vobis? an intellexistis, quid sit esse Sacerdotem? attentè ruminati estis, quodnam sit munus, quod ille vobis commendauit? maiestatem, in quam elati estis? vinculum meritorũ, quo constricti estis? rationem strictissimam, quæ super istis exigetur? hæc euoluite, ne pares sitis filijs Heli, quorum cum dedecore meminit Scriptura: 1. Reg. 2. *Filij Heli filij Belial, nescientes Dominum, neque officium Sacerdotale.* nempe immemores suæ dignitatis, sine aliqua Diuini cultûs obseruantia, impietatem exercebant: vnde se Deus conuertit in vindictã, Tract. 2. cap. 20. vti infrà dicetur. Ne ergo simili nos ingratos vltione persequatur; seriò decet muneris crediti dignitatem inspicere. quæ quanta sit, diuina adspirante aura, explicare propositum est.

CAPVT V.

Sanctorum aliquot sententiæ adducuntur, quibus Sacerdotalis officij dignitas commendatur.

SS. Patres efferunt maximè dignitatẽ Sacerdotij.

SANCTI Patres, cùm de hac materia loqui instituunt, eloquentiæ explicant vela, & omni schematum Rhetoricorum varietate, instar Tullij aut Demosthenis, enituntur huius amplitudinem muneris exaggerare: sed infra dignitatem, & dicẽdo æquare non possunt, quod vix assequi datur cogi-

cogitando. Quia tamen Sanctorum in hoc genere doctrina, grauissima est & vtilissima; visum fuit nonnullas eorundem sententias adducere; cùm firmiter mihi persuasissem; maximum legentibus emolumentum posse parari ex ijs, quæ de Sanctis excerpta hic adnecterentur, vt fundamentum sint eorum, quæ superædificaturi sumus.

Sequitur causa, ob quam in Hispanicum idioma auctoritates Sanctorum non conuerterit: illam hîc non ad rem putauimus cùm Latinè scribamus.

§ I.

MAGNVS Dionysius Areopagita, libro, quem de cælesti Hierarchia inscripsit, sub nomine Sacerdotis intelligi vult hominem cælestem, in omni scientiæ genere versatissimum: *Qui Sacerdotem dicit, augustiorem prorsusq; diuinum insinuat virum, totiusq; sanctæ scientiæ peritissimum.* *Dionys. de cæl. Hierarc. c. 1.*

S. Ignatius in Epist. ad Smyrnenses, Sacerdotium asserit *Apicem esse bonorum omnium, quæ sunt in hominibus. Si quis ergo Sacerdotes inhonorauerit, Deum inhonorat, & Dominum Iesum Christum primogenitum omnis creaturæ.* *Igna. epist. 10. ad Smyrn.*

Gregorius Nazianzenus: *Num tibi,* inquit, *honoris expers videtur hoc Sacerdotium, quod ipsi quoque Angeli purissimi Dei cultores venerantur, tanquam ipsorum cultui minimè impar?* *Orat. 12. ad ciues timore perculsos.*

S. Doctor Ambrosius tom. 4. fusum tractatum de dignitate Sacerdotali instituit, & dignas Sacerdotibus præmittendo salutationes, magna illos veneratione compellat. *Audite me, beatissimi Patres, &* *Ambr. lib. de dign. Sacerd.*

si dignum

si dignum ducitis, sanctissimi fratres. Audite me, stirps Leuitica, germen Sacerdotale, propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi: audite me rogantem vos, pariter & timentem, & honorem Sacerdotalem demonstrare volentem: vt cùm honoris vobis prærogatiuas monstramus, merita etiam congrua requiramus. Dignum est enim, vt dignitas Sacerdotalis priùs noscatur à nobis, & deinde seruetur à nobis, vt Psalmographi sententia repelli queat à nobis: Homo cùm in honore esset non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Honor igitur & sublimitas Sacerdotalis, nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati; longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cùm videas Regum & Principum colla submitti genibus Sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se credant communiri. Sic ingreditur S. Ambrosius, & infrà pergit: *Nihil est in hoc sæculo excellentius Sacerdotibus, si quod sumus professione, actione potiùs quàm nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini: ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio, & illicita actio.*

Eloquentissimus Ioannes, qui ob aureum eloquentiæ torrentem meritò Chrysostomus nuncupatur, sex libros de dignitate Sacerdotis edidit: in quibus multa adfert, quæ dignissima sunt, vt à Saceedotibus altissima memoria reponantur: ex illis sequentes sententias deprompsimus. *Sacerdotium ipsum, in terra quidem peragitur, sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est. atque id quidem meritò. Quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non*

Chrysost. lib. 3. de Sacerd.

non alia quæuis creata potentia, sed Deus ipse ordinem huiusmodi disponit: idcirco necesse est, Sacerdotem sic esse purum, vt si in cœlis ipsis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret: terribilia namque atque horrifica sunt, quæ administrat. Si quis consideret, quantum id sit mysterium, is probè intelliget, quanto honore, quantaq; dignitate Sacerdotes Sp. sancti gratia dignata fuerit. Etenim ijs, qui terram incolunt, atque in ea versantur, commissum est, vt ea quæ in cœlis sunt dispensent, ijs datum est, vt potestatem habeant, quam Deus Optimus Maximus, nec Angelis nec Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omne rerum cœlestium potestatem illis esse concessam? quid cum hoc honore conferri potest? à terra iudicanda, principalem auctoritatem sumit cœlum; seruus sedet iudex in terra, & Dominus sequitur eius sententiam atque confirmat: vt quidquid hic in inferioribus iudicauerit; hoc ille in supernis comprobet. Quænam, quæso, potestas hac vna maior esse queat? Pater omnem potestatem dedit Filio: cæterùm video eandem ipsam omnifariam potestatem à Deo Filio Sacerdotibus traditam. Non quasi iam in cœlum translati, ac supra humanam naturam positi, sic illi ad principatum istum perducti sunt.

Alibi idem Chrysostomus: *Quo igitur non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem, os quod igne spiritali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris: quod Angeli videntes hor-* Chrys. hom. 60. ad pop. Ant.

horrescunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem: hoc nos pascimur, huic vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro. Audiamus ergo & Sacerdotes, & subditi, quali esca facti sumus digni; audiamus & horreamus, sanctis carnibus suis nos dedit impleri, semetipsum apposuit immolatum: quaenam igitur erit nobis excusatio, cùm talibus pasti, talia peccemus, cùm lupi fiamus agnum comedentes?

Hom. 5. in cap. 6. Isai. Idem alio loco: *Sacerdotium est ipso etiam regno maius ac venerabilius. Nam si vis videre, quantum absit Rex à Sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditae, videbis Sacerdotem multò sublimiùs Rege sedentem. Quanquam enim nobis admirandus videatur thronus regius, ob gemmas affixas, & aurum quo cinctus est: tamen rerum terrenarum administrationem sortitur; verùm Sacerdoti thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotijs pronuntiandi habet auctoritatem.*

Hom. 3. ad pop. Ant. Idem: *Habet Sacerdos iustitiae thoracem, habet & loricam veritatis, habet & calceamenta multò honestiora ab Euangelio pacis; habet & gladium non ex ferro, sed spiritûs, habet & coronam capiti impositam: splendidior haec armatura atque pretiosior est. Quamobrem Rex hic dicendus est, & multò illo honoratior. Nam si de bonis cœlestibus agatur, Rex ad Sacerdotem, non Sacerdos ad Regem, confugere solet.* Hactenus Chrysostomus.

§. II.

DOCTORVM lux & splendor Augustinus, in Commentario super Psalmos, attonitus & raptus ob altissimam Sacerdotum dignitatem, & diuina mysteria, quae sacris eorundem manibus peraguntur, in hunc modum exclamat: *O vene-*

Aug. sup. Psal.

randa Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in vtero Virginis, Filius Dei incarnatur! O sacrum & cæleste mysterium, quod per vos Pater & Filius & Spiritus sanctus operatur! Vno eodemque momento, idem Deus qui præsidet in cælis, in manibus vestris est in Sacramento Altaris. O venerabilis sanctitudo manuum! ô felix exercitium! ô verè mundi gaudium! Christus tractat Christum, id est, Sacerdos Dei Filium, cuius sunt deliciæ esse cum filijs hominum: & quod datum non est Angelis, concessum est homini: Sacerdos enim hoc ineffabile conficit mysterium, & Angeli conficienti sibi, quasi famuli, assistunt. Super hoc tam insigni priuilegio stupet cælum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, & veneratur quàm plurimum angelica celsitudo. In alio quodam sermone dicit: O Sacerdotes, si in anima cuiuslibet iusti sedes est Dei, multò magis sedes & templum Dei vos esse debetis mundum & immaculatum. Si sepulcrum eius gloriosum est, in quo corpus eius iacuit exanime; multò gloriosiora & digniora debent esse corpora vestra, quæ à mortuis suscitatus quotidie inhabitare dignatur. Si beatus est venter, qui nouem mensibus Christum portauit; & beata debent esse corda vestra, in quibus hospitium quotidie eligit Filius Dei. Si beata sunt vbera quæ paruulus suxit; beatum debet esse os, quod carnem eius sumit, & sanguinem sugit. Carnes ergo vestras cum timore eius configite, & vobis diligenter prouidete, ne lingua, quæ vocat de cælo Filium Dei, contra ipsum Dominum loquatur; & ne manus quæ intinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccatorum. Hactenus S. Augustinus.

Ser. 37. ad fratres in erem.

Laurentius Iustinianus, vir omni pietatis laude in-

insignissimus, in quadam, quam de Venerabili & diuino Altaris Sacramento habuit, concione, miro eloquentiæ studio, & feruore orationis, Sacerdotalem euehit dignitatem. inter cætera notatu dignissima hæc referuntur: *Magna prorsus & admiranda Sacerdotum est dignitas, maxima illis est collata potestas: sua namque prolatione, & ad eorum pæne libitum, corpus Christi de panis transsubstantiatur materia: descendit de cælo in carne Verbum, & Altaris verissimè reperitur in mensâ: hoc illis prærogatum est gratiæ, quod nunquam datum est Angelis: assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seq; suscipiunt. Verùm Angelorum, siue adstantium siue ministrantium, quoniam vice funguntur, potiùs Angelicam quàm humanam debent conuersationem habere. Accedat igitur Sacerdos ad Altaris tribunal vt Christus, assistat vt Angelus, ministret vt Sanctus: populorum efferat vota, vt Pontifex; interpellet pro pace, vt mediator; pro se autem exoret, vt homo: huic expedit vt diuinæ laudis sit amator, religiosus in se, humilis corde, & erga proximorum errata compassione compunctus.*

Laur. Iust. serm. de Corpor. Christ.

Plurimæ Sanctorum sententiæ his possent adiungi: verùm infrà, proprijs, quæque locis miscebuntur: præallegatæ tamen eorum quæ circa hanc materiam tractabuntur, fundamentum sint: quod enim subnectam, commentarij potiùs locum sortietur: cùm istis peractis firmiori auctoritate, quæ sum dicturus stabilienda sint.

* * *

CA-

CAPVT VI.

Sacerdotes, ratione ſui muneris & dignitatis, naturæ humanæ limites tranſilire debent: adeoq́ conſiderandi ſunt tanquam quid altioris ordinis & conditionis, & pluſquam homines.

§. I.

INGREDIMVR ergò & exordium ab ea Martyris Ignatij ſententiâ ducimus, qua Sacerdotium apicem & ſupremum bonorum omnium verticem, quæ homini dedit Deus conſtituit: cui reſpondet, quod à Chryſoſtomo adiungitur; Sacerdotem medium quoddam eſſe inter Deum & homines: ſic vt illo ſit inferior, his verò ſuperior eſſe videatur.

Sacerdotiũ ſumma in terris dignitas.

Ex hac ſententia elicitur, Sacerdotem, ratione ſui muneris & gradus in quo collocatus eſt, non debere de hominum plebe æſtimari, ſed in ampliore conſtitutum ordine & dignitate: quales affirmat S. Auguſtinus haberi illos, qui ſpiritalibus inhiantes deſiderijs, ſe vitiorum ſordibus expurgârunt, & veteri, vt ſic dicam, homine depoſito, cæleſti Ada, Chriſto nimirum, induti, in via virtutis roborantur. Hi certè homines appellari nequeunt, qui ſupra humanæ ſortem naturæ ad ſuperna tranſcendunt. Porrò τὸ homo, in ſacris Literis ferè probro datur, qua notione ab Apo-

Sacerdos, pluſquàm homo eſſe debet.

Aug. ſup. Pſal. 8.

ſtolo accipitur, dicente ad Corinthios: *Nonnè homines eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Nominentur verò filij hominum: quippe, qui natalis ſui & naturæ, ex homine ducant principium, quoad reliqua Angelicæ aut diuinæ conſortes poteſtatis cenſeātur. Talia erant animantia, quæ vidit Ezechiel (& viros ſanctitatis opinione & ſe præſtantes denotant) de quibus ait, tantùm in eis ſimilitudinem hominis fuiſſe: *Et ſimilitudo hominis in eis.* His æquales in perfectiſſima vitæ inſtitutione eſſe decet Sacerdotes: cæterùm dignitatis excellentia, quâ eminent, tanta eſt, vt naturæ noſtræ ſortem & humilem ſtatum longiſſimè relinquat.

1. Cor. 3.

Ezech. 1.

Atque ita multâ dignum eſt conſideratione, quod in lege præcepit Deus, cùm de modo, quo Sacerdos offerret, tractetur, ſtatuit enim: *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex ingreditur ſanctuarium.* Qui fieri potuit, vt nemo adeſſet? ipſe Sacerdos homo nonnè aderat? Reſpondetur, illum vt ſic non pro homine, ſed ſolùm pro Sacerdote æſtimatum eſſe, qui ordinis ſuperioris eſſet & dignitatis. Clariùs hoc alterâ tranſlatione, Hebraico magis conformi, indicatur: *Non erit homo in tabernaculo, quando Sacerdos intrat ſanctuarium.* Cùm enim Sacerdos accedit oblaturus, homo non adeſt; quia hominis exuit perſonam, cogitatus exuit humanos, virtute Angelicâ & diuina confirmatur. quamobrem? quia ſanctuarium ingreditur, victimas litat, adolet incenſum. Quod diſcrimen, dum agni aut vituli immolantur, incenſum adoletur, & cùm ipſe

Leuit. 16. Non adſit homo Sacerdote celebrante.

veri Dei Filius, in hostiam Patri offertur: hæc eadem est discrepantia inter vetera & noua tam Sacerdotia quàm sacrificia. Vnde postulatur meritò, cùm Sacerdos litaturus accedit, aliquid amplius quàm homo sit, & virtutum splendore humanam abscondat vilitatem: quæ ratio dabitur petenti, quo pacto sacrificium peragendum sit. sic quisque necessum est vt persuadeat sibi, qui nouerit proportionem similem, aut comparationẽ, reperiri non posse.

Huic considerationi fauet Apostolus, hac de re scribens: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Vbi aduertendum τὸ *Pontifex*, quamuis propriâ significatione Principem Sacerdotum appellet; vt plurimum tamen in S. Scriptura indifferenter poni pro Sacerdote: quemadmodum multis locis, & hîc, ex Apostolo clarum est, vbi de cuiuslibet Sacerdotis munere manifestè tractat. dicit ergo quod quiuis Sacerdos *assumptus est ex hominibus*: per quod quid intelligatur, declarat Glossa Interlinearis: *Ex numero hominum assumitur ad aliquid dignius, per quod possit alios iuuare.* & Glossa Ordinaria: *Assumptus, id est, ex communi hominum statu, super alios eleuatus.* & est loquendi modus, quo communiter vtimur, cùm Religiosus quispiam ad Episcopalem dignitatem extollitur: dicimus enim, *Assumptus est ex tali Ordine.* Pari ratione, priusquàm aliquis Sacerdos esset, in hominum numero censebatur: vbi initiatus fuit, *assumptus est ex hominibus*, id est, de statu illo cõmuni sublatus est,

Heb. 5.

Sacerdos numero hominũ est exemptus.

 vt

vt eminentiori clareſceret dignitate: ſuum Chriſtus conſtituit Quæſtorem, vt de hominum quæreret neceſſitate & prouideret *in his quæ ſunt ad Deum*. Ideò ad tantum honorem illum extulit; vt vicarius conſtitutus, ſpiritali omnium ſaluti inuigilaret, paternaque omnes beneuolentiâ complecteretur.

CAPVT VII.

Sacerdotes, in Scriptura, Angeli appellantur, quorum viuendo dignitatem æmulentur: & quantâ ob hanc cauſam ſapientiâ præditos eſſe conueniat.

§. I.

Sacerdotes vocantur Angeli, & decet his eſſe ſimiles.

Malach. 2.

QVemadmodum Sacerdotes, ex parte muneris ſui, plus quàm homines ſunt, & alterius ordinis: ita Scriptura iiſdem nomina imponit, quæ in Superiori duntaxat dignitate collocatis propriè tribuuntur. Sæpenumerò Angelos eſſe dicit, vt conſtat ex Malachiâ: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt.* quod hiſce verbis exponit Chryſoſtomus: *An ignoras quid ſit Sacerdos? Angelus vtique Domini eſt, non ex ſeipſo loquitur; ſi deſpicis, non illum deſpicis, ſed Deum, qui illum ordinauit.* Legatus eſt, qui non ex ſe, ſed Dei iuſſu, legatione fungitur, atque vt talis æſtimandus eſt, & colendus. Ac propterea ad hunc locum commentatus S. Hieronymus, Sacerdotes Angelos vocari

Hō. 2. ſup. 2. ad Timoth.

cari

cari ait, quia Angelus tantundem est ac legatus aut nuncius: *Sacerdos*, inquit, *Dei verissimè Angelus, id est nuncius, dicitur, quia Dei & hominum sequester est, eiusq; ad populum nunciat voluntatem: & idcirco in Sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina & veritas; vt discamus Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis.* *Hierō sup. Malach. 2*

Quia Angeli sunt, omni sapientiâ instructos esse oportet. proinde dicit Scriptura, Sacerdotes scientiæ totius debere esse custodes, & in deposito seu arca seruandam esse ab ijs diuinæ legis interpretationem, vt tempore congruo in Ecclesiæ vsuram refundatur: nimirum illis incumbit, ignorantibus exponere legis veritatem, & dubitantibus infundere fidei claritatem. Hinc alibi idem S. Hieronymus: *Ad Sacerdotis pertinet disciplinam, interrogatum respondere de lege: si autem Sacerdos ignorantiam sacrarum Scripturarum obtenderit; frustra iactat dignitatem, cuius opera non exhibet.* Et ideò Paulus scribit ad Titum. *Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere.* Et alio loco, idem vir sanctus scribit: *Qui Sacerdos est, sciat legem Domini: si enim ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini Sacerdotem: quia ad Sacerdotem pertinet, non solùm scire legem, sed ad interrogata respondere de lege, legem enim requirent ex ore eius.* Nota τὸ *requirent*: quia iure suo idiotæ possunt à Sacerdotibus Christianæ legis exigere rudimenta & sanam informationem; quorum notitiam illi tantam sibi comparasse debent, vt, licet sacrarum Literarum volumina penitus abolerentur, in Sacerdotum ore inueniri & restitui possent. Vnde S. Gregorius in

Sacerdotes debēt esse sapientes.

sup. Aggæi 2.

Orig. in Reg. cap. 30
Cor Sacerdotis arca Testamenti.
Leuit. 10.

Registro: *Quid est Sacerdotale cor, nisi arca Testamenti? in quo, quia spiritualis doctrina viget, procul dubio tabulæ legis iacent.* idcirco Sacerdotibus veteris Testamenti, vini vsum interdixit Deus, & quiduis aliud, quod illos, dum munus suum exercerent, ebriorum instar, titubare cogeret. *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, doceatisq; filios Israël omnia legitima mea.*

Orig. sup. Leuit.

Quamuis multi, ignorantiæ prætextu, nubem aliquam suis posse erroribus obducere videantur: Sacerdotes tamen excusationem prætexere hac ratione nequeunt; quòd ipsis proprijssimè conueniat omnis sapientia & doctrina. Atque ita diligenter aduertendum est, quod ingeniosa consideratione eruit Origenes scribens in Leuiticum: vbi cùm mentio fit de cæterorum hominum peccatis, dicitur: *Si peccauerit per ignorantiam.* Nulla autem de erratis Sacerdotum mentio habetur, quòd præsupponatur illos ex ignorantia delinquere non posse: tenentur enim tantum scientiæ imbibisse, quantum satis cæterorum esse instructioni iudicatur. *Obseruandum sanè, quòd in peccato Sacerdotis, non addit legislator, Quia per ignorantiam peccauerit: neque enim ignorantia cadere poterat in eum, qui vt alios doceret, prouectus erat.*

Quanta calamitas Sacerdotes esse indoctos.

Quanta porrò nostrorum temporum calamitas, quanta confusio (cùm hæc doctrina à Spiritu sancto profluxerit) esse & videri Sacerdotes, qui nec Theologiæ speculatiuæ, nedum practicæ, nec Scripturæ sacræ, lectioni incubuerunt, neque incumbent, satis superque idoneos

neos

neos se arbitrati, si Latinitatem vix à limine salutarint. Vtinam huius cognitionem omnibus istis infundat Deus, vt optent intelligere, & intelligant, quod psittacorum instar recitantes ignorant! adhibeat, inquam, remedium, qui potest, Deus: nam procul dubio tristem iudicandi potestatem in eos exercebit, qui de tam crassa ignorantia fuerint conuicti. Attendite, attendite, quicunque huius mundi vanitatibus intricati, illicita committitis, & summæ, quam habetis, contraria dignitati: agite, quod tempus in nugis & meris gerris teritis; cum vsura iam tandem in diuinarum rerum contemplatione & studio collocate. Vos autem Prælati, qui velut in sua quique puppi sedentes, Ecclesiasticæ Reipubl. clauum tenetis, quâ tandem affectione mouebimini, cùm summus Iudex rationem strictissimam exiget, quòd eos initiastis qui asini prorsus erant? quòd nullâ sedulitate enixi estis, vt sacra doctrina imbuerentur? quòd deprehensi estis remissi & negligentes, in re tam seria, quæ ad status illius decorem, ad Diuini cultûs incrementum maximè pertinebat? certi denique estote, sapientiam requiri in Sacerdote, quia Dei in terris Angelus constitutus sit.

§. II.

IN veteri quidem Testamento, Sacerdotes Angelos esse nominatos constat: quid in nouo? magis item expressè & communiter. Quod clarum est ex Apocalypsi, vbi per Anglos septem *Apo. 1. & 3.*

ptem

ptem Ecclesiarum, ad quos scribit Euangelista (si Sanctorum declarationes recipimus) Episcopi significantur aut earum Sacerdotes. hoc ita intelligendum esse inde liquet; quippe illa quæ ibi recensentur, Sacerdotibus quidem in terra constitutis, Angelis cælestibus conuenire nullo modo possunt: & ex hoc loco desumpsit S. Chrysostomus, quod commentatur super Pauli Epistolam ad Galatas, qua habetur: *Etsi Angelus de cælo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* vbi enucleatè additur *Angelus de cælo*, vt differentia inter terrestrem, qui Sacerdos, & cælestem constituatur. ita vt cùm in fronte posuit Euangelista, Angelo Ephesi, æquiualeat huic, Episcopo Ephesi & sic de cæteris.

1. Cor. 11. Paulus etiam prima ad Corinthios præcepit, vt mulieres in Ecclesia capite velarentur, & hoc propter Angelos. quod licet de supernis illis Spiritibus intelligi possit, qui præsidio suo homines tueantur, & quibus hi omnem teneantur obseruantiam deferre; magis tamen propriè & aptiùs de Sacerdotibus accipietur: propter honestatem quidem & reuerentiam ipsis debitam; tùm propter cautelam & decori gratiâ. cui præsentibus ijs semper inuigilandum: Angelis enim cælestibus parùm intererat, si opertæ, an apertæ, essent. Etenim Angeli Sacerdotes appellantur (vt acutè excussit noster ille Dionysius Carthusianus) quia in altissimam totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ dignitatem prouecti sunt: & cùm, teste S. Dionysio, summus ordinis inferioris, infimum ordinis superioris attingat, & in infimo

Cur Sacerdotes Angeli vocentur. *In speculo Sacerd.* *Lib. de cælest. Hier.* Summum infimi, attingit infimum supremi.

cæ-

cælestis Hierarchiæ choro Angeli credantur; patet, quòd Sacerdotes, qui supremum in Hierarchia Ecclesiastica locum obtinent, meritò Angeli vocentur; nec nomine tenus tales esse debeant, sed totis viribus eniti vt ijsdem virtutum imitatione conformentur.

Idem noster Doctor, qui omni semper sanctitatis opinione præstantissimus fuit, Sacerdotes in multis similes debere esse Angelis affirmat, præcipuè verò in quatuor. Primò in scientia & sapientia, vt iam ostensum est. Deinde castimoniæ laude debent excellere: quæ virtus Angelis propria æstimatur: quæ ita Sacerdotibus amplectenda est, tanquam non corporea massa compositi, nec carnea mole grauati; sed spiritali ab his terrenis essentia eleuati essent, sicut infrà fusiùs exponetur. Tertiò, nuncios esse & legationis munus studiosissimè implere decet; vt nimirùm cunctis gentibus fidei asserant veritatem, & credentibus, Dei annuncient voluntatem. Quartò denique, quemadmodum Angelos scimus hominum ministerio & tutelæ deputatos; sic Sacerdotes ijsdem præsides & vindices constitutos.

Vbi suprà.

In quibus Sacerdotes debeāt similes esse Angelis.



CA.

CAPVT VIII.

Sacerdotes, altius & excellentius obire munus & ministerium, quàm Præcursorem Domini Ioannem Baptistam declaratur.

§ I.

EX dictis sequitur, in eminentiori munere versari Euangelicos Sacerdotes, quàm sint ea munia, quibus Ioannem Baptistam decoratum fuisse confitemur. Nemo existimet, virtutes & sanctitatem personarum inter se comparari; id enim facere, magnæ foret ineptiæ & temeritatis: cùm Deus solus huius sit iudex & arbiter, qui cuiusque meritorias trutinat actiones: *Ponderator spirituum Dominus.* Quantum verò ad hoc attinet, clarum est & manifestum excedere & in gloria, & in sanctitate, Domini Præcursorem, qui priusquàm nasceretur, in vtero sanctificatus est, gratiâ stabili & innocentiæ laude illustris; modò insuper clara Dei fruitur maiestate, quæ sanctissimi viri meritis debebatur. contrà scimus, & indolemus, multos esse Sacerdotes omni virtute destitutos, atque (ô pudor!) graui peccatorum pondere depressos. Hîc ergò nulla potest institui comparatio, aut æquipollentia reperiri. conferimus tamen ministerium Sacerdotum, cum eo quod ille præ Christi persona exercuit. De his dicimus, excel-

Prou. 16.

cellentius esse munus Sacerdotale, quàm sanctissimi Baptistæ.

Hoc ita esse, Euangelij veritas declarabit: comperiemus enim duo inter cætera munia, quibus D. Ioannes primariò functus est: vnum Præcursoris, alterum Baptistæ. De primo denuntiat Zacharias, cùm linguæ vsum recuperâsset: *Tu puer Propheta Altißimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Christum nimirum præcedes, vt mentes humanæ ritè se comparent: recipiendus quippe est, qui sanctificat & viuificat. Modus porrò, quo hæc instituenda est præparatio, erit, *Ad dandam scientiam salutis plebi eius.* Idem Patri prædixit Angelus: *Præcedet parare Domino plebem perfectam.* Quod & fecit prædicando, baptizando, & indice testimonium ferendo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* adeò, vt omnis populus tam magno testi fidem habuerit: quod dicit Euangelista, *Vt omnes crederent per illum.*

Duo munia S. Ioan. Præcursoris & Baptistæ.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Munus hoc multæ esse auctoritatis nemo inficietur; maioris tamen procul dubio Sacerdotale æstimandum est: nam per hoc omnis anima pijs monitis inflammatur, vt mundi Saluatorem in venerabili Eucharistiæ Sacramento, congrua dispositione, recipiat: idque Sacerdotes non tantùm adhortatione perficere conantur, & baptismate, quale erat B. Ioannis (quod in pœnitentiæ agendæ, & Christi ritè excipiendi signum conferebatur) verùm excellentiori methodo & maiore efficacia; dum magnum Pœnitentiæ Sacramentum fidelibus administrant: quod propria sibi virtute confessos, peccatorum omnium reatu

Comparantur Sacerdotes, cum S. Ioanne.

absoluit, cælestis gratiæ fontes aperit, attritis denique contritionis beneficium impertitur. Isto apparatu, gentem perfectam instituunt; eò quòd tali dispositione animus adornetur, vt debita veneratione in nobilissimo Christum excipiat Sacramento.

Porrò si testimonium perhibere, atque ipsum indice demonstrare magni æstimatur; Sacerdos non id solùm digito vno præstat, sed vtraque manu populo spectandum proponit: & testimonium tantæ auctoritatis ac obseruantiæ profert, vt simul dixerit: *Hoc est corpus meum*, omnes prosternamur cernui, & in hostia adoremus, quem Catholici Dei filium confitemur.

Quid tantopere admiramur, quòd plurimi crediderint S. Ioanni asserenti Christū verè esse Messiam; cùm id tam esset verisimile, vt sine teste id credere debuissent; cumque diceret ipse Christus opera sua testari se esse, quem Prophetæ tot antè actis sæculis prænuntiassent? At res est citra controuersiam omni admiratione dignissima, quòd vbi Sacerdos panem manibus complexus (in quo minimum apparet Diuinitatis futuræ argumentum) vbi enuntiârit, *Hoc est corpus meum*; quicunque assistimus, in genua prouoluamur, Deum veneremur & redemptorem, sensibus nostris frenum injiciamus, oculis manibusque fidem negemus, cæteros omnes, qui panem se videre, tangere, gustare asserunt, mendacij ac blasphemiæ arguamus, nescire item quæ tangant, & quæ tueantur, clamemus, nec standum esse experimento sensuum, sed testimonio Sacerdotum.

Sanè

Sanè verissimum hoc est, quia testimonium Ioannis pondus accepit, quòd sanctus ipse esset, & virtutum omnium splendore illustratus: verùm quod perhibet Sacerdos, auctoritate ipsius Christi nititur sic dicentis: qui veritas prima cùm sit, fallere nequaquam aut falli potest: hoc est principium, ad quod tota Religionis nostræ certitudo reducenda est.

Alterum S. Ioannis officium, Baptistæ illum cognomento insigniuit. quippe baptizabat sollemni ritu, ad fluenta Iordanis, vbi dignus est habitus, vt Filij Dei Baptista eligeretur. excellens certè munus, & admirabilis prærogatiua: sed hoc Sacerdotali ministerio an comparandum? quantum porrò iste Baptismus à nostro distet, & reliquis nouæ legis Sacramentis, in quibus administrandis Sacerdotes occupantur; neminem esse, qui ignoret, existimo. Enimuerò, à Ioanne Christum esse baptizatum, singularis priuilegij est indicium; sed maioris haberi, quo Sacerdotes fruuntur, in dubio positum non est. Munus Baptistæ.

Vnis tantùm vicibus Baptista sacratissimum Domini verticem attigit, idque summâ reuerẽtiâ & submissione, cùm sæpiùs se tanto indignũ munere proclamasset: Sacerdotes verò, in dies Saluatorem suum manibus complectuntur, verbis suis consecrant, & in pectoris sui adytum sacris amplexibus deducentes, ibi eum includunt, quẽ negotiorum suorum familiarissimum Mæcenatem agnoscunt. Tanta nunquam dignitas S. Baptistæ obtigit, & Patribus in veteri lege negata est; quippe Euangelicis Sacerdotibus destinata erat.

Ex quibus liquidò apparet, Sacerdotale munus, S. Ioannis ministerio longè præcellere: & præ hoc Sacerdotes iure meritissimo Angelos esse nominandos.

S. Franciscus, magis honorat Sacerdotē quā Angelum

Hoc optimè intellexisse videtur Seraphicus P. Franciscus: de quo in eius vita S. Bonauentura refert, solitum dicere; si eadem via pauperrimo Sacerdoti & Angelo cælesti, aut cuiuis Sancto, qui Sacerdos non fuisset, adeoque S. Baptistæ obuiaret; se primum, & maiorem, Sacerdoti honorem exhibiturum.

CAPVT IX.

Sacerdotes, in Scriptura Dij appellantur: cuius ratio est, quòd peccatorum remittendorum habeant potestatem.

§. I.

NOn existimemus magnos Sacerdotibus deferri honores, si Angeli vocentur: quin potiùs ipsis Angelis honori cedit, quòd nomen ipsorum Sacerdotibus imponatur: cùm horum munus, longè post se Angelorum ac Seraphinorum ministerium relinquat; sicut suprà Sanctorum Patrum auctoritate confirmatum est, & infrà clariùs ostendetur.

Hac de causa, non sufficere iudicauit Spiritus sanctus eos Angelos vocari: pluribus enim locis in sacra historia maioribus & excellentioribus enco-

encomijs Sacerdotes indigetauit. ait regius Psal- Sacerdo-
tes: *Afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arie-* tes Filij
tum. Basilius, illustre illud Theologorum sidus, Dei vo-
qui maximo in Scripturis explicandis iudicio cantur.
valuit, in hunc Psal: commentatus, primum ver- *Psal. 28.*
sum, Sacerdotibus quadrare arbitratur: dicitque *Basil. sup. Psal. 28.*
rectè Dei filios appellari, qui eidem ex officio sacrificant. & tales sint oportet, qui hoc diuino nomine volunt honorari. Rationem huius, ingenio suo dignam, affert: solus enim verus Dei filius, Patri acceptum offerre sacrificium potuit: ideò *Psalm. 39.* *Hebr. 10.*
enim venit in mundum, quia nullum tale poterat reperiri. Qui ergo ex parte & mandato Filij Dei propitiatorias hostias immolabunt; quantum fieri potest, ipsi assimilari debent, vt eodem nomine & encomio digni habeantur.

Hinc Apostolus, vbi de Melchisedec mentionem facit, *Hebr. 7.*
(qui Sacerdos Altissimi primus panem & vinum obtulit in figuram eius sacrificij, quo postmodum Euangelici Sacerdotes litarent) inter cætera præconia, similem ait fuisse Filio Dei. Atque ita conuenit vt Sacerdotes vocentur, & sic vitam instituant, tanquam Christi Dei: quo illos nomine appellat Scriptura: *Nolite tangere* *Psal. 104.*
Christos meos. & in libris Machabæorum: *Qui sunt* *2. Mach. 1.*
e genere Christorum Sacerdotum. & pluribus locis.

Sed altiori indiget consideratione (vt sapienter annotauit Gregorius in Epist. ad Mauritium Imperatorem) quòd in Scriptura, ratione quadam absolutâ, Sacerdotes Dij esse perhibeantur, quia *Greg. l. 4. epist. 31.*
excellentius, quod imponeretur, nomen non Sacerdo-
erat: vt in Exodo videre est; vbi de seruo dicitur, tes Dij ap-
pellantur.

Exod. 21. qui se in mortem domino obstrinxit: *Offeret eum*
Exod. 22. *dominus eius Dijs.* & sequenti cap. *Dominus domûs applicabitur ad Deos.* &: *Dijs non detrahes.* In quibus locis, intelligit Glossa Interlinearis, *Dijs*, id est, *Sacerdotibus.* Idem planè in Psalmo: *Deus stetit in Syna-*
Psal. 81. *goga Deorum.*

Hoc ipsum D. Hieronymus excussit super Euangelium, in quo Christus Discipulos interrogauit: *Vos autem, quem me esse dicitis?* ait enim S. Doctor: *Prudens Lector, attende, quòd ex consequentibus, textuq; sermonis, Apostoli nequaquam homines, sed Dij appellantur. Cùm enim dixisset: Quem dicunt homines esse filium hominis? statim subiecit: Vos autem quem me esse dicitis? quasi diceret: Hominibus, quia homines sunt, humana opinantibus; vos qui estis Dij, quam me esse existimatis?*

Matth. 17.
ibi S. Hier.

Quod sanè maximâ dignum est admiratione, quandoquidem nomen Deorum exosum summoperè fuisse ex veteri lege constet: sed Sacerdotibus id inditum, quia altero deficiente, supremam notet auctoritatem.

§. II.

MISSIS Synagogæ Sacerdotibus (de quibus suprà diximus, non tam in honore habitos, quòd tales essent, quàm quia Euangelicos Sacerdotes designarent) de sacratissimis nouæ Legis Sacerdotibus agamus. Horum si dignitatem iusto pondere trutinemus, meritò Deos appellari iudicabimus, qui polleant auctoritate, quæ propria sit Dei: eâ nempe, quâ mortales scelere oppressos erigunt, & peccatorum sarcinâ absoluunt. Hanc tra-

Sacerdotes Euangelici, rectè Dij vocantur à potestate.

tradidit Deus, cùm à mortuis excitatus Discipulos sic affatus est: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus verbis Theologi certam & indubitatam conclusionem eliciunt, Sacerdotem, scilicet in administrando Pœnitentiæ Sacramento, sicut dicit, *Ego te absoluo*, posse dicere, *Ego remitto tibi peccata tua.* Similiter omni dubio sublato Doctores asserunt, Sacramentorum formas esse verissimas, nec id tantùm, sed & practicas quæ efficaciter & per modum causæ efficientis illud operantur, cuius signa visibilia sunt. Quemadmodum si Æthiopi dum dico: Te posita nigredine album facio; efficaciam haberent & vim hæc verba, vt eodem momento niuis instar dealbetur. *Ioan. 20.*

His suppositis, quæ citra litem sunt; quid admirabilius & magis obstupescendum, quàm hominem haberi mortalitati obnoxium: qui tantâ sit potentiâ, tantâ præditus auctoritate, vt, si accedat alter grauissimorum criminum pondere onustus, denunciare eidem possit, *Ego te absoluo, remitto tibi peccata tua?* atque hoc tantâ veritate & effectu, vt si impedimentum ex rei parte positum non sit, statim illo instanti, quo Sacerdos desijt, omni reatu anima absoluatur, & tanquam particeps Angelicæ puritatis resplendescat; quamuis omni cloaca immundior, omni fuisset Dæmone fœtidior? *Mira Sacerdotum potestas ad remittēda peccata.*

Semel dixit Dominus paralytico: *Homo, remittuntur tibi peccata*; & quicunque audierant, tantâ offensione commoti sunt, vt intra se dicerent, *Luc. 5.*

Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? in hoc veritati non parcebant, quia id facere proprium esset Dei. Hoc porrò munus, hanc potestatem, licet sibi propriam, Sacerdotibus Deus delegauit: adeò vt fide Christi interpositâ, quæcunque illi in terris peccata absoluerint, absoluta sit habiturus in cælis. O gratiam singularem! potentiam admirabilem! auctoritatem stupendam! quæ omnem eloquentiæ superat facultatem! ô prodigam liberalitatem, qua Deus tantum donum hominibus impertiuit! ô clementiam, & suauissimam benignitatem, quâ peccatoribus suum Iudex iudicium cessit!

Quis fuit ille Princeps, qui vel familiarissimo sibi tantum concredidit, vt regiâ auctoritate, in grauissimis regni negotijs vteretur, vt quidquid de proprio ageretur honore, quæcunque iudicia ferenda essent, quamuis perduelles læsæ maiestatis arguerentur; solus ipse determinaret, quod ratum iudicasset, ratum haberetur? talem Regem nullæ historiæ loquuntur, qui vel germanum aut patrem tantæ præfecerit dignitati. Etenim, quod mortalibus inter se inusitatum; hoc virtutum auctorem, religionis assertorem, gloriæ Regem, fecisse nullus obstupescet. ille enim qui humano in corde inueniri non potest, in diuino Sacerdotum pectore conquiescit: & hanc auctoritatem dedit, non vni, sed omnibus Sacerdotibus, quia sine discretione vnumquemque pro necessario intimo amplexatur.

Nulli antiquorum Sacerdotũ tanta potestas credita.

Ecquando elapsis temporibus, tantâ Deus largitate vsus est? quem Sanctorum veteris Testamenti tam nobili munere honorauit, extulit? nec

amicum suum Abraham, quicum familiarissimè conuersatus; nec fidelissimum Mosen, cui facie ad faciem locutus est, nec alium è SS. Patriarchis, ad tantum honorem prouexit. An fortè Baptistam suum & Præcursorem? Hunc quidem raris prærogatiuis affecit, sanctitate & innocentiâ; sed hoc præcellenti ministerio non ditauit: Baptismus enim quem prædicabat, peccatorum remissionem non operabatur, solùm admonebat, vt pœnitentiæ aliquando mortales incumberent. Quid vltrà? nec Archangelis, aut supremis cæli Potestatibus licet dicere: *Ego te absoluo*, aut *remitto tibi peccata tua.* Sacerdotibus duntaxat Euangelicis hæc auctoritas, hic honos delatus: qui verè affirmare possunt, se habere claues regni cælorum, vt aperiant ijs aut claudant, quibus id conuenire, Deo assentiente, iudicârint.

Maximi, in sacris Literis, æstimatur: Eliam tribus continuò annis clausisse cælum ne plueret, iterumque vbi visum fuisset, aperuisse. Verùm quid vnis vicibus id facere? Sacerdotibus semper licet, non vt detur pluuia illa materialis, sed vt ros gratiæ, & scelerum ablutio, procuretur: hocque ipsum verbis diuinis & à Christo traditis operantur, dicendo: Ego remitto tibi peccata tua. Huic nihil potest sine iniuria comparari, cùm æqualitatis ratio nequeat assignari. *3. Reg. 17. & Iacob 5.*

Etenim omnem honorem & auctoritatem, quam Deus, priusquàm carnem indueret, Angelis concessit, vt in Dei persona loquerentur & dicerent, *Ego Dominus*, abstulit Christus, factus homo; nec tale auditum est ampliùs, sed Sacerdoti-

bus hoc delatum, qui in Dei persona & Deo similes plenissimâ auctoritate omni crimine absoluunt, &, sicut Christus ipse, cōsecrant, *Hoc est corpus meum.* Notum arbitror, priusquam Deus carnem sumeret, quantâ veneratione Angeli apud homines habiti sint, cùm eos adorauerint Abraham, Moses, & plures Sancti, quos illi nullâ reuerentiâ dignabantur. Nunc verò maxima homines colunt obseruantiâ, & speciatim singulari Sacerdotes præueniunt honore, quibus diuina exequentibus mysteria cum veneratione assistunt. Hoc testatur Euangelista Ioannes; cui cùm Angelus appareret, & mira, quæ scriberet, reuelaret, fertur ille procidisset vt adoraturus: sed inhibuit Angelus dicens: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum*, id est, noli id tentare: Sacerdos enim es, nullus mihi à te honor debetur, quippe sodalis tibi sum, & eidem Deo inseruimus.

Angeli deferunt Sacerdotibus.

Apoc. 19. & 22.

§. III.

O Patres Sancti, cognoscamus & æstimemus dignitatem, ad quam nos Deus extulit: grates ei referamus, quòd tanto nos dignos honore duxerit, tam eximio munere honestârit. Quî fieri potest vt elingues simus, nec in laudes Dei prorumpamus, *Qui dedit potestatem talem hominibus?* O Archangeli, ô beati sine corpore Spiritus, canite pro nobis Omnipotenti Deo canticum laudis: impares enim sumus tantis meritis, hæret lingua, deficiunt verba, mentis oculi ad tantam munificentiam obstupescunt. Quid ergo mirum, si Sacerdotes Dij vocentur, qui propriâ Deo aucto-

ritate

ritate & potentiâ fruuntur? Verissimè ita est, Deos esse in terris, qui Dei potestatem receperunt è cælis. Nunc certè non admiror, non stupeo, Apostolum iniurias & opprobria sibi illata, blasphemias nuncupasse: quamuis enim genus hoc contumeliæ, sit detractio quædã honoris diuini; Sacerdotes tamen eodem etiam perstringi dicuntur, qui in terra præ sua auctoritate Dij appellantur.

1. Corinth. 4. & 10.

Sacerdos benedicit Christo in hostia cõsecrata.

Hæc maiestas Sacerdotalis, in re consideratione dignissimâ, clariùs apparebit. Quantus ille est, qui dum celebrat, pluribus vicibus ipsi Christo benedicit, Crucis signum super Corpus & Sanguinem Dominicum formando? Omni, certè, hoc admiratione maius est: Apostolus enim pro certo & indubitatè refert, quòd, qui alteri benedicit, eius respectu superior habeatur: *Sine contradictione*, inquit, *quod minus est, à maiori benedicitur*. Et hac ratione probatur Melchisedec Abrahæ præstitisse, quia benedictionem ei suam impertiuit. Huic id, quod ostendimus, conforme est & consonum. Nam quòd ante consecrationem pani & vino benedicat, mirum non est: sed res est maximè stupenda, quòd factâ consecratione, cùm in altari verum Christi Corpus & Sanguis creditur, manu extensa, benedictionem impertiatur.

Hebr. 7.

Hoc argumentum posuit S. Thom. in materia de *Eucharistia*, & eidem scholasticè respondit, dicendo illas non esse proprias benedictiones, nec Sacerdotem vti crucis signatione ad benedicendum, sed solùm ad commemorandam virtutem & modum Passionis Christi. Contra hanc solutio-

S. Thom. 3. p. qu. 83. art. 5. arg. 4.

Concil. Tr. sess. 22. c. 5. nem vna est difficultas, quòd Concilium Trident. vbi tractat de sacrificio Missæ, absolutè mysticas vocet benedictiones, quas in illa Sacerdos exprimit, absque differentia priorum aut posteriorum. Hæc tamen latiùs in scholis discutiantur: nos verò ad rem, inde eliciemus id, quod dignitatis Sacerdotalis augeat splendorem & maiestatem. Christus itaque, duobus in altari modis considerari potest: vno, prout summus Sacerdos qui potissimè offerat sacrificium: & ita benedici nulla ratione potest. omnes enim benedictiones, quas agit Sacerdos, ipsius agit nomine, & tanquam minister. Altero considerari potest, in quantum hostia, quæ Deo immolatur: & sic Sacerdos personam Christi Pontif. Max. repræsentans modum quemdam, seu gradum, superlationis habet præ eodem Christo, in quantum ille est hostia & sacrificium, quod à Sacerdote offertur. Hinc licet benedictionem exprimere super hostiam consecratam, quamuis in ea veraciter Christi Corpus agnoscatur & adoretur. Quanta porrò sit hæc dignitas & præcellentia, neminem, qui non cæcus sit, videre existimo: voluit nimirum Deus vt Sacerdos, in quantum minister, eminentiori sit loco quàm teneat ipse, in quantum hostia & sacrificium; vtque tali auctoritate benedictionem impertiatur.

CAPVT X.

De maxima Sacerdotum dignitate: vtpote, qui potestatem habeant consecrandi & tractandi Corpus & Sanguinem Christi: & quo modo in hoc Sacratissimæ Virgini Mariæ comparentur.

§. I.

MAGNA diximus de potestate ligandi & absoluendi; præ hac Sanctis & Angelis antepoſuimus Sacerdotes: maiori tamen porrò magiſque admirabili miniſterio potiuntur. Duplicem quippe in Sacerdotio poteſtatem, ad quam cæteræ reducendæ ſunt, veneramur. Vnam obtinent in Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia: de qua antè egimus. Alteram habent in naturale & verum Chriſti corpus, in ſanctiſſimo Altaris Sacramento. Hæc verò ſecunda origo eſt & radix, vnde prima emanat: quæ tanto eſt maior & excellentior, quantò magis verum Chriſti corpus, myſticum excedit. Has duas eſſe claues, aiunt Theologi, Sacerdotibus concreditas; vnam Ordinis, alteram Iuriſdictionis. Quòd ſi diximus ſupra, neminem reperiri tanta vi præditum ingenij, tantâ eloquentiæ copiâ inſtructum, qui ſe de prima illâ auctoritate dignè verba facere poſſe confidat; quis ad ſecundam hanc rem, maximè diuinam, pro dignitate tractandam, non requirat

Duplici poteſtate pollet Sacerdotiũ.

diuinum

diuinum quoddam ſcriptionis genus? quid autem nos homines adducemus. Si quia poteſtatem in ſoluendis ligandiſque animis habeant Sacerdotes, non tantùm antiquis illis PP. ſed & SS. omnibus, atque adeò glorioſiſſimo Præcurſori, totique Angelorum cœtui excellant; non dubito, quin vix inueniri poſſit, qui cùm ipſis comparari poſſe videatur.

Sacerdotes, valdè ſimiles Deiparæ.

Enimuerò nec in militante hac, nec in illa triumphante Eccleſia quemquam video, qui eis queat æquiparari, quàm Sacratiſſimam Virginem Mariam, quæ cæteras creaturas innumeris prærogatiuis antecellit; ſolaque eſt proxima Diuinæ maieſtati, ſola, quæ ſuper omnes polos exaltata in cæleſtis regni conſortium aſſumpta eſt. Perpendite ſeriò, Sacerdotes, muneris veſtri dignitatem, vos eſſe admodum ſimiles Reginæ cæleſti comperietis. Fuit illa, quæ primò Dei Filium caſtiſſimis ſuis viſceribus excepit: idem quotidiè vobis licet. Fuit illa quæ octo hiſce verbis, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, ipſum Verbum Patris æternum à regali gloriæ ſolio & æternitatis ſede detraxit, & in puriſſimo vteri ſui ſacrario collocauit & fouit: vos quatuor tantùm verbis, aut eundem, aut ſimillimum effectum producitis, cùm illis enunciatis, de cælo in manus veſtras deſcendit Deus, & veſtris in amplexibus deſiderat commorari. Rem ſanè omni admiratione digniſſimam, omnibuſque antè ſeculis inauditam!

Diuinam Maieſtatem, in vtero puellæ virginali quieſcere voluiſſe, miratur Auguſtinus: quod declarat in Cantico, quo baptiſmatis ſui diem

cum

eum S. Ambrosio consecrauit, dicit ibi: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum.* Quasi exclamet: Quid agis Domine Deus? tu non refugisti oneris huius magnitudinem, quòd naturam nostram primi parentis depressam lapsu, ac pessundatam, à durissimo iugo æternæ redimeres seruitutis: idque vt impleres, nullo potuisti horrore à sententia dimoueri, quin teipsum arctissimo Virginis vtero, & angustissimo quasi carcere tuam includeres maiestatem. Hoc admiratur & stupet Augustinus. ast alterum quanto admirabilius? Deus quidem in Virginale corpus descendit, sed tale quod puritate singulari niteret, nullâ maculâ, nullo peccati vestigio deturpatum esset. Virgo erat ex hominum stirpe; sed quæ religione & innocentiâ cælestes Spiritus superaret. Virgo erat carne amicta & compacta; sed quæ sideribus esset candidior, & sole clarior resplendeferet. Quòd autem idem ille Deus, qui in Empyreo regit, cum omni sua pompâ & maiestate non dedignatur miserrimi peccatoris penetrale ingredi, tantis aliquando obnoxium sceleribus; hoc est, quod miremur, imò quod omnem superet admirationem. Patet igitur, exceptâ Deiparâ, nihil esse in hac immensa rerum vniuersitate, quod cum Sacerdote, vt sic, conferri vllo modo possit.

§. II.

PLura subijciam: sed pace tua, Regina Serenissima, & cautione honoris tui & altissimæ dignitatis, Te enim terræ Dominam, cæli Imperatricem confitemur: quod hîc dicimus, nullum magnitudini

dini tuæ & maieſtati vulnus infliget: ſcimus enim, quæ in te brachio potenti Deus operatus eſt, lædi nec imminui poſſe. Quid enim vnquam ſupernus ille artifex ita numeris ſuis abſolutum effinxit? igitur abſque vllo tuo detrimento, & honoris tui derogatione, expendemus clementiam liberalem & copioſam, quam vnigenitus tuus generi humano facere dignatus eſt.

Comparatio dicta, plus examinatur.

In dicta comparatione, certo quodam modo nonnullas video excellentias, & adiuncta quædam ſeu circumſtantias, quæ maiori me feriunt admiratione, quàm Myſterium illud Incarnationis Filij Dei in ventre Virginis ſemper intacto: ipſa enim ſuis verbis, cauſæ efficientis rationem non induit; ſed tantùm meritorio conſenſu digna eſt habita, ex cuius puriſſimo ſanguine humanæ formam naturæ Deus aſſumeret. Verba autem quæ profert Sacerdos, quamuis dimidia illorum quantitate, ſunt cauſa vera, propria, & efficiens (ſicut Chriſti inſtrumentum, cuius nomine proferuntur) vt corpus eiuſdem Domini noſtri in hoſtia conſecrata, accidentibus iiſdem ſubſit; quibus antè panis ſubſtantia ſubeſſe credebatur. ibi (ſicut diximus) puriſſimæ & nobiliſſimæ Virginis conclaue eſt ingreſſus: hic in pectore, multis criminum aduſtionibus deformato, recumbit, ibi paruulus, & cuius locus iſte non incapax: hic in ætatis ſuæ plenitudine, tantus quantus eſt in cælo, & quod mireris, ſub alterius minima quantitate. ibi mortalis, & periculis mortique obnoxius: hic immortalis prorſus, inuictus, impenetrabilis. ibi vnis vicibus, hic in dies ſingulos requie-

ſcit.

ſcit. ibi caſtiſſimo Virginei ſanguinis alimento nutriebatur: hîc ad ſpiritalis vitæ ſuſtentationem, Sanguinis ſui & Carnis viuificum Sacerdotibus confert nutrimentum. ibi humanitate à Virgine veſtiebatur: hîc humanitatem ſimul & diuinitatem offert ſumenti. ibi vertebatur caro Virginis in carnem Chriſti: hîc ita coniungitur caro Chriſti cum carne Sacerdotis, ſicut illa, quæ vnitur comedenti: adeò, vt Chriſtus & Sacerdos vnum quid fiant; viuantque vno eodemque ſpiritalis vitæ inſtituto, ſicut quàm primùm oſtendemus.

CAPVT XI.

Declaratur vnio Chriſti cum eo qui ſanctiſsimum recipit Sacramentum; per doctrinam Sanctorum, & comparationes eorundem.

§ I.

VNio, quâ Chriſtus ſe cum Sacerdote aut quouis alio communicante, vt ita dicam, conglutinat; & poteſtas, quæ Sacerdotibus in adimplenda hæc diuina myſteria confertur, tam eſt admirabilis, adeoque humani ſagacitatem ingenij excedit, tanta denique, quanta ab intellectu explicari poſſit aut excogitari. Hæc eſt vnio illa mirabilis, quam inter ſe & fideles ſuos tantopere Chriſtus exoptauit, cùm à ſuprema cœna Patrem ita

Vnio Chriſti cũ eo qui recipit Sacramentũ eſt admirabilis.

Ioan. 17. ita allocutus est: *Pater sancte * rogo* vt omnes vnum sint. sicut tu, Pater, in me, & ego in te, vt ipsi in nobis vnum sint, * sicut & nos vnum sumus.* Idem voluit cùm Ioan. 6. diceret: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: sicut Pater meus in me est, & ego in illo, quia eius vita & esse, mea sunt. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem*; sic, *qui manducat me, viuet propter me*: ita vt Galat. 2. dicere cum Apostolo possit, *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus*: id est, non ego propriâ meâ vitâ fungor; hoc enim viuere, hoc esse, hoc operari meum non est, sed Christi, qui operatur in me. ista & plura includit, τὸ *in me manet, & ego in illo.* ô vocem verè diuinam, nectare & ambrosiâ suauiorem! sed non sufficit dicere; Medullam animæ & viscera penetro, ibi moror, ibi delicias meas, ibi carnem meam & sanguinem in alimentum ministro: mutuis ibi gaudemus amplexibus, & inseparabili amore copulamur: certè hæc non sufficiunt, maiorem emphasim denotat *in me manet, & ego in illo.* Nescio quo melle, quâ dulcedine affluat suauissima illa melodia: videtur nihil in sacris Literis tantâ suauitate refertum, tantæ afflictis mentibus esse consolationi, quantam adferat vnius sententiæ prolati, *In me manet, & ego in illo*: *& qui manducat me, viuet propter me.* Etenim fateor quæ hîc porrò tractanda essent, nullo verborum genere satis exprimi posse; paucos reperiri, qui id queant assequi cogitatione: in quorum numero vt simus, vtque dulcedinem illam in animo sententiamus, religione vitæ & innocentiâ comparemus.

Quantû includat *in me manet, & ego in illo.*

§. II.

§. II.

ETsi vnio Christi cum eo, qui dignè S. Eucharistiæ Sacramentum percipit, verè & propriè est spiritalis, mediantibus gratia & virtutibus, quæ in sacra sumptione conferuntur; negari tamen non potest, quin & corporea sit, & quod per hanc, mediantibus Sacramenti speciebus, nostrum corpus realiter & veraciter sacratissimo Christi corpori coniungatur. Hac copula contrahitur diuinum illud matrimonium, quo duo corpora vnum fiunt: & de quo scriptũ est: *Erunt duo in carne vna*: itaque *iam non sunt duo, sed vna caro.* Quod matrimonium expendens Apostolus ait: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* additque, hac de causa, *Membra sumus corporis eius, & de carne eius & de ossibus eius.* Ita vt quilibet Christianus, qui ad sacram Synaxim ritè accesserit, queat dicere, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Hinc SS. Doctores, vt hanc Christi nobiscum coniunctionem & cæleste matrimonium exprimerent, præclaras sanè & magnificas comparationes adduxerunt.

In vnionẽ Christi cũ recipiente mirabile matrimonium. *Genes. 2. & Matth. 19. Ephes. 5.*

Prodeat Alexandrinæ Ecclesiæ Cyrillus: ille, *Sicut si quis*, inquit, *liquefactæ ceræ aliam infuderit; alteram cum altera commisceat, necesse est: ita qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur.*

Cyr. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 17. Comparatio mirabilis.

Aduerte tamen, hoc non ita esse intelligẽdum, quasi inter carnem nostram & carnem Christi vnio quædam essentialis contrahatur; quippe id fieri non potest: sed dicitur vniri & idem esse

Declaratur magis.

cum recipiente hac ratione, qua de ferro candenti dicimus, ignem esse: non quòd veraciter ita sit; sed quia adeò vires ei suas ignis communicârit penetrando, vt omnes effectus, incendia, calorem, ardorem, possit producere instar propriæ virtutis. Pari modo S. Christi corpus, ritè susceptum, per gratiam quam animæ infundit, miras qualitates operatur: Irascibilem potentiam refrænat, illicitos appetitus mitigat, affectibus immoderatis frænos inijcit, ad immortalem vitæ & gaudiorum fruitionem disponit: tantam denique adfert coniunctionem, vt per hoc, Christo caro nostra conformetur. qua similitudine, vna caro, & vnum cum Christo corpus esse dicitur, sicut ipse testatur, *In me manet, & ego in illo, & viuit propter me.* & Apostolus: *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.*

VnioChristi cum recipiente, non est per solam conformitatem voluntatis, sed realis & vera.

Cæterùm, quod asserimus, hæc vnio non est per solam voluntatis vtriusque conformitatem: quod hæretici Sacramentarij commenti sunt, existimantes non realiter, sed spiritali quodam modo carnem Christi manducari, & sanguinem sumi. Qui verò sacræ fidei lumine illustrati sumus, maiorem veritatem agnoscimus, ampliorem maiestatem veneramur: confitemur & firmiter credimus, nos in sanctissimo Altaris Sacramento verum Christum recipere, & nos ei realiter vniri, non tantùm per voluntatum conformationem & caritatis affectus, verùm etiam corporali coniunctione; quia sanguinem eius bibimus, & carnem realiter manducamus.

Hinc est, quod anima in Sacramenti sumptione

ne non solùm spiritalem gratiæ infusionem consequatur, & caritatis cæterarumque virtutum ornamentis decoretur; sed etiam caro recipientis, quantum fieri potest, pro sua capacitate, ex Christi carne particeps reddatur munditiæ, castitatis, & temperantiæ, quæ immoderatos concupiscentiæ ardores exstinguit. Qui effectus non producuntur tantùm per contactum corporalem mediantibus Sacramenti speciebus (quod dignè & indignè sumentibus est commune) verùm & per gratiam & virtutem spiritalem, quam Christi corpus communicat recipienti: ideoque dicitur huius in se corpus conuertere, & vnum cum eo fieri & esse. Vnde Sancti, magnificas faciunt comparationes, vt hæc vnio Christi cum suscipiente declaretur: quibus benè intellectis, diuini flamma amoris incenditur, & feruor pietatis augmentatur.

§. III.

Divus Gregorius Nyssenus, vt idem extollat & exaggeret, non minorem comparationem instituit: ait enim: *Sicut parum fermenti, sibi assimilat totam conspersionem; ita corpus Christi cùm fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat & transfert.* Ad hanc alludit Chrysostomus cùm dicit: *Nos secum, vt ita dicam, in vnam massam reducit: neque id fide solùm, sed re ipsa nos suum corpus efficit.* & alibi: *Ea re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pauore adspicere possunt: & nos in vnam cum illo massam reducimur, effecti vnum Christi corpus*

Alia comparatio, item notabilis.
Greg Nyss. orat. catech. ca. 37.
Chrysost. hom. 88. in Matth.
Homil. 83. in Matth.

Homil.60. ad popul. Antioch. & *vna caro.* Item: *Vt itaque non tantùm per caritatem hoc fiamus, verùm & ipsa re in illam misceamur carnem: hoc per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium quod erga nos habet.* Vbi clarè patet, SS. Patres non vereri affirmare, eum, qui ritè hoc percipit Sacramentum, in Christi carnem transferri, eodem spiritu frui, in vnum corpus, in eandem massam transmutari. & plura his similia: quæ tamen illo, quo diximus, sensu accipienda sunt.

Alia comparatio. *Damasc. lib.4. de fide orthodoxa c.14.* S. Ioannes Damascenus de hac materia sic loquitur: Quemadmodum illa, quæ mediante igni aurum attingunt, deaurantur, sumptoque colore, vel ferrum auri instar resplendescit: ita fideles, qui dignè ad Sacramentum corporis Christi accedunt, ac mediante igne caritatis, carnem eius sacratissimam contingunt, eidem vniuntur Christo, adeoque similes videntur vitâ & opere, & quâdam ratione sunt. at verum certè est, ipsi in Christo, & in ipsis Christus. O mysterium venerabile! ô dignam Deo maiestatem! ô prodigium omni admiratione maius! Quis audiuit vnquam talia? quis dignè poterit hoc expendere? quis tantùm fauorem mente complecti? quis petere, quid dico petere? quis desiderare tantam meritorum gratiam audeat? Sacratissima Christi caro omni labe prorsus intacta, se coniungit putridæ carni peccatoris! Sanguis Christi viuificus, cum sanguine mortali! Potest profectò dicere quilibet Sacerdos, quantumuis miser & humilis (postquàm ritè sacrificârit) quod sapienter, & diuino afflata Spiritu, virgo Agnes protulit, cùm sibi de fa-

fauore gratularetur, quem cælestis illi sponsus præstiterat, dicendo, *Iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas.* O immensam omnipotentis Dei benignitatem! ô clarissima signa ardentissimi amoris, quo amplectitur & deperit genus humanum! *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.*

CAPVT XII.

Mysteria, quæ à Sacerdotibus peraguntur, superant omnia mirabilia, quæ olim Deus patrauit.

§. I.

IVRE ait Dominus per Isaiam: *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea.* Promissis his stetit Deus, cùm longè maiora perfecit, quæ vetera illa quasi obliuione deleuerunt; nempe sacrificium hoc, omnium mirabilium maximè mirabile, instituit, & frequentari mandauit. *Isai. 43.*

Mirâ quadam ratione, & multis prodigijs, populum suum Deus à seruitute Ægyptia & captiuitate Pharaonis liberauit; per maris rubri altissimos fluctus viam sternendo, ijsdemque procellis regem cum toto exercitu inuoluendo. Israëlitas sic assertos, qui sexcentorum millium numerum ex- *Exod. 5. & seq.* *Exod. 14.* *Exod. 16.* *Sapien. 16.*

explebant, quadraginta annos in longissimâ solitudine pauit edulio cælesti, quod vel quemcumq; comedentibus saporem afferret: inibi etiam salientis aquæ riuum, vnico virgæ tactu, ex durissima rupe sitientibus eliçuit: pòst verò Iordanis impetum repressit, vt transgrederentur: inde superbos muros vrbis Iericho diruit & solo æquauit, non bellicâ catapultâ aut ariete, sed solo tubarum concentu: suo denique populo optimam, quæ sub cælo est, regionem assignauit, & Principes, qui eam diuturnâ pace obtinuerant, eiecit. Sed hæc benemerita longè inferiora sunt, quàm vt ijs, quę modò ostendimus, comparentur. Quamuis enim illa suo tempore prodigiosa visa sint; sunt tamen huiusmodi, quæ in rebus creatis operata est manus Creatoris: ille est, de quo Psaltes, *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Omnia quippe eius subiecta sunt potestati: ac proinde, quam prædicta adferre possent, multum detrahitur admirationi. Hæc verò prodigia quæ declaramus, in ipsa Creatoris persona, creaturæ ministerio & operatione complentur; hinc iubet Deus, Antiqua ne intueamini, sed alta obliuione sepeliantur: cum nouis enim legis gratiæ miraculis comparari nullo modo possunt.

Num. 20. 1. Cor. 10. Ios. 6. Iosue 12. Psal. 134.

Maiora sunt miracula nouæ legis quàm antiquæ.

Profectò ita est: erant siquidem figuræ, & imagines adumbratæ omnium eorum, quæ maxima in noua lege Deus facere decreuerat: nec ista vllius sunt æstimationis aut momenti præ hoc, quòd hominibus concesserit facultatem vt toties quoties, quatuor voculas proferendo, Deum ipsum

mani-

manibus suis gestent: idque tantâ certitudine, vt antè immensa illa cæli machina rueret, aut cæle-stes orbes diuerso motu raperentur, quàm vel minimo temporis puncto, prolatis verbis, mora sisteretur.

Priscis temporibus, mirabile visum est, quòd oratione Eliæ Prophetæ descenderit è cœlo ignis, qui holocaustum, ligna & aquam, qua ista erant irrigata, absumpserit: sed quid ad hæc, quæ omni sunt admiratione maiora? 3. Reg. 18.

§. II.

NEscio an reperiri possit res magis stupenda, quàm quòd Deus tantis meritis homines obstrinxerit, in tam sublime dignitatis culmen euexerit, & quòd illi, acceptorum bonorum immemores, ingrati persistant, nec de gratia quidem cogitent habenda, nec honoris sui amplitudinem expendant. Nunquid non deplorandum est adeò hanc apud nos consuetudinem inualuisse, vt sæpissimè res halce diuinas non consideremus? illas nempe æstimamus vt communes & obuias, quæ sæpè oculis nostris offeruntur: illas quasi vilipendimus, quæ efficacissimæ sunt, vt diuini in nobis amoris excitent incendium: illas tam frigidâ pietate tractamus, quæ excutere omne frigus possent, sed in tam assiduo frigore, aut potiùs tepore, non possunt.

Mirũ est homines ingratos esse Deo bene merito.

Quid S. Chrysostomus? *Tanquam leones ignem spirantes, ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* & certè non immeritò: quia Deus noster ignis est, qui absorbet & consumit. at *nunquid potest homo*

Chrys. hō. 60. ad pop. Antioch.
Deuter. 4.
Prouerb. 6.

homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? Si deſcendente de cælis Domino, vt legem conderet, mons Sinai ferre Dei præſentiam nequiuerit, quin viuas flammas conciperet & arderet; nos poterimus in cordibus noſtris geſtare Chriſtum, nec diuino caritatis igne flagrabimus? *Tangit*, Propheta teſte, *montes, & fumigant.* ſi ſolo tactu; quî fieri poteſt vt animis noſtris aſſociatus, & indies quaſi conglutinatus cùm ſit, illi non inflammentur, nedum incaleſcant? Magna ſanè eſt mentis noſtræ durities, magnus inſtar glaciei algor: nec ſaxum illud duriſſimum rumpitur, nec radijs Solis diuini liqueſcit, nec flammeus iſte ignis, qui ſe viſceribus noſtris incluſit, glaciem aſperrimam diſſoluit. Atqui montes niue ſtrati, quæ flumina ſtantia non reſoluerentur, ſi, vt proximi ſumus, ita & illa ſolaribus vicina flammis vrerentur?

Exod. 19. *Pſal. 103.*

Seraphinos, ait S. Dionyſius, quia maximè Deo propinquãt, diuini amoris incendio præ cæteris ſpiritibus inflammari: & vos Sacerdotes qui in hac Hierarchia Eccleſiaſtica Deo proximi eſtis, quippe familiares illius, quid obſtat, quo minùs velut Seraphini ardentiſſimâ Deum caritate amplexamini? id facere meritò deberetis: ſed tu, ô pijſſime Saluator, per inæſtimabilem & immenſum amorem, qui te, vt tanta perageres, adduxit, qui tibi, vt nobis tanquam inſtrumentis vtereris, perſuaſit; mentibus noſtris caligine diſcuſſa, lumen infunde: vt benemerita tua agnoſcamus, quibus nos in tam alto dignitatis faſtigio collocâſti. Nonnè tu dixiſti Domine, *Ignem veni mittere*

Dion. lib. de cæleſt. Hier.

Sacerdotes ſunt Seraphini in Eccleſiaſtica Hierarchia.

Luc. 12.

in

in terram? ergo talem in nobis accende, qui vitiorum nostrorum tribulos absumat, & tui amoris ardenti desiderio configat.

CAPVT XIII.

Ostenditur dignitas Sacerdotalis ex eo, quod Christus Sacerdotibus promptissimè morem gerat in omnibus quæ ad ministerium ipsorum spectant: vnde magnâ vitæ sanctitate præditos esse oportet.

§. I.

PRocedamus porrò in comparatione sacratissimæ Virginis: ibi enim plura superant discutienda. quippe in altissimo Incarnationis mysterio, rem vnam præ cæteris admirabilem video: & est, quòd Filius Dei, quem Seraphini & Angelicæ Potestates venerantur, se tantâ cum submissione Virgini subiecerit, quanta à quolibet obediente fieri potest maxima. Quòd si altiori mentis oculo intueamur, maiori certè nos decet admiratione affici, cùm idem ille Deus, quia homo Sacerdos sit, ei promptissimè subdatur. vnde non tanta videbitur obedientia, quæ matri Virgini exhibita est: licet enim creatura esset, reliquas tamen, puritatis & sanctimoniæ laude, plurimùm superabat; ita voluntas eius, voluntati diuinæ erat conformis, vt nihil vnquam appeteret, quod

Magis mirum est, Christum obedire Sacerdoti quàm matri suæ.

non Filio suo probaretur. Tum etiam, qui obediebat, quamuis secundùm animæ constitutionem, & diuinitatis sibi propriæ maiestatem, excellentissimus foret, atque omni veneratione prosequendus; tamen pro ætatis ac corporis tenero statu, paruulus erat & filius familias, qui sub matre esset & patre, eiusdemque laboribus aleretur: his autem similibus propriè obedire incumbit. Licet etiam iure suo diuino regia dignitate emineret in actu signato; (vt sic cum Philosophis loquamur) non tamen in actu exercito: dissimulauerat enim maiestatis suæ personam, splendorem naturæ nostra humanitate obumbrârat. Etenim maiorem causare debet admirationem, illum, cùm modo regali sit diademate insignitus, Iudex vniuerso mundo constitutus, in dextera Patris collocatus,

Isaia 9. Pater ipse futuri sæculi; sese subdere non Virgini sanctissimæ, sed miserrimo peccatori, qui ad Sacerdotale ministerium sublimatus est, & tam præcisè eidem parêre, vt priùs terra & cælum ruerent, quàm vel temporis puncto Sacerdotis voluntati reluctaretur.

Christi obedientia erga Sacerdotes. Quæ excogitari maior potest obediētia, quàm illa; vt, quoties & vbicunque consecrationis verba Sacerdos pronuntiat, toties absque omni morâ, diuina Iesu Christi maiestas delabatur, & reipsa ac personaliter se sistat, atque hominis manibus comprehendatur, iisque duntaxat hostijs subsit, quas Sacerdos determinârit? sic etenim in altari est constitutus, vt pro celebrantis volũtate aut exaltetur aut deponatur, aut fidelibus erogetur, aut denegetur: & quibuscunque libuerit, sacrifi-

crificij virtus & merita applicentur. Deniq; quidquid ad ministerij spectat executionem, hoc Christum facere certâ fide credendum. Res est profectò quæ omnem intelligendi vim, multò magis eloquentiæ facultatem, excedat.

Semel tantùm legimus in Scriptura Deum voci hominis obtemperâsse, idque cùm Iosue, successor ille Mosis, & Minister antè fidelissimus, turbata & laxata hostium acie fugientes insequeretur: qui videns Solis occasum iamiam imminere, & noctem impedimento fore, quo minùs ad satietatem cæderentur, palma nobilissima referretur; spe illâ & confidentiâ, quam veri serui in Deo constituunt, ad Solem conuersus eidem præcepit, ne loco cederet, donec Amorrhæus ad internecionem deletus esset, *Obediente Domino voci hominis*. Magnam certè adfert admirationem, dicere Deum homini loquenti paruisse: at hoc propriè non fuit Deum ad obedientiam quasi compulsum, sed Soli tantummodò imperâsse, vt obediret. Quis verò non attonitus demirabitur, quòd idem ipse cælorum Dominus, non vnis, sed innumeris vicibus, voluntati & voci Sacerdotis obtemperet, à regali & diuino solio in manus mortales, sæpè etiam nefarias, descendat?

Iosue 10.

§. II.

O Patres, quàm admirabile prototypon & exemplar, vt omnes promptissimam superioribus obedientiam exhibeamus! Deus enim, cuius est mandare, cuius ipsi subijcimur moderamini & imperio, subditis suis, nobis, inquam, parêre

Sacerdotibus exemplo Christi obedientia exhibenda.

non

non recuſat. Vbique gentium ſi veſtiges, an reperias, qui tantâ alacritate mentem impleat Prælatorum, quanta rerum omnium Dominus Sacerdotis obtemperat voluntati? Dominus ſeruo, Rex ſubdito, Magiſter diſcipulo, Deus creaturæ. At quin vltrò Præpoſitis noſtris ſubdemur, nec ijs tantùm, ſed æqualibus & inferioribus, & omni homini, ſi vera Dei caritate ardemus? Quis tandem erit Sacerdos (ſi hanc ſibi à Deo præſtitam obedientiam intueatur) qui illi reluctari audeat, & ſanctiſſima eius mandata conculcare? quis non, priuſquàm hac obedientiâ, ſe lucis vſura priuatum velit?

Cùm Chriſtus ad Ioannem diuertiſſet, vt baptiſmo eiuſdem tingeretur, ille de tantâ humilitate ſtupefactus exclamauit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Pari modo, quemlibet Sacerdotem magno pudore & profundâ animi ſubmiſſione iterare oportet: Æquum eſt, Domine, vt tuum in omnibus amplectar numen & arbitrium; & te meæ ſubdis voluntati? per mirabilem hanc tuam ſubiectionem te obteſtor, ne ſinas me vnquam animo eſſe refractario, ſed qui tuam ad amuſſim exprimat voluntatem. Magnis vtique conatibus decet allaborare, ne diuerſa à Deo feramur libidine, ſed conformes planè ſimus; quòd tantò nos honore ſit dignatus, & maximam de nobis ſpem conceperit.

Matth. 3.

Cùm ſanctus adoleſcens Ioſeph, ad crimen ab vxore Putifaris domini ſui vocaretur; ſapienter cum adultero ſcorto ratiocinatus eſt: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua:*

Geneſ. 39. Exemplũ pro Sacerdotibus.

ſua : nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit, præter te, quæ vxor eius es : quo modo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? non fieri poſſe, arbitror vt maximorum in me meritorum gratiam tam nefario ſcelere compenſem. O Sacerdotes, iure id nos dicere conuenit, cùm aut dæmon nos ſuis artibus, aut caro ſuis illecebris aut ſuâ vanitate mundus inuitat ad cæleſtium mandatorum & diuini Numinis contemptum: nos, inquam, conuenit dicere & iterare, *Quomodo poſſum hoc malum facere*, tam ſacro me crimine obſtringere? Dominus meus copioſiſſimum meritorum ſuorum theſaurum in manus meas tradidit: nihil eſt cuius me adminiſtrum non conſtituit, imò nec ſponſam ſuam Eccleſiam à meâ poteſtate exemit; mihi abſoluendorum ligandorumque peccatorum legauit auctoritatem (ac proinde cælorum claues concredidit) ſeipſum denique non excepit, vt meæ ſubderetur voluntati: quo modo igitur hunc proteram nefandus, qui immerentem tantoperè exaltauit?

§. III.

Etenim ſi Sacerdotes non ſumus rupis inſtar, ſine ſenſu & ratione, nec inſtar dæmonum præfracti; fieri non poſſe auguror, vt nobis animus, pes, manus, lingua, aut aliquid corporis adſit, quod diuinam in ſe peccando excitare queat vltionem. Atque, itâ ſi lingua delinquere Sacerdos velit, alienâ vtatur neceſſum eſt: quomodo enim lingua illa quæ verbis ſuis tam excellentia myſteria conficit, otioſa aut iocoſa proferre poſ-

sit? si non illa; quantò minùs turpia & vitiosa? os quod Sanguine Christi pascitur, an poterit aperiri in murmura, iuramenta, mendacia? *Consecratum est os tuum*, (ait mellifluus Bernardus) *talibus aperire illicitum est, assuescere verò sacrilegum.* Hoc si de verbis nugacibus & iocosis; quid de peioribus affirmaret? Si Sacerdos Deum manibus offendere præsumat; alienas, quibus peccet, assumat: manus quippe quæ sacrosanctum Christi corpus tam familiariter versant, in quibus omnes suas diuitias & opes Deus collocauit, fierine potest vt inquinentur ijs quæ eidem Domino contrariantur? Oculi perbeati sunt, qui vident & penetrant *quod multi Reges voluerunt videre*: & illi tam facilè intueantur ea quæ distrahant; multò minùs quæ illicita cupiditate accendant?

Bern. lib. 2 de consid. ad Eugen.

Luc. 10.

Auditu accepi, Mauros qui Mecham, vt Mahometi mausolæum adspiciant, proficiscuntur, tam felices, vbi viderint, se existimare; vt multi ex illis oculos eruant, quia indignum videatur ijs oculis profana intueri, quibus tam sancta tamque diuina, vt opinantur, contemplati sunt. Deum immortalem! quantum interest inter mentes hominum & cogitationes? Christiani ad hæc pudore non suffundimur? quâ ratione, ô Rex æterne, oculos meos erigam, vt videam vanitates, vt illicita contempler, qui in te omnem puritatem, infinitam pulchritudinem admiror? Domine, *auerte oculos meos, ne videant vanitatem*: tu meritò præcepisti, aut certè consuluisti, vt fideles sibi oculum eruerent, qui scandalo seu offensione perimeret, id est, vt propriæ libidinis affectus refrænarent. multò magis

Psal. 118.

Matth. 15.

magis id Sacerdotibus facere incumbit, qui coram tua maiestate tam mira operantur.

Expendite ergo, Patres, & æstimate seriò, omnes vos custodiæ Venerabilis Sacramenti dedicatos, quorum nec corpora nec animos profanis vsibus inhærere fas sit. cùm verò rem aliquam vilem attentabitis; dignitatis vestræ memores estote, & honoris eximij, quem vobis præstitit Deus, vt ita similem referre venerationem discatis. Id prudenter consulit S. Ioannes Chrysostomus hisce verbis: *Attendamus itaque nobis ipsis, dilectissimi, talibus fruentes bonis, & cùm aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quoquam huiusmodi vitio; cogitemus qualibus facti sumus digni, & sit irrationalium nobis motuum correctio, talis cogitatio.*

Sacerdotum remedium melioris vitæ erit per pensio honoris collati.

Chrys. homil. 61. ad pop. Antioch.

CAPVT XIV.

Quibus cærimonijs & adiunctis, Christus primos Sacerdotes creârit, & quo modo per ista Sacerdotalis dignitas demonstretur.

§. I.

MAximè interest, vt Sacerdotes rectam vitæ normam sequantur, scire & intelligere statûs sui amplitudinem, & quanta eos Deus æstimatione dignetur: idque præsertim illorum emolumento, qui animo erecto, & nobili indole, officiorum

ciorum gratia excitantur, & amore pari ducuntur. Hinc operæ pretium esse putaui, paululum huic puncto insistere, & rem altiùs indagare.

Præ omnibus, quæ Sacerdotij excellentiã declarare possint, nihil mihi tam aptum videtur, quàm ponere ob oculos, ritus & cærimonias, quibus Christus Dominus primos instituit Sacerdotes: his benè expensis & æstimatis, clarissima lampas orietur. Porrò prætermittam temporis & loci adiuncta, quamuis in illis, quod examine dignum sit, reperias: quoad tempus quidem, Pascha erat solemnissimum, & quale antea nunquam celebratum est: nam priscis sæculis (vt tetigimus) in ænigmate & figurâ peracta sunt, quæ tunc re ipsa Deus & homo impleuit: erat etiam vitæ Christi supremus dies (*Pridie quàm pateretur*) quo nimirum grauissima negotia homines componunt, & quo maximè in suos caritas elucescit. Huc respiciẽs ait Euangelista: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Et vt significaret eorum præcellentiam, quæ acturus esset, sic Discipulos feruens amore allocutus est: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Locus etiam sua consideratione non caret: Christus enim cùm Apostolos ad paupertatem voluntariam hortatus esset, & ad illam suo præijsset exemplo, vt primũ sacros Ordines conferret, apparari voluit *cœnaculum magnum stratum.* Etenim traditione didicimus, calicem, in quo sanguinem suum Dominus consecrauit, ditissimum fuisse ex vno lapide pretioso effictum, & inauratum: qui Valentiæ asseruatur, quem & ipse hisce oculis, vel indignus, vidi. Pare-

Quando Christus ordinauerit Sacerdotes.

Ioan. 13.

Luc. 22.

Quo loco primi ordines collati.

Ibid.

na verò, quæ Corpus consecratum excepit, è simili materia fabrefacta (vt refertur) Genuæ nonnunquam videnda proponitur. Vt ergo tam grande mysterium conderet Saluator, cùm omnium esset Dominus, potuit Principis aut Reguli intrare palatium, in quo tam pretiosa supellectile vteretur. & hoc innuere Euangelistæ videntur, *Matth. 26.*
cùm clarè exprimant Christum loci proprietates *Luc. 22*
tam signatè discipulis indicâsse. omne autem gestum est, vt eius, quod instituendum erat, excellentia ostenderetur. His itaque prætermissis cærimonias inspiciamus, quibus hisce in Ordinibus vsus est Christus. Primò quidem sedere suo iussu pauperes illi piscatores, & ipse mensa surgere. Quis iste, qui hominibus assurgit? significat hoc Scriptura verbis grauibus, & dignis consideratione: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad eum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* *Ioan. 13.*

Cærimoniæ in prima ordinatione Sacerdotium.

Pensare hic oportet, illum, qui surgit, æquali esse cum Patre potestate, ac proinde omnipotentem: necessaria enim erat tanta auctoritas & facultas, vt diuinum hoc primus sacrificium offerret, & eodem litandi Sacerdotibus faceret potestatem. Sciamus igitur, illum à Deo processisse primò generatione æternâ, post incarnatum in tempore ad nos descendisse, & morte crudelissimâ peremptum, ac resurrectione gloriosa triumphantem ad cælestis regni solium esse reuersurũ. Cùm tanta sit præditus dignitate, à cœna surgit, vestibus exuitur, se linteo præcingit, aquam mittit in peluim, piscatorum illorum pedibus aduolui-

tur, eos lauat, & osculum figit: assistunt verò millia Angelorum millia, qui hac submissione attoniti obstupescunt. Sancte Deus, quid hoc? quinam isti, quibus tam nobile obsequium exhibetur? sunt Archangeli, Potestates, Principatus aut Seraphici Beatorum Spiritus? non sunt: nec enim vnquam Deus tam inusitatam Angelis præstitit beneuolentiam: sunt verò his omnibus nobiliores & excellentiores: sunt ij quos initiare Sacerdotio decreuit: & talibus officijs, dignitatis huius amplitudinem studet manifestare, & primus ipse esse qui Sacerdotibus deferat, vt suo exemplo quilibet Christiani illos pari obseruantiâ colant ac venerentur. Nihili porrò æstimandum est Reges ac Cæsares, Sacerdotum manus deosculari; non mirum Angelos summâ ipsis veneratione deferre: cùm verus Dei Filius princeps horum pedibus aduolutus & osculo dignatus sit.

§. II.

Sanctorũ ergà Sacerdotes obseruantia.

CHRISTVM primis illis Sacerdotibus honores maximos exhibuisse, meridiana luce clarius est: ex quo processit, vt, qui vera sanctitate floruerunt, eosdem illos summa veneratione prosecuti sint.

Athan. in Vita S. Anton.

Narrat de Magno Antonio Athanasius: licet ille tot tantisque virtutum omnium ornamentis excultus esset, vt longè lateque fama sanctitatis eius peruagante, ipsi Cæsares suis illum literis salutarent; licet animantia bruta sese eius voluntati subderent, & dæmonibus tam metuendus foret at-

atque terribilis, vt multi ab illis agitari, inuocato Antonij nomine, liberarentur; talis tantusque Patriarcha adeò Sacerdotes reuerebatur, vt demisso corporis habitu sacras illas manus deosculaetur, & supplex benedictionem reciperet.

De gloriosa virgine Catharina Senensi refert Antoninus: cùm Sacerdotem incedentem vidisset, terræ, quam calcauerat, osculum imprimebat.

Antoni. 3. p. hist. tit. 23. c. 14.

De Seraphico Patre, S. Francisco, ait D. Bonauentura, illum tam intenso honore Sacerdotibus detulisse; vt ad Sacerdotij dignitatem suscipiendam nunquam potuerit adduci.

Bonauent. in Vita S. Francisci.

In prima sanctæ Ecclesiæ ætate, constat satis, cùm vigeret fidei auctoritas & Religionis zelus, quanta obseruantia Sacerdotes vbique gentium culti sint; quandoquidem ipsi Principes ac Imperatores maxima illos reuerentia dignarentur.

Exempla honoris exhibiti Sacerdotibus.

Quantum honorem ijsdem exhibuit Constantinus? de quo inter cætera omni laude dignissima commemoratur, cùm celeberrima Niceni Concilij conuentio ageretur, ipse pedibus tamdiu religiosissimus Imperator insistebat, donec omnes Patres consedissent: *Et tunc non aliàs sedere sustinuit, quàm sacrosanctus Sacerdotum chorus annuisset.* nec cæteris altiori solio; sed sede demissa, & infra pedes ac vestigia Sacerdotum.

Acta Concilij Niceni, & hist. Tripart.

De Henrico Imperatore quid? nunquam ille regijs insignibus aut diademate solitus est insigniri, nisi benedictione Sacerdotali munitus esset.

Surius in Vit. S. Annonis Archi. Colon.

Seuerus Sulpitius de B. Martino tradit, cùm exceptus aliquando conuiuio à Maximo Imperatore esset, tantam ei hic vel tyrannus & summa

Surius in Vita S. Martini.

ſuperbiâ inflatus venerationem detulit, vt ipſe cum Presbytero ſella iuxta Regem poſita accumberet. Paterã ergo, Regi à miniſtro oblatam, ille Epiſcopo potiùs dari iuſſit, expectans atque ambiens vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus vbi ebibit, illam tradidit Presbytero: nullum ſcilicet exiſtimans digniorem qui poſt ſe biberet, nec integrum fore, ſi aliquem prætuliſſet. quod factum Imperator, omneſque qui tunc aderant, ſic admirati ſunt, vt hoc ipſum, in quo contempti fuerant, placeret. Aliàs itidem Auguſta, eiuſdem vxor, à Martino ſummis precibus extorſerat, vt ad conuiuium veniret, quod ei ipſa paràſſet. illo autem ſedente, eminùs ſecundùm famulantium diſciplinam conſtitit, cùm opus eſſet, ſubminiſtrans: finitâ cœnulà, fragmenta panis aſſumpſit micaſque collegit: ſatis fideliter illas reliquias regalibus epulis anteponens.

Omnis iſte ijs temporibus honor, ex maxima quam de Sacerdotij dignitate conceperant opinione procedebat. contrà miſerrimo hoc ſæculo extrema hic eſt negligentia & deſpectus; quòd illa dignitas ab idiotis non expendatur aut æſtimetur. Porrò hæc oritur inter profanos contemptio, quòd inſulſis moribus Sacerdotes eam parturiant; vitaque illorum abhorreat à priſtina maiorum grauitate & ſanctimonia. ſed de hoc infrà fuſiùs: modò propoſito inſiſtamus.

* * *

CA-

CAPVT XV.

Demonstratur excellentia Sacerdotum, quòd Christus illos sibi amicos adsciuerit, & suorum elegerit arbitros secretorum.

§. I.

CÆREMONIIS circa pedum lotionem ritè impletis, sacratissimum mysterium agi cœptum est, & Sacerdotum ordo creari, hisce verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, id est, ipse Corpus meum & Sanguinem consecraui, incruentum sacrificium obtuli, idem ex hac hora facere satagite, quia plenariam ad hoc vobis confero auctoritatem. quod etsi non referat S. Ioannes, reliqui tamen id attestantur: ipsius enim erat intentum, fusè sermonem Dominicum enarrare: sed reuera hæc ita peracta sunt. vnde facilè intelligas lotionem istam, dispositionem quandam fuisse, vt ista sanctiùs instituerentur.

Apostolis verò initiatis, prolixo illo sermone efus est, quem præ cæteris Ioannes studuit declarare. In quo inter plurima, amore & beneuolentiâ plenissima, eos sic affatus est: *Iam non dicam vos eruos*: quid hoc pijssime Domine? quo eos nomine appellabis? an fortè maius potest nobis enconium obtingere, quàm vt serui tui dicamur & simus? nonne tibi seruire, plus quàm regnare est? estne

Ioan. 13. 14. 15.
Christus vocat Sacerdotes amicos.

estne creatura, quæ tuis obsequijs dedicata non sit? numquid tu totius Rector vniuersi? qui ergò fieri potest, vt eos seruos appellare nolis? Non dicit Dominus, Serui mei non eritis: quòd enim tales sint, antè confessus est: *Vos vocatis me Magister & Dominus, & benè dicitis: sum etenim.* Sed serui mei licet sitis, eorum tamen loco vos posthac nomine tenus habiturus non sum: quippe in altissimam à me dignitatem sublimati estis, proinde vos titulo excellentiori honorabo: elegi enim, quibus tanquam arbitris & necessarijs mysteriorum omnium arcana reuelaui; elegi eos de quibus summam spem concepi, & quibus confisus sum: hoc verò amicis proprium est, ideoque ex nunc *Vos * dixi amicos.*

Gregor. S. Gregorius, cùm hoc verbum excuteret, summo affectu exclamauit: *O mira diuinæ bonitatis dignatio! serui digni non sumus, & amici vocamur: quanta dignitas est hominum, esse amicos Dei!* Cyrillus etiam admirabundus interrogat: *Quid maius, quid clarius, quàm Christi amicum & esse & appellari? excedit hæc dignitas naturæ humanæ terminos. Omnia enim seruiunt Creatori*, vt ait Psalmista, *nec quidquam est quod iugo seruitutis eius non subijciatur, quod cùm ita sit, seruantes mandata sua, Dominus non seruos, sed amicos appellans, vt amicos in omnibus tractat. magna & splendida ista præmia sunt.* Planè apparet homines vsque adeò à Deo æstimatos, vt in amicorum numero, & nomine, & re habiti sint: si enim adagio credimus; *amicus est alter ego.* Ita videmus, Ionatham, Saulis filium, quòd sinceram cum Dauide amicitiam contraxisset, illum ipsum paribus secum vestibus

Cyrill. Alex. lib. 10. com. in Ioan. 2.

1. Reg. 18.

vestibus, paribus armis, cinctuq; militari induisse; vt non Dauid esse, sed alter Ionathas videretur. Idem cum Sacerdotibus Christum egisse fateamur, quos paribus secum circumdedit vestimentis. Ornamenta quippe Sacerdotum, vestes denotant Christi: ita vt cùm iisdem Sacerdotes induuntur, alteri Christi videantur. Plus autem Ionathâ contulit Saluator: qui non duntaxat vestimenta sua, verùm etiam proprium Corpus & Sanguinem in Ven: Sacramento communicauit: quo mediante se ita vnit sumenti, vt è duobus vnum quid existat: vtque Sacerdos non alter esse Christus dicatur, sed quodammodo idem ipse Christus. saltem certum, & illum manere in Christo, & Christum in illo, & viuere hunc propter Christum, vt ipse asserit. sicut 11. *cap.* est ostensum.

Ita Aug. & Gloss. int. 1. Cor. 12. super illo verbo, itaq; Christus, ait, vt omnes fideles non dicantur corpus Christi, quia sunt ipse Christus tam maiores quam minores.

Etsi magnus hic honor, magna hæc dignitas æstimetur; paucissima tamen illa verba, quibus Dominus Sacerdotes amicorum titulo dignatus est, præter hæc quæ diximus, immensam diuinarum opum vim in se reconditam habent. cùm enim, vt aiunt, *Amicorum omnia sint communia*; sequitur Christum Sacerdotibus, tanquam amicis suis, cælestium diuitiarum quæsturam detulisse. Et sanè ita se res habet, vt Sacerdos, cùm diuina celebrat mysteria, thesaurum ditissimum meritorum Christi, cui libuerit, applicandi habeat potestatem. signum autē, & clarissimū huiusce familiaritatis indicium fuit, quòd ex tunc suā ad mēsam Discipulos iusserit considere, & secū comedendi dederit facultatem. Hoc verò non intelligendum est, vt de mensa materiali & cōmuni interpreteris,

Quid vtilitatis in amicitia Christi.

(semper enim id ipsis licuerat, quin & Publicanis & Pharisæis) sed de mensa SS. Sacramenti accipias, in qua istius cibi participes fecit, quo propria sustentatur diuinitas. Et hoc maximum amicitiæ monumentum sanxit, hunc fauorem exhibuit, quo maior esse non potuit.

Esther 5. Magnus ille regis Assueri amicus Aman, tantum sibi gratulatus est, quòd aliquando à regè ad prandium esset inuitatus; vt cognatis & affinibus regia in se benemerita recensens, cæteris omnibus hoc vnum prætulerit: à Regina inuitatus, *& cras, cum Rege pransurus sum.* O Patres, æquum est, vt officiorum, quibus nos sibi gloriæ Rex deuinxit, memoriam reparemus: æquum est, vt expendamus cuius mensæ nos conuiuas accumbere voluerit. certè illucescente die, magna animi lætitia & spiritali gaudio dicere quilibet potest: *Hodie cum Rege pransurus sum.*

2. Reg. 9. Dauid Rex, cùm Miphibosetho, ob patris Ionathæ sinceram & amicabilem beneuolentiam, grates referre statuisset, parem se posse referre existimabat, si assiduum in mensa comitem illum adhiberet. *Tu comedes,* inquit, *panem in mensa mea semper.* Idem præmium testamento cauit, vt Rex Salomon filijs Berzellai largiretur, quòd sibi in suprema necessitate constituto strenuam operam *3. Reg. 2.* nauassent: *Erunt comedentes in mensa tua.* Enimuerò nihil hæc, vt cum amore à Christo Sacerdotibus præstito comparentur: hi nimirum in dies cum ipso ad mensam cælestem accumbunt, pane illo viuifico vescuntur, qui cibus Angelis, & diuinitatis est alimentum. sic pensauit Christus fidem,

quam

quam Apostoli adhærendo coluerunt, cùm diceret: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël.* Quæ verba ad Discipulos Christus habuit, cùm iam Sacerdotes instituisset: ideoque hac ratione poterũt aptè explicari: Sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt mensa diuinitatis eius pascar; ita vobis, qui familiares mei estis & amici, eandem in Ecclesiæ militantis regno paraui, vt ei assideatis, & eodem edulio cælesti, quamuis diuersimodè ad vestram capacitatem instructo, fruamini: simul etiam, vt maximæ solium auctoritatis occupetis, ex quo sententiam de grauissimis hominum negotijs, peccatorum scilicet absolutione aut ligamine, feratis: quam diximus potestatem Sacerdotio annecti. Fuit itaque summa Christi dignatio, quòd amicorum titulo decorârit Discipulos, eosque mensæ suæ, quam parâsset, conuiuas assiduos designârit.

§. II.

Prædicta augent, quæ sequuntur: in quibus rationem adfert Christus, ob quam Apostolos amicos suos esse dixit: *Quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quæ sententia, non parum difficultatis inuoluit: quî enim fieri potest Christum ea omnia aperuisse, quæ didicisset à Patre? Filius tantum percepit à Patre, quantum nouit Pater: in generatione quippe æterna, infinitã illi sapientiam communicauit: in generatione verò in tempore per scientiam infusam, multoque

Quare Christus Discipulos amicos vocârit.

Quî Christus manifestârit totũ quodq; audiuit à Patre.

 magis

magis per scientiam beatam, sanctissimæ Filij humanitati tantum contulit, quantum ipse sciebat per scientiam visionis; qui ergo potuit Christus hæc manifestare Discipulis adeò rudibus & incapacibus cælestium disciplinarum, maximè cùm subiunxerit Dominus: *Multa vobis habeo dicere, quæ non potestis portare modò, scietis autem postea?* quid ergo? Doctores in varias circa hanc sententiam opiniones abierunt.

Chrysost. Theoph. Euthym. Græci Patres explicant *τὸ omnia*, vt non absolutè intelligas, sed commoda distributione, id est omnia, quæ scire vos pro huius vitæ statu conuenit. Hac explicatione ruit omnis difficultas, & verba plana sunt ac facilia, sed quæ limitare videntur illud, quod extendit Christus. Latini Docto-

Aug. hic, & epist. 57 & l. de agone Christi, cap. 9. Beda hic, & alij. res *τὸ feci*, in temporis futuri differentia accipiendum putant, vt nempe significetur, quòd missus Paracletus in decursu sæculorum nota facturus sit ea, quæ Pater Filio commisit vt hominibus reuelaret.

At si explicationes hæ altiùs excutiantur, difficultate & obiectione non carent: nec vt ex integro assentiar queo permoueri. illa enim verba maius quiddam, magisque absolutum includere videntur, & excellentius quiddam concipit intellectus. Itaque, sine priorum declarationum nota (quæ, quòd Sanctorum sint, non vsque adeò temerè sunt reijciendæ) alia glossa intento nostro

Alia explicatio ad propositum. accommoda adduci potest: quam multò fore cōsentaneam arbitror, consideratis, quæ circūstant, tempore & occasione, quibus præfata Discipulis suis dixit Christus: cùm videlicet Sacerdotes crea

tos

tos sacræ Communionis participes fecisset, in hūc sensum allocutus est. Ex hoc vos pro amicis veris & necessarijs habiturus sum: omne enim quod Pater mihi contulit in generatione æternâ, immensos nimirū sapientiæ suę thesauros, plenariam potestatem & infinitum maiestatis suæ splendorem, cæteraque attributa, suam denique diuinitatem: omne hoc, simul cum humanitate, quam ex purissimo virginis Matris sanguine assumpsi, vobis & communicaui & manifestaui, non verbo tenus (sic enim incapaces eratis) sed opere, Corporis mei & Sanguinis Sacramentum impertiendo, eiusdem consecrandi potestatem conferendo. quod cùm dedi; tantum dedi, quantum mihi dedit Pater. & hoc munus largitus sum, quod diuinam in se includit sapientiam & maiestatem, cæterasque virtutes, quibus ipse Deus dominatur. quapropter *omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*. Congruebat certè, cùm suiipsius tantam Apostolis fecisset notitiam, & suorum testes arcanorum elegisset, vt statim subiungeret, *iam non dicam vos seruos, sed amicos*; vobis enim penetralia cordis mei aperui, & quantum dedit mihi Pater, manifestaui vobis. Ioan. 15.

Huic interpretationi fauet Ecclesia, quæ illis ipsis verbis in simili occasione vtitur: ordinatis nimirum Sacerdotibus & SS. Sacramento munitis in Christi nomine ait Episcopus: *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Quod sanè indicat statûs, ad quem sublimati sunt, amplitudinem: indicat amicitiam & familiaritatem, quam deinceps colere cum Chri- Ex Pontificali Romano.

sto.

sto debent: huius quasi arrham receperunt Corpus & Sanguinem Dominicum, eiusdemque consecrandi potestatem: quod pignus in se diuinorum arcanorum thesauros, & omne quod Christo dedit Pater, comprehendit.

Omnia & singula prædicta, plurimùm dignitatis Sacerdotalis excellentiam commendant: sed minùs & longè infra amplitudinem declarata sunt; quòd non tantùm verba deficerent, sed & ipsius intellectus acies nimio splendore obtunderetur: quamuis verò plura quis possit concipere; defutura tamen verba existimo, quibus exprimantur cogitationes: satis ergo visum est breuiter conceptus perscripsisse, in quibus considerationis materiam inuenire quiuis possit.

CAPVT XVI.

Deus à Sacerdotibus strictissimam exiget exerciti muneris rationem: & qui malè functi fuerint, quantis suppliciis sint afficiendi.

§. I.

QVÆ hactenus attulimus, vt Sacerdotum dignitas & maiestas ostenderetur, oneris impositi inferunt magnitudinem & pondus: dicere enim quòd in tali statu homines ipsi non sint plus quàm Archangeli & Seraphini, cum sacratissima Deipara comparentur, Dei filij & appellentur & sint, quilibet tanquam Christus sit & Deus in terra: dicere, inquam, quòd Christus tantùm illis exhi-

exhibuerit honorem & reuerentiam, vt non duntaxat à cubiculis, sed etiam à mensa elegerit, & velut intimis amicis pectoris sui secreta reuelârit: hæc officiorum præstitorum exaggeratio postulat parem meritorum gratiam referri, & dignitatis excellentiæ vitæ institutum adæquari.

Pro quo notandum, quòd sicut Deus in beneficijs conferendis est largus, ita in repetendis strictus sit, & (si dici potest) rigorosus & parcus. hæc porrò ratio, non vt communis illa hominum, instituetur, sed pro suo arbitrio & sententia, vt ait: *Pondus & statera, sunt iudicia Domini*: ita vt qui plus receperit, plus redditurus sit, teste Euangelistâ: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendârunt multum, plus petent ab eo.* Hinc S. Hieronymus: *Vulgus indoctum, in die iudicij tanquam gith & ciminum, corripietur virgâ & baculo: Sacerdotes autem magnis supplicijs torquebuntur. & hoc Domini fiet iudicio, qui ostendit in cunctis mirabile consilium suum, & iustitiæ veritatem, vt qui plus acceperunt, plus exigatur ab eis.* Atque ita practicè in parabola de talentis: vbi seruo cui duo obtigerant talenta, alia duo superaddita sunt; & illi cui quinque, alia quinque. quòd si duo tantùm reddidisset, non solùm non laudâsset, nec præmio affecisset, verùm duobus illis receptis pœnæ adiudicâsset: vt ei contigit, qui vnum talentum restituit, nec superlucratus erat. Hæc videlicet ratio pro Dei subducitur voluntate, vt expositum est.

Deus largus in dãdo, strictus in exigẽdo.

Prou. 16. *Luc. 12.*

Strictior erit ratio cũ Sacerdotibus.

Hiero. sup. Isa. 32.

Matth. 25.

Terribile fuit portentum, quòd Scriptura narrat oblatum fuisse Beltasari Babyloniorum Monarchæ: qui magnificum & regale epulum regni

Exemplũ terribile.

sui magnatibus cùm apparasset; in fine cœnæ viderunt *quasi manum hominis scribentis in superficie parietis aulæ regiæ*: vnde licet magno timore omnes percellerentur, vehementiùs tamen turbati sunt, quòd non esset, qui scriptum legeret, donec Propheta Daniel idipsum explicaret. tria erant verba Chaldaica, *Mane, Thecel, Phares*, quæ significant: *Numerus, Appensio, Diuisio.* Hæc ille sic explicauit: *Mane: numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud. Thecel: appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Phares: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Appenderunt pauperem regem in statera. in ea posuerunt regale diadema & sceptrum, cæteraque insignia, honorem & maiestatem: cumque hæc immensi essent ponderis, non potuit virtus nec officiorum remuneratio æquiualere: quibus deficientibus, ad vitæ interitum, & mortis calamitates damnatus est.

Daniel. 5.

§. II.

Iudicium Dei, strictum.

TREMENDVM certè est ac horribile cogitatu, quàm tristi scrutinio cuiusque virtutes ac vitia Deus examinabit. sicut enim aurum expenditur, sic & homo: aut (vt Glossa) sicut pecunia & metalla examinantur, vtrum debitum adsit pondus, & omnis qualitas requisita; sic & mortalium excutientur actiones. quæ si vna monade seu momento deficiant; iniqui, vt ita dicam, ponderis esse iudicabuntur.

Vnde S. Archangelus Michaël (qui ex Ecclesiæ traditione animas suscipit demigrantes) pingitur libram manu gestans; quo significatur animam

mam de hac vita exeuntis euolare ad ipsum tanquam libripendem: vt examinet, num responderit obligationi status, quem gessit in terra.

Tunc, tunc experiemur, quanti fuerit & quàm immensi ponderis casula illa Sacerdotalis, quæ nobis cùm initiaremur, imposita est; tunc obligationum & vinculorum ex ea dependentium grauitatem sentiemus: certè tunc apparebit, quanta sit habenda dignitas Sacerdotum, cùm tam seuero iudicio benè gestæ testimonia exquirentur.

Hoc ipsum M. Auila, sanctitate morum ac vitæ venerabilis, intellexit. cui cùm diceretur, Sacerdotem quendam recens ordinatum intempestiuâ morte vtpote iuuenem obijsse, percunctatus est, an aliquando celebrasset: respondentibus, Semel, subiecisse fertur: † *Mucholleua, de que dar cuenta.* Non vana opinione veritatem dixisse auguror, & exactissimum super hoc fore examen omnino credendum est. Quod seriò nunc, dum tempus est, æstimare, & expendere actiones nostras non ordinaria fori lance, sed ipsius sanctuarij esse examinandas; pœnitentiæ stimulum, & pietatis conferet incrementum.

Dictum notabile.

†Multum defert ad iudicem.

Aduertendum verò est libram sanctuarij, Scriptura attestante, multo fuisse maiorem illa populi: & reuera medietate tota excedebat: adeò vt ea qua in foro & ad vsus profanos vtebantur, si integra esset & vnius pondo; præ illa sanctuarij medium duntaxat pondo contineret: tanta erat etiam diuersitas inter talenta, modios, reliquasque mensuras. Quia nimirum decet, vt omnes

Libra sanctuarij, maior quã vulgi.

nes illæ excellentiæ supra vulgus in Sacerdote reperiantur.

Origen. homil. 9. in Ios. 3.

Hinc Origenes diligenter considerauit historiam, quæ refert transitum populi Israël per Iordanem, vbi Dei iussu per præcones mandatum est, vt Sacerdotes Leuiticæ stirpis arcam fœderis deferrent, & ne quis inueniretur qui ad illam cuiuscunq; tandem esset dignitatis, accedere præsumeret, sed vt cubitorum duûm millium spatiũ relinqueretur. Quid rei Sacerdos est, nisi arca Testamenti, in qua manna viuificum & legis præcepta requiescunt? Inter Sacerdotem ergo & populum talis distantia requiritur, vt laicorum vita & conuersatio nedum ad duo passuum millia ad Sacerdotalem perfectionem attingat. vnde pro maximo infortunio & ignominia ait Propheta tempus adfuturum, quo Resp. Christiana tantis malorum concursationibus opprimetur, vt inter Sacerdotem & populum nulla sit futura vitæ ac morum diuersitas: *Erit sicut populus, sic Sacerdos.*

Deplorandum est, Sacerdotes nõ esse vulgo meliores. Isaiæ. 24.

Est inter nos hoc malum (dicit S. Bernardus, & potiori iure id ipse dicam) & in tam diuersam à virtute viam retroceditur, vt exclamare possim: *Non sicut populus sic Sacerdos.* Videmus etenim plebeios & proletarios multos, qui maiori virtutum desiderio excitentur, diligentiori ad vitæ ac morum honestatem capessendam studio incumbant, quàm Sacerdotes; in quorum, prô dolor! conuersatione quanta sæpenumerò vitiorum portenta, à quibus ipsa plebs abhorreret, reperiuntur! O Dei atque hominum fidem! quantum dedecus, esse non tantùm viros, sed & mulieres in laicorum

rum grege, qui tam varijs virtutum ornamentis nos præcellant! quanta infamia (& vbi pudor?) videre tot in ſæculo degentes, qui orationi incumbant, miſericordiæ operibus vacent omni denique pietatis exercitio ſe exornent? contrà Sacerdotes vitam inſtituere, prorſus ab omni ſanctitatis ſpecie alienam; adeoque illos bonorum actuum eſſe immemores, quibus officiorum religione adſtringuntur; vt, quod debent vulgo exhibere ſanctimoniæ exemplum, illud ipſum à plebe Sacerdotibus proponatur?

Sentit hoc grauiter, & meritò, D. Chryſoſtomus, vbi ait: *Verè magna confuſio eſt Sacerdotum & omnium clericorum, quando laici inueniuntur fideliores ac iuſtiores: quomodo autem non ſit confuſio eſſe illos inferiores laicis, quos etiam eſſe æquales magna confuſio eſt?* Chryſ. hō. 40. imperf. Idem ſic S. Hieronymus: *Qualis ædificatio erit diſcipuli, ſi ſe intelligat magiſtro eſſe maiorem? vnde Presbyteri & Diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum conuerſatione & ſermone præcedant: quia vehementer Eccleſiam deſtruit, meliores laicos inueniri quàm Clericos.* Hier. in c. 2. ad Titū.

Vt vt eſt, hac menſurâ à nobis ratio petetur, & hac lance trutinabimur: quòd ſi alicubi deficiamus in diuinæ atque humanæ religionis obſeruantia; dicetur nobis quod olim Babylonico Baltaſſari: *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* ac proinde, *diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Regni ſcilicet amplitudo, & præmiorum dignitas, tibi præparata, dabitur meritorum gratiam referenti. quod vltionis flagellum peccatoribus promiſit Chriſtus, cùm diceret: *Auferetur* Matth. 21.

feretur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius : cuicunque populo & genti, si virtutibus operam impenderit, daturus est Sacerdotale brauium. & iure quidē : nam vt S. Hieronymus : *Non dignitas, sed opus dignitatis, Sacerdotes saluare consueuit.* Deus personarum acceptor non est, nec characterem nec dignitatem Sacerdotalem præmio afficit, sed virtutibus quasi stipendium persoluit : atque vbi Sacerdotum merita & rectas operationes inueniet, ibi iusto iudicio Sacerdotalem infulam ac coronam imponet. Hoc testatur Chrysostomus cùm prædictis subiungit : *Laicus, in die iudicij, stolam Sacerdotalem accipiet, & à Deo chrismate vngetur in Sacerdotem : Sacerdos autem peccator, spoliabitur Sacerdotij dignitate.* O rem tristem & deplorandam ! vixisse hominem in summa & sacratissima auctoritate, qui Christo iudice Sacerdotio exuetur, ad inferni triremes damnabitur, & nebulonum infamium consortio addicetur : præmium verò, illi paratum, deuoluetur ad pauperem homuncionem, qui licet miseræ visus sit conditionis, religiosam tamen vitam duxerit, frequenter precationibus se dederit, & meritos Deo decreuerit honores. quod proprijssimè fuerit Sacerdotum.

Præmium aliàs Sacerdoti dādum, ei dabitur, qui eius habuerit sanctitatem

Hier. super Sophon. 3.

Auctor im perf. vbi suprà.

Sapienter idcirco obtemperandum est consilio, quod Euangelista Philadelphiæ Episcopo proponit : *Scio quia modicam habes virtutem : ecce venio citò, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Ita est, ô Patres, & confiteri debemus, paruam in nobis viuere pietatis scintillam : certò item credite, breui, nec opinatò, veniet in iudicium Christus: quamuis enim vniuersalis iudicij tempus incognitum

Apoc. 3.

gnitum mortalibus sit & Angelis; particulare tamen cuiusque procul abesse non potest: sumus enim in vitæ termino, & cùm minimè putauerimus, manus Domini irruet super nos: quotidiè efferri videmus gentiles, & contribules nostros, sine Pœnitentiæ Sacramento, sine vlla ad Deum suiipsius commendatione. Apostolo benè consulenti pareamus, & Sacerdotio annexa virtutum studia amplectamur, ac nos ipsos religione, quâ sumus deuincti, soluamus benè viuendo, *ne alius accipiat coronam nostram.* In altera vita coronam Sacerdotalem promereamus: nam quid prodest in hoc mundo illa insigniri, si supremâ Iudicis sententiâ alteri imponetur?

CAPVT XVII.

Admonentur Sacerdotes, vt obligationi status sui respondeant; & quanta contra facientibus pœna præparata sit: quod Sanctorum sententijs declaratur.

§. I.

SAnctissimus Doctor, Gregorius diuinæ rigorem iustitiæ in exigenda à Sacerdotibus ratione perpendens, in sermone quodam graui & luculento adhortatur illos, vt meminerint, quantum negotij, quid oneris habeant, qui officiorum magnitudini quoquo modo respondeant: *Greg. homil. 17. in Euang.*

Timeamus, inquit, *vehementer, fratres carissimi, & curemus; vt conueniat actioni nostræ ipsum ministerium nostrum, de nostra quotidie relaxatione cogitemus, consideremus sine cessatione quid simus: nempe Sacerdotes. pensemus negotium nostrum; pensemus pondus quod suscepimus: faciamus quotidie nobiscum rationes, quas cum Iudice nostro habebimus.* Magnæ æstimabitur esse prudentiæ, qui præcognitâ Dei in iudicando seueritate, eandem præuenerit, nec imparatus præstolabitur: præsertim cùm iudicij dies, Deo ipso admonente, cùm minimè cogitauerimus, adfutura sit: *Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.*

Sapienter præuenitur ratio ineunda.

Idem S. Gregorius quod suprà, alibi verbis notatu dignis, recenset; ait enim: *Sanctum Euangelium, fratres carissimi, sollicitè considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse cernimur, ab auctore mundi grauiùs inde iudicemur: cum enim augentur dona, rationes etiam augentur donorum.* Rectè hortatur nos id sollicitè considerare debere, atque ita pigritiæ veterno excuti; ne contingat, vt honor in hac vitâ nobis delatus & neglectus, in pœnæ conferat grauitatem; & dignitatis nostræ amplitudo, maiorem causet ruinam. equidem tantò erit illa maior, quanto status, ad quem euehimur, fuerit excellentior. Hoc euidenter diuinus Bernardus: *Si altiorem & non meliorem esse delectat; non præmium sed præcipitium expectamus.* Iam ex præcedentibus patet, Sacerdotalem dignitatem summam esse, quæ in Ecclesia possit reperiri: ergo videndum est, vt honorem illum non solùm datum, sed etiam creditum ac commissum putemus?

Gregor. homil. 9. in Euang.

sic

ſic in præſtantiſſimo verſemur munere, vt omnium oculos in nos coniectos arbitremur: vt nos, & munus noſtrum, quaſi in aliquo orbis terræ theatro verſari exiſtimemus: vt omnia ſemper, quæ iucunda, & vel honeſta nobis videntur, non modò extraordinarijs cupiditatibus, ſed etiam ipſi naturæ ac neceſſitati denegemus: ſi enim minus; non præmium, ſed ſupplicium, propediem imminere firmiter nobis perſuadeamus. Quemadmodum verò ex altiſſimâ rupe præcipitari, maximè periculoſum eſt; ita in æterno ſalutis diſcrimine periclitantur Sacerdotes, ſi è ſanctitate vitæ & innocentiâ, in peccati abyſſum præcipites ruant. id aſſerit S. Hieronymus: *Grandis dignitas Sacerdotum; ſed grandis ruina eorum ſi peccent: lætemur ad aſcenſum; ſed timeamus ad lapſum: non eſt tanti gaudij excelſa tenuiſſe, quanti mœroris de ſublimiori corruiſſe.* Quod confirmat & D. Auguſtinus, vbi dicit: *Sicut nihil eſt in hac vita beatius Presbyteri dignitate, ſi eo modo militetur, quo imperator noſter Chriſtus iubet; ita nihil eſt apud Deum triſtius, miſerabilius & damnabilius, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur.* His aſſentitur, melle dulcior, Ambroſius in hunc modum: *Sicut nihil eſt Sacerdote excellentius, ſic nihil eſt miſerabilius ſi de tanta vita periclitetur: ſi Sacerdos in crimine teneatur: quia vt leuius eſt de plano corruere, ſic grauius eſt de ſublimi cadere dignitate: quia ruina quæ de alto eſt, graui caſu colliditur.*

Hiero. lib. 13. in cap. 43. Ezech.

Aug epiſt. 248 & refertur cap. Ante omnia. 40. diſt.

Ambr. lib. de dignit. Sacerd. cap. 3.

Notandum eſt cùm ait: *Si de ſancta vita periclitetur.* Nam Sacerdoti magno vitio vertitur, ſi in eo quid de morum probitate, ad quam tenetur, deficiat; nec enim æſtimare debemus ſtatum il-

Sacerdotem non eſſe ſanctum, malum eſt.

 lum,

lum, quasi communis vitæ instituto contentus sit, oporteat; sed talem tamque sublimem, vt, nisi Sacerdos omni sit virtute exornatus, aut saltem in virtutis studium strenuè incumbat; periculum sit immanis ruinæ, ob imminentem exactoris rationem, quæ pro dignitatis amplitudine exigetur.

Iuxta hanc doctrinam, non ineptè commentabimur, Sacerdotes esse duos illos calathos ficubus plenos, quos ante Domini templum conspexit

Ierem. 24. Ieremias: Sacerdotum enim est, præ foribus Ecclesiæ vigilare, & cultui diuino assistere. Porrò de calathis cùm percunctaretur Deus Prophetam quid videret, respondit: *Ficus, ficus bonas, bonas valdè: malas, malas valdè, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ.* Hoc prorsus ad rem facit: sicut enim nihil præstabilius, quàm Sacerdos sanctitate venerabilis, qui officij ac status sui religione se exsoluit; ita nihil adeò detestabile & diuinæ maiestati abominandum, quàm Sacerdotem dari, qui dignitatis suæ immemor, profanis se totum dedat cogitationibus, & mundanis intricatus negotijs cælestium exercitiorum curam nullam habeat.

Cap. Vilissimus. 1. q. 1. istum sic censet Papa Symmachus: *Vilissimus computandus est, qui est honore præstantior, nisi etiam præcellat scientia & dignitate.*

§. II.

Dion. Carthus. lib. de 4. nouiss. art. 47. MAGNVM timorem incutere debet reuelatio, quam Dionysius Carthus. lib. de 4. Nouissimis refert, aitque Religiosum quendam Anglum, raptum in spiritu, deductum esse ad supplicia

cia Purgatorij visenda, & inter cætera horribilia summopere fuisse admiratum, quòd tam paucos ibi conspiceret Sacerdotes, *respectu eorum, qui vbique terrarum castimoniam polluunt*: respondisse verò Angelum: *Quia vix aliquis talium veram habet contritionem, idcirco pænè omnes huiusmodi æternaliter condemnantur.* Sunt ergo Sacerdotes qui innocentiam coluerunt, & illi aut statim cælos adscẽderunt, aut breuissimo tempore purgationis igne mundati sunt: sunt item qui ab omni pietatis opere abhorruerunt, & in voluptatum ac cupidinum cœno demersi, suâ turpitudine Sacerdotale decus fœdârunt: his perrarò, ob summam ingratitudinem, Pœnitentiæ concessum est Sacramentum; ideoque plurimi æternis supplicijs sunt addicti.

Enimuerò ne hæc sine ratione aut fundamento dicta videantur; adducam S. Chrysostomi super hoc iudicium; cuius quoties verba lego, & nunc dum scribo, totis artubus ac mente contremisco: quia nimirum ex ore fluxerunt istius Sancti, qui diuino quodam afflatus Spiritu hæc perscripsit: *Non temerè dico, sed vt affectus sum ac sentio: non arbitror inter Sacerdotes esse multos qui salui fiant, sed multò plures qui pereant: in causa est, quoniam res excelsum requirit animum, & innumeris oculis illis opus est vndique.* Hîc aduerte, quod obijci fortè potuisset, hoc occupatum fuisse, cùm præponit, *Non temerè dico*, id est, ne quis à me hoc ita dici existimet, quasi è libidine mea proferatur: sic verò dico; prout exploratum mihi esse firmiter scio. Quod & vnusquisque nostrûm procul dubio fa- *Chrys. hõ. 2. in Act. Apost.* Sententia horribilis.

 tebitur,

tebitur, si rem altiùs inspexerit. Etenim si expendamus Sacerdotalis officij excellentiam, & quanta isti muneri sit annexa sanctitatis operatio, (vt infrà ostendetur) si cogitemus quàm incorrupta exactio instituetur: at ex altera parte inueteratas vitæ nostræ consuetudines discutiamus, debiles in virtute progressus, & infirmos ad pietatem conatus; paucos saluari minimè videbitur obstu-

Matth. 19. pescendum. interrogemus itaque cum Apostolis admirabundi: *Quis ergo poterit saluus esse?* & quid respondebimus? quod vtique suis Dominus respondit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*: viribus humanis nemo id assequetur, sed gratia Dei quæuis potest: quæ facienti quod in se est, nunquam denegatur.

De diligẽtia admonemur in 2. *Petr. 1.*

Ad hanc cum diuinâ gratiâ cooperationem, luculentè nos adhortatur Primipilus Apostolorum Petrus: *Quapropter*, inquit, *fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Saluatoris Iesu Christi.* In hoc, Patres, omni neruorum contentione elaboremus: nihil enim est, quod tantam requirat diligentiam & assiduitatẽ, quin imò cætera omnia nugatoria quodam modo sunt & futilia: tota autem vigilantia includitur in τῷ *magis satagite.* vt nimirum intelligamus, non mediocri tantùm studio esse incumbendum, sed quanto fieri potest: adeò vt his qui sibi persuadẽt strenuam sese dare operam, nec tamen reipsa id efficiunt, dicatur *magis satagite*: quo admonentur maiori conatu eniti, & vigilantiores esse: nullus

quippe

quippe excipitur, quin certam facere vocationem suam teneatur.

Vocauit nos & elegit Deus, ex omnibus gentibus, vt eminentissimâ Sacerdotij dignitate fungeremur: quod certè noluit esse causam, vt damnationis æternæ pœnas subiremus (nec enim morte peccatoris, aut hominum perditione, delectatur) sed vt Sacerdotale præmium, in cælo, benè fungentibus, retribueret, nisi fortè scelerum conscientiâ nos illo spoliaret. Incumbit vnicuique nostrûm, hanc electionem certam facere, fortiter in hac vitæ arenâ decertando, virtutum nos armis defendendo, & infra conditionis nostræ amplitudinem nihil committendo: sic nempe cælestis ille Agonotheta, finito certamine, brauium æternitatis imponet. Amen.



TRACTATVS II.

De Perfectione Vitae, et Sanctitate,

Qua status sui magnitudini respondere Sacerdotes tenentur, & de quibusdam virtutibus quæ illis maximè conueniunt.

CAPVT I.

De altissimo virtutis & sanctimoniæ gradu, quem Sacerdotalis dignitas postulat. quod ex præcedentibus deductis infertur.

QVÆ præallegata sunt, cùm veritate summa non careant, cùm certum item sit, rationem à Sacerdotibus strictissimam esse exigendam, quòd in amplissima dignitate fuerint collocati; rectè me facturum existimo, si viuendi modum, & virtutes ipsis proprias, enucleatè persequar, quibus obligationi suæ respondere, & soluere se religione possint. Quod vt commodè fiat, suffecerit præcedentia compendiosè referre; his enim ad duas euidentes præmissas reductis: benè sequitur vitæ innocentia & mundities, cui obligantur. sit itaque

Prima

PRIMA PROPOSITIO.

Sacerdotium, est summa dignitas, & res excellentissima, quam in rerum natura Deus instituit.

SECVNDA.

A Sacerdotibus ratio petetur exactissima secundùm statûs obtenti amplitudinem, & beneficiorum, quæ à Deo receperunt, quantitatem.

Ex his in bona consequentia infertur, Sacerdotes ad summum perfectionis apicem conari debere, quantum in hominis sit potestate: adeò vt sanctitas Sacerdotum, instar normæ sit, ad quam actiones suas cæteri quicunque comparare teneantur.

Sacerdotibus incumbit ad summum gradum sanctitatis conari.

Hinc Doctor Areopagita cùm vellet Religiosos & Monachos ad virtutis amorem inflammare (licet innocentiæ viderentur speculum, & sanctimoniæ perfectissimum exemplar; vt constat ex vitis Patrum & Collationibus Cassiani, multisque locis Hieronymi, Augustini, Gregorij, aliorumque Sanctorum, qui heroicarum istius æui virtutum testes sunt ac præcones) cùm vellet, inquam, stimulos illis addere, aiebat tantà debere esse præditos sanctitate, ac si de Sacerdotum numero censerentur.

Dionys. lib. de cælesti Hierar.

Sanctus porrò Chrysostomus quàm magnificè loquitur & confidenter? *Monachorum*, inquit, *certamen ingens & labor multus est: verùm si conferre quis volet instituti illius sudores cum rectè administrato Sacerdotio; certè tantum esse inter duo illa discrimen comperiet, quantum est inter priuatum & regem.* Hoc etiam optimè multi Anachoretæ intellexerunt, qui etsi forent integritate & religione il-

Monachis sanctiores debent esse Sacerdotes.

Chrysost. lib. 6. de Sacerd.

Multi Sancti, noluerũt esse Sacerdotes.

ne illustres, ad diuinas reuelationes extollerentur, prophetico excellerent spiritu, Sacerdotio tamen initiari prorsus noluerunt, fugiendo & abscondendo se; & rationes excogitando, quæ nobis ineptæ ac absurdæ viderentur. Verùm hoc audebant singulari Spiritûs sancti impulsu, qui mentes illorũ illustrabat, vt percipere possent facilè, quantâ sanctitate munus tantum deberet sustineri, vtque sibi persuaderent, quamuis magnas haberent virtutes & incredibiles; nullam tamen esse in se, aut satis amplam, aut claram, aut illustrem denique satis dici fingique posse, quæ digna tam diuino ministerio iudicaretur. Patet id in Abbate sanctissimo Isaac, qui cùm in monasticâ versatus disciplinâ sic factus esset ad omnem animi moderationem, & vitæ innocentiam, nullæ vt eum vnquam cupiditates à concepta semel integritate & virtutis studio deducerent; & iam omnium in Scythi consensu monachorum initiandus eligeretur; tamdiu in specu delituit, donec Deo inspirante est repertus: qui de cælo hanc fluere ordinationem meritò arbitratus, subiecit se eligentium voluntati. Similiter sanctissimi PP. Antonius, Hilarion, Macarius, Arsenius, & gloriosissimus Patriarcha Benedictus, innumerique alij, quorum magna & præclara in publicam omnium vtilitatem virtutum exstant officia & monumenta pietatis, quique in terris Angelicâ quasi puritate vixerunt; Sacerdotalem ambire insulam, ex se nunquam ausi sunt.

In Vitis PP. par. 2. §. 21.

S. Franciscus noluit esse Sacerdos.

Seraphicus Franciscus, iam Diaconus, multùm rogatus est Fratrum interpellatione, vt Sacerdo-

tium

tium susciperet: ille ergo quadam vice super hoc, vtrum sine periculo id faceret, meditabũdus incedens, apparentem sibi Angelum vidit, qui manu phialam crystallinam ostendens, liquore plenam clarissimo, videntem sic allocutus est: Francisce, tam puram, sicut hic est liquor, decet animam esse Sacerdotis. tanta verò erat resplendentis liquoris claritas, vt vir ille sanctissimus, de Sacerdotio præsumere non auderet.

Abbas etiam Theodorus spectatâ & nobilitatâ virtute, Diaconus cùm esset, nunquam vt ministerio suo fungeretur, adduci potuit: cùm verò multis eò rationibus impelleretur, orationi se dedit, si fortè diuinæ voluntatis argumentum illuceret: & ecce apparuit oranti columna ignis ad cælum vsque pertingens, ac vox audita: Si instar columnæ huius igne flagras caritatis; ministerio fungere Diaconatûs. quo viso ac audito, persuasus est nunquam illud exercere; nec, vt tangeret calicem, potuit vnquam permoueri. *In Vitis PP. 2 par. de humil. ante medium.*

Plura suppetunt exempla, quæ temeritatis nostræ atque audaciæ redarguunt inconsiderantiam. nos quorum animus tam angustus est ac humilis, tantisque interdum oppletus tenebris ac libidinum sordibus, virtutis vt splendorem intueri non possit, ad tam cæleste adspirabimus contubernium, tantis nos vltrò honoribus offeremus? quæ porrò virtus, quis animus ad pietatem ijs inest, qui sine Maiorum consulto, aut Superiorum auctoritate, suâ ipsi libidine tantam ambiunt, ac inuadunt quodammodo, dignitatem? scilicet hunc *Non facilis, ad Sacerdotium sit promotio.*

inter

inter & Reipublicæ quemlibet statum maxima discrepantia non reperitur. Certè qui sapientiæ pariter ac sanctitatis laude floruerunt, & quibus purgatior paullò auris (quippe qui cælitus, quanta esset oneris magnitudo agnoscerent) longè secùs iudicârunt.

S. Ioannes Chrysostomus, cuius (vt hîc eum laudemus) diuina atque eximia virtus magnis populi Christiani luctibus funeribusque subuenit, omnis memoriæ clarissimum lumen: hic talis ac tantus, multo tempore in latebris hæsit, & omnẽ declinandi Sacerdotij modum vestigauit. Eodem spiritu & sanctâ submissione, sex de Sacerdotio libros Magno Basilio familiari suo inscripsit: in quibus efficacissimis rationibus atque elegantissimo stylo dignitatem persequitur Sacerdotum, & vitæ, quam eos decet instituere, paræneſim longè præclarissimam, inter cætera sic commendat: *Necesse est, Sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret.* Item aliàs: *Sacerdotis animum, Solaribus radijs puriorem esse oportet, vt dicere illi liceat, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus; ne quando desolatum illum Spiritus sanctus relinquat.* Denique, cùm instaret S. Basilius, vt sacris initiaretur, sic respondit: *Necdum horrescis quòd ad tale ministerium me niteberis inducere? indutumq́; sordidis vestibus Sacerdotum inserere dignitati, cùm talem Christus à conuiuantium congregatione separauerit? splendore etiam vitæ, totum illuminantis orbem, fulgere debet animus Sacerdotis: noster autem tantis operitur tenebris malæ conscientiæ, vt incuruetur semper, nec ad Deum audeat respicere. Sacerdotes item sales terræ*

erræ sunt: nostram autem insipientiam quis queat facilè ιstinere?

Multa huiusmodi ijs libris continentur, quæ huic proposito seruiunt: vnde suprà quasdam sententias deprompsimus: & deinceps aliquas excerpemus, cùm ad rem facere videbuntur. *Tract. 1. cap. 5.*

CAPVT II.

Declaratur magis speciatim perfectio & sanctitas, cui Sacerdotes adstringuntur: vnde plus operæ ad eam sibi comparandam ponere tenentur.

§. I.

EX dictis benè infertur, vt Sacerdotium rectè administretur, sanctitatem requiri maximam. quod clariùs videbitur, si in particulari magis rem ipsam examinemus. Si enim Sacerdotis ministeria longè munus S. Præcursoris excedant: & si ad illud obeundum talem elegerit Deus, qui excellenti esset virtute præditus, sanctificatus priusquàm nasceretur, ab ineunte ætate cultor deserti, asperrimæ sic deditus vitæ, vt Angelus potiùs quàm homo videretur: quæ vitæ innocentia, quæ religio ac probitas in Sacerdote requiretur, si ad dignitatis amplitudinem virtus debeat comparari? Etenim si veritatem dico, quod dignitas Sacerdotis (vt SS. Patres asserunt) eminenter cælestium spirituum excellat dignitatem; quis me ineptire arguet, cùm illum in vitæ sancti-

Dignitati Sacerdotum, adnectitur sanctitas.

Tract. 2. c. 7.

sanctitate ac munditiâ parem Angelis esse volo, quos ipse muneris sui auctoritate & præstantia antecellit? Præterea si quilibet Sacerdos, est quasi Christus, & Deus in terra, & claues cæli recepit quibus summam imperij vim, ligandi scilicet atque soluendi habet potestatem (quod soli Deo propriè ex naturâ tribuendum) cui mirum videbitur, si dixero Sacerdotes Christo debere assimilari, & quantum humana fragilitas concedit, diuinarum in se virtutum exprimere excellentiam? Denique si Sacerdotes omnes suâ Christus prædicatione in amicos & commensales perpetuos adoptârit; quæ absurditas, postulare vt veste semper induantur nuptiali? certè quotidie epulis istis fruuntur, ob quas eos felices vocat Euangelista. *Beati*, inquit, *qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* (*Apoc. 9.*) Igitur cùm honorificè excipiantur; omni decoro accumbant, & similes Deo reddantur, à quo ad tam diuinam mensam sunt inuitati. Huic adstringi à Spiritu sancto videntur, cùm dicit: *Quando sederis, vt comedas ad mensam potentis, diligenter attende quæ apponuntur tibi: & sic mitte manum tuam, sciens quia talia oportet te præparare.* (*Prou. 23.*) Hunc locum sic legunt Septuaginta Interpretes, & SS. Doctores, Ambrosius, Augustinus, aliique; ac de mensa Venerabilis Sacramenti intelligi volunt, quæ meritò mensa potentis & diuitis appellatur: nam omnes thesauri & tota Dei potentia insumi debuerunt, vt tam magnificum ac regale epulum pararetur. (*Amb. lib. 1 offic. c. 31. Aug. tract. 47. in Ioã.*) admonetur autem conuiua, *Mitte manum tuam, sciens, quia talia oportet te præparare.* Deum immortalem! homunciones miserrimi, ac prorsus inopes

tale

tale poterunt conuiuium apparare? an fortè simi-
le condent Sacramentum? quod negatum est Angelis, poterit homo? soli id Dei potentiæ, fateor, reseruatum: nec aliud sibi hoc vult, vt Augustinus declarat, quàm, sicut Saluator noster ardentissimo flagrans amore nobis quietem suis laboribus, libertatem suâ seruitute, vitam denique suâ morte peperit; ita Sacerdotes, qui in mensa sacratissimâ Deum verum, eundemque salutis suæ assertorem, recipiunt, tanto inflammari debere caritatis incendio, vt periclitante Dei honore, sanguinem ac vitam profundere haudquaquam vereantur. istâ caritate, quæ virtutum omnium parens ac regina meritò æstimatur, quantum fieri potest, ipsius Christi studeant assequi sanctitatem, & præsertim eam imitari conentur, cùm ad diuinam Sacramentorum functionem accedunt.

§. II.

EST de vobis, Patres amplissimi, de me est, quod scribo, maximo cum pudore ac tremore: nimirum quia video inter nos plures, qui ne minimùm quidem satisfacere tot officiorum constricti vinculis satagunt. Cùm oculorum intendo aciem, vt innocentiam ac puritatem muneri nostro annexam contempler; illa perstringitur, nimioque splendore hebetatur: & eò perducor, vt istam Solaribus radijs, gloriosi Præcursoris sanctitati, Angelorum munditiæ, ipsius denique Vnigeniti Dei debeam maiestati comparare. Cùm verò reductis luminibus, prono adspectu, mores plurimorum cerno deprauatos, consuetudines

tanquam alteram naturam, radicatas; suffundor ignominia, confusione percellor, nec video qua ratione, quo titulo Sacerdotis nomen, multoque minùs Sacerdotij ambire dignitatem audeamus. Cùm item perpendo hac mensurâ rationem omnibus esse reddendam, concutior tremore, & neutiquam admiror, si pro paucis faciet sententia iudicantis. O Deus, tu æquitatis es arbiter, fateor: sed & clementiæ tibi vindicas bonitatem: ergo solitâ, obtestor, pietate & misericordiâ, scelerum nostrorum reatus tege, ac totius negligentiæ maculas tuæ passionis merito absterge.

1. Corinth. 4. *Non vt confundam vos, hæc scribo; sed vt Patres meos carissimos moneo.* Minimè intendo Sacerdotum infringere animos, vt quasi desperabundi de assequenda statûs sui perfectione, exercere desinant quod cœperunt: id enim temerarium foret & absurdum. sed per Iesu Christi viscera hortatum eos venio, vt in eam rationem incumbant, qua multi sanctitate floruerunt: recordentur virtuti se, non desidiæ; continentiæ, non voluptati; pietatis exercitio, non otio esse natos: meminerint se in summum honoris fastigium euectos; ideoque strenuis animis elaborandum esse, vt restinguant malarum affectionum æstus, perditos mores in melius emendent, cum feruore saluti suæ inuigilent: sic namque mentes humanæ cælestium bonorum pluuia irrigantur, ac gratiâ Dei cooperante (quæ petentibus non negatur) officiorum se vinculis & religione soluunt.

Ne concidant animo Sacerdotes.

Etsi verò summa sit dignitas Sacerdotalis, vt satis ostendimus; non idcirco timore debent corripi

ripi Sacerdotes, vt desinant obire ministerium, cui sua ipsi voluntate se deuouerunt, & ad quod à Deo assumpti sunt: sed maiores debet hoc addere animos, vt variarum virtutum ornamentis circumdati, dignè idipsum valeant exercere. Quòd si cælestium donorum affluentia deficiente, nondum perfectè illis cingimur; saltem in votis illa habere, & vitiorum sordibus eliminatis ad integritatem anhelare, atque humilitatis studium amplecti desiderio oportet, quantum in nobis erit. quod perfectionis desiderium, si sincerum est & efficax, ac cum diligentia coniunctum, à Deo meritorium & laudabile reputatur. & duos hos effectus in omnium animis, conditionis nostræ amplitudo, & sanctitas requisita, operari debet.

Altitudo Sacerdotij excitare debet ad meliorem muneris functionem.

Sententia fuit Zenodoti, quæ ob famæ celebritatem Græcis meruit inter Adagia reponi: *Summum apprehende, & medio potieris.* Tullius item ad M. Brutum de Oratore perfecto, cùm vellet fingere & exprimere Oratorem summum, tantas ait ei necessarias qualitates, vt nec inueniatur, aut vnquam inueniendus sit, qui omnes in se esse possit confiteri. Dicit tamen neminem ob id desperatione debilitari debere, quòd propositum se assequi posse diffidat: sed illi, quē aut natura sua, aut præstantis ingenij vis fortè deficiet, tenendum esse cursum quem poterit. ait enim: *Par est omnia experiri eos, qui res magnas & magnoperè expetendas concupiuêre.* * *& prima sequentem, honestum est in secundis tertijsq́; consistere.* Pari ratione, bonum, imò optimum, Sacerdotem qualem quantumque fingere non deceret? vnde illud ipsum, quod in tali est

Cicero Orator.

Vt quis bonus sit Sacerdos, maximè laborādū.

optimum, desperandum non est: nam in præstantibus rebus, magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima: quòd si secundi, aut infra secundos, esse non possimus, medium saltem locum teneamus. Hoc est, cuius admoneo, dum Sacerdotij dignitatem & sanctitatem ostendo: illud tamen quod hactenus est dictum, minus est pro rei maiestate, & quam longè ampliorem cogitatione tantùm & mente complecti debemus. Finio verbis S. Basilij, qui postquam Sacerdotes muneris sui & puritatis seruandæ memores reddidisset, hac, ex Apostolo sumptâ admonitione concludit: *Cùm has itaque promißiones habeamus, dilecti, repurgemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficientes sanctificationem, in timore Dei: nec vllam aliqua in re dantes offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus commendemus nos ipsos tanquam Dei ministros.*

Basil. homil. 2. de Baptismo, cap. 2. 2. Cor. 7.

CAPVT III.

Sacerdotes excellere plebem tenentur in sanctitate vitæ: & regiâ spiritus nobilitate debent esse conspicui.

§. I.

QVOD voluimus esse vitæ Sacerdotalis institutum, nonnullis strictum nimis ac difficile fortassis videbitur. re etenim verâ, arduum prorsus apparet, ab homine infirmo, in peccatis concepto & nato, S. Baptistæ postulare virtutes. cùm ille

ille in matris vtero ſanctificatus, & tam inuſitato Dei fauore præuentus ſit: flagitare item ab eo, qui carne cingitur mortali, cæleſtium munditiam Angelorum, aſperum ac durum deputatur. Vnde, quamuis præallegata veriſſima ſint; pro noſtro tamen ſolatio minus aliquantulum exigemus, eam nimirum vitæ integritatem, quæ in veteri ege à Sacerdotibus exigebatur. quod certè moderatum erit omnino, cùm Sacerdotium noſtrum ſtud antiqui Teſtamenti longiſſimè poſt ſe relinquat: tum etiam quòd conditiones omnes ab illis requiſitæ, probitatem his ſectandam denotaent. Enimuerò ſi tunc omnia, teſte Apoſtolo, in iguris contingebant; igitur ea maximè quæ ad acerdotij miniſterium ſpectabant. hinc SS. Pares, quæ tunc Sacerdotibus conueniebant, nunc naximè conuenire ſenſu myſtico arbitrantur. ſic DD. Hieronymus & Gregorius id magis ſigillaim perſequuntur.

1. Cor. 10.

Hier. epiſt. ad Fabiolam.

Gregor. in paſtor. lib. 2. c. 2. & 3. & l. 1. regiſtri c. 24.

Primò itaque præcepit Deus, vt è duodecim ribubus filiorum Iſraël, vna Leui eligeretur, uæ à plebe diſiuncta, cultûs diuini miniſteria ubiret: *Eo tempore ſeparauit tribum Leui, vt portaret rcam fœderis Domini.* hinc elicitur vna conditio, ua multum Sacerdotibus noſtris neceſſaria à populo ſeparatio probetur: id eſt, vt nullis popularibus cogitationibus intenti, nullis intricati cupiitatum impedimentis, excellentiorem quandam itæ rationem perſequantur. hoc enim per hanc gregationem intelligi, ſic declarat Ambroſius: *des in Sacerdote nihil plebeium requiri, nihil popula-, nihil commune cum ſtudio atque vſu & moribus multitu-*

Deut. 10.

Sacerdotes à plebe ſint ſeparati.

Ambr. l. 1. epiſt. 6. ad Irenæum Pythag.

titudinis. sobriam à turbis grauitatem, seriam vitam singulare pondus, dignitas sibi vindicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari à populo, qui nihil habet separatum à populo, dispar à multitudine? Quis enim in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniat? si quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendit? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, ac vulgaris semitæ solum declinemus. Huc accedit Origenes super hæc Ieremiæ verba: *Solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.* ait enim: *Quando vitam multitudinis imitamur, nec conuersatio nostra à populo est melior; non possumus dicere, Solus sedebam: sedemus quippe cum plurimis. quando autem vita nostra fuerit talis, vt nullus nobis sensu, sermone, gestu coæquetur; tunc possumus dicere, Solus sedebam, sicut dixit Ieremias Sacerdos.*

Orig. hom. 11. super Ierem. 15.

Doctrina notabilis ex Conc. Trid.

Conc. Triden. sess. 14

Eandem doctrinam, de Sacerdotum dignâ & sanctâ suprà plebem conuersatione, confirmat mirificè Concilium Trident. in proœmio sess. 14 cuius titulus est: *Quòd clerici laicos in vita, sicut in officio, præcedant.* in quo capite inter cætera hoc commendatur: *Moneant Episcopi suos Clericos, vt conuersatione, sermone, scientia, Dei populo præeant, memores eius quod scriptum est: Sancti estote, quia & ego sanctus sum: & iuxta Apostoli vocem, nemini dent vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium eorum: sed in omnibus exhibeant se sicut Dei ministros, ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis, Sacerdotes Dei contaminant Sancta, & reprobant legem.* Et post idem repetit in hunc modum. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat,*

Sess. 23. c. 1

quàm

quàm eorum vita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicârunt. Cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos tanquam in speculum reliqui oculos conijciunt, & ex eis sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Dei vocatos vitam moresque suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus, nihil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præ se ferant. Leuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cùm igitur quo maiori in Ecclesia Dei & vtilitati & ornamento hæc sint, ita etiam diligentiùs sunt ab ipsis obseruanda.

Hactenus Concilium, vbi sanè multa sunt dignissima, quæ altâ memoriâ reponantur, vt secundùm hæc vitæ suæ instituant actiones.

§. II.

VOluit ergo Deus, Sacerdotalem familiam à reliquis olim seiungere, & cultui suo dedicatam nobilitate excellere, liberamque esse à vectigalium onere & tributorum. Hoc ipsum nūc maiori iure à suis Sacerdotibus postulat: sint nimirum alta quadam mente præditi, & animos generosos induant. non ago de vanis maiorum titulis & exteriori libertate quam tantoperè ambiunt ac venerantur homines laici (licet etiam ijs gaudeant, & exemptionibus suis ac immunitatibus fruantur) hæc enim minoris sunt momenti. Sed spiritalem commendo nobilitatem, & liberos affectus, quibus negent vectigal dæmoni, carni, ac mundo: generosas commendo cogitatio-

Sacerdotes à Spiritu nobiles sint.

tiones, quibus superna vestigent, & terrena altis sordibus immersa proletariæ multitudini relinquant, ac fateantur cum Apostolo, *Nostra conuersatio est in cælis*, nos cum illustri Angelorum gente commercium habemus, quippe nobiles nobilibus adhærescunt. Tales esse Sacerdotes affirmat S. Petrus: *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes eius annuncietis, qui vos de tenebris vocauit, in admirabile lumen suum.* *Genus* dicit *electum*, non per carnem & sanguinem, sed nobilitate spiritûs & adoptione filiorum Dei, simile ei animi munditia & claritate. *Regale Sacerdotium*: Reges esse oportet, vt in prauas mentis affectiones dominemini, & corporis libidinem reprimatis: vt in omni actu legẽ impleatis diuinam, & ad rectæ rationis dictamen vitam comparetis. vestri rectores cùm estis, populo item operibus bonis ad exemplum imperatis. Reges terræ vos appellat, quòd terrenas delicias contemnatis: Reges hominum, quòd in illos, Deo tantùm fæcundi, spiritali vtamini potestate, quæ longè maior est ac præstabilior eâ, quam Principes huius mundi in subditos gaudent exercere. quid vltrà? ipsi vobis dæmones parẽt, & vestram auctoritatem verentur. tanta cum Deo vobis constituta est necessitudo, vt ad nutum vestrum cælo delapsus suorum se sistat manibus Sacerdotum. Vos denique quia regali eminetis Sacerdotio, coronam, quod regni insigne est, in vertice gestatis. Pro tanto merito, gratiam Deo refert Euangelista: *Quia fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Hoc etiam sibi

Philipp. 3.

1. Pet. 2.

Sacerdotes quî Reges sint.

Apoc. 1. & 5.

ſibi reliquiſque Sacerdotibus adſcribit Nazianzenus: *Imperium enim nos ipſi gerimus, multò etiam præſtantius & perfectius regno terreno.* tam illuſtri loco ſunt Sacerdotes, vt ſe & Reges appellent & habeantur. Addit Apoſtolus: *Gens ſancta*, quæ conſecrata & diuino cultui ſit deuota, quæ annunciet virtutem, & Dei prædicet maieſtatem. *Populus acquiſitionis*: quem ſibi Deus, ſanguinis ſui pretio, comparauit. *Greg. Nazian. orat. ad ciues Naz.*

Mirabile eſt, Deum voluiſſe, qui miniſterio ſuo Sacerdotes legerentur, nobiles eſſent & animo illuſtri, (vt iam dictum eſt) at nonnè videmus id facere reges terrenos, quorum à conſilio aut cubiculis ij tantùm eſſe poſſunt, qui generis ſplẽdore aut adſcitâ ſaltem nobilitate antecellunt? Mandauit olim Nabuchodonoſor vt Aſphenez præpoſitus Eunuchorum *introduceret de filijs Iſraël & de ſemine Regio, & tyrannorum, pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros formâ, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientiâ, & doctos diſciplinâ, & qui poſſent ſtare in palatio Regis, * vt enutriti tribus annis, poſteà ſtarent in conſpectu Regis.* Quis ergo demirabitur, à Rege Regum & omnium Domino eligi Sacerdotes, qui è ſtirpe regia virtutum ſint, & eximiâ animorum pulcritudine eluceſcant? *Dan. 1.*



CAPVT IV.

Sacerdotes, omni debent macula ſpiritali carere, ad exemplum eorum qui in veteri lege Sacerdotes eligebantur.

NOn ſatis viſum eſt Deo, vnam è duodecim tribubus elegiſſe, hanc ſuo iuſſu à plebe ſegregatam eſſe, ſingularibus gaudere priuilegijs, & omni aliâ curâ ſepoſitâ diuino cultui ex integro eſſe mancipatam: non id ſatis, inquam, ſed plura exegit, vt quiſpiam ex iſta tribu, Sacerdotali munere fungeretur: vt videre eſt in lege, & præſertim 21. & 22. Leuitici: vbi multæ requiruntur conditiones: inter cæteras hæ, 21. *cap. Homo de ſemine Aaron, qui habuerit maculam, non offeret hoſtias Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede vel manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel herniosus.* Et ſicut certum eſt, quantum ad ſenſum literalem, legem hanc exoleuiſſe, & plures defectus ibidem enumeratos paruo fore impedimento, quo minùs aliquis nunc initiaretur: ita conſtanter dicendum per minutiſſimorum defectuum expreſſionem, Deum ſignificâſſe, eum, qui futurus eſſet Sacerdos, vitæ innocentiâ & ſingulari mentis puritate excellere debere: nec in illo reperiri poſſe vel minimam morum deformitatem, quæ exoſum eſſet redditura. ita commentantur SS. Hieronymus & Gregorius, alijque. A Deo vide-

Leuit. 21. & 22. Conditiones requiſitæ ad Sacerdotiũ antiquũ.

Hieron. & Greg. vbi ſupra.

delicet, quoad hoc munus, cæcum excludi; quòd indignum sit prorsus ac ineptum, eum Sacerdotem esse, qui nullâ sit eruditione atque doctrinâ illustratus, & cælestem Theologiæ disciplinam vixà limine salutârit. Reijci verò claudum; quia vult Sacerdotes esse, qui viam virtutis summâ celeritate persequantur. Fracto pede aut manu debilem; quia decet, agiles sint, qui optimis exercitijs incumbant. Gibbum; quia eorum abhorret conuersationem, qui ad hæc terrena deuexi voluptatum in cœno volutantur; illosque amat qui cælestium amore ducuntur, & ad superna mentibus eleuantur. Hunc porrò, qui paruo, vel grandi, vel torto naso, id est, nefarium, astutum, & versipellem; quia sinceritatem candoremque animi amplectitur. Lippum; quòd suorum tollat de numero ministrorum, qui nulla consideratione incumbunt aut attentione, vt diuina mysteria ritè peragantur. Albuginem in oculo habentem, id est, in cuius mente praui affectus radices agunt: quia sicut nubes opposita aufert oculo visionem; sic inordinati impetus, rectæ rationis iudicium abscondunt. Herniosum denique; quia abominatur eos, qui corpus infami cupiditate maculant, & à libidinum turpidine nequeunt auocari. sic per omnes defectus in lege nominatos, internæ mentium deformitates intelliguntur.

Conditiones illæ, mysticè explicantur.

Præterea, cùm hæc ita præcepta essent, vt facilè capi possent & teneri; eadem tamen Deus repetendo commendauit: *Nec ingrediatur intra velum, nec accedat ad altare, qui maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum.* Quæ sic exposita

procul

procul dubio probant, quod in conclusione positum est, Sacerdoti necessariam esse morum integritatem, munditiam vitæ, & virtutis abundantiam; ne in ipso inueniatur vel labes minima, quæ infamiam arguat aut fœditatem: per hanc enim, vel leuissimam, Angelico munere declaratum iri indignum. quod benè exaggerat Apostolus vbi dicit: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* quasi velit: Talis à nobis vita instituatur, tam sanctà & ad omnem composita puritatem, omnis expers vitij & offensionis, vt ex ea cuiuis detur intelligi, nos esse *ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*

1. Corin. 4.

Sacerdotes viuāt, vt decet ministros Christi.

Idem Apostolus alio loco expendit emphasim inclusam in *τὸ ministros Christi*, declarauitque eo significari innumeras & excellentes virtutes, quibus comparatis verè ministri Dei & haberi possumus & vocari. cumque diceret, *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*, glossam addidit, quæ exponeret, quod allatum erat inuolutum: *(ministros* scilicet*) in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ a dextris & sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, sicut qui ignoti & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Cæcus sit omnino, qui

2. Cor. 6.

Declaratur in quo oporteat esse ministros christi.

non

non videat, quanta hîc attentiùs inspicienda adferantur. hîc enim quasi mysticè explicantur illa, quæ in Sacerdotibus antiquis obseruari voluit Deus; quorum loco virtutes substituendo, qualia sint oportet Sacerdotum studia, declaratur. Ad quod paulò fusiùs perficiendum Deo auctore accingimur.

CAPVT V.

De virtutibus multis, quas vestimenta Sacerdotis legalis significarunt & quibus Sacerdotem Euangelicum decet exornari.

§. I.

ETSI aliquem suprà dictæ conditiones non *Supra 1.*
deficerent, non tamen hoc solum, vt Sacerdo- *Leuit. 21.*
tio fungeretur, sufficiebat: re enim vera, satis minimè est vitam nulli turpitudini aut reprehensioni obnoxiam ducere, nisi altera iustitiæ pars adsit, quæ docet hominem pijs operibus insudare, & virtutem à natura insitam corroborare disciplinâ. vnde præcepit Deus, vt Sacerdotem nulla *Exod. 28.*
conditio deficeret; ad munus suum ritè decenterque obeundum ornamentis admodum diuitibus indueretur, quæ singulari artificio, ipsius Dei iussu, confecta essent.

Quæ quidem vestimenta, præter sensum li- *Tract. 1.*
teralem, quem suprà ostendimus, multa recondi- *cap. 8.*

Vestes Sacerdotis antiqui significant virtutes Sacerdotis in noua lege. Hieron. & Grego. vbi sup. Ep. 131.

ta in se mysteria comprehendunt, potissimùm virtutes internas & spiritales, quibus Sacerdotem decet exornari. sic SS. Hieronymus & Gregorius, vbi suprà. Gregor. *Vestimenta etenim Sacerdotù, quid aliud quàm recta opera virtutum debemus accipere? Propheta attestante, qui ait: Sacerdotes tui induantur iustitiam.*

Porrò conformiter huic doctrinæ & Spiritûs sancti intento, operæ pretium videtur magis enucleatè mysticam istorum ornamentorum referre declarationem.

Exuere veterem hominē. Ephes. 4.

Primò ordinarijs se vestibus Sacerdos exuebat: vt intelligatur, Dei ministro opus esse *deponere secundùm pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris: renouari autem spiritu mentis suæ, & induere nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitiâ, & sanctitate veritatis*: & ex quo fuerit initiatus, longè diuersam vitam sibi esse ducendam existimare. Inde vestiebatur tunicâ longâ, & candidâ, quam Albam vocamus; hæc significat Sacerdotem debere obtinere integritatem & vitæ innocentiam, quam puer habuerit, in cuius signum ei in Baptismo dictum est: *Accipe vestem candidam & immaculatam innocentiæ, quam præferas ante Tribunal Christi.* Eiusmodi etiam verba proferuntur, cùm, vbi Sacerdos instituitur, Sacerdotali vestimento donatur: vt memor sit virtutis studio congenitam tunc puritatem, quotidie magis ac magis, efflorescere debere. Desuper hac, pallio superhumeralis induebatur, mirabili opere intertexto: vt detur intelligi non sufficere si probus æstimetur & inte-

Recuperare innocentiā.

Exercitiū omnium virtutum.

integer; ſed præter hoc requiri totius virtutis ornamenta, quæ natiuum quaſi colorem, addito ſplendore, accedant. Hæc tunica, tota erat *hyacinthina*, id eſt, colore cæleſti & in talos vſque propendens. minimè dubium eſt, quin id ſibi velit, vt virtus Sacerdotis non ſit plebeiorum inſtar; ſed heroica & quaſi cæleſtis, quæ Diuorum in cælis commorantium æmuletur munditiam, exprimat ſanctitatem: vt non terræ ſed cæli incola, non homo ſed Angelus æſtimetur. quod eſſe Diſcipulos, cùm eos Sacerdotes inſtituiſſet, dixit Chriſtus: *Vos de hoc mundo non eſtis.* Hoc eſt veſtimẽtum quo circumdari Sacerdotes optabat Pſalmiſta: *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.* Iuſtitia porrò, virtus quædam vniuerſalis eſt, quæ cæterarum in ſe formas complectitur: qua ſe Iob, qui (vt ſuprà) Sacerdos erat, amictum teſtatur fuiſſe, dicens: *Iuſtitiâ indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento.* Vbi Nota illum velle, ſe iuſtitiâ planè fuiſſe coopertum: quia docente S. Gregorio, qui vna in re iuſtus eſt, cæterarum reus; ſimilis videtur illi, qui ex vno latere tectus, altero nudatus incedit: ſed opus eſt veſtimento, quod totum corpus operiat, ac tueatur.

Exod. 39.

Vita Sacerdotum ſit cæleſtis.

Ioan. 15.

Pſalm. 131.

Tract. 1. c. 2.

Iob 29.

Greg. lib. Moral.

Subductitium veſtis huius, dicit Gloſſa, eſſe Dei timorem: ille enim iuſtitiæ cuſtos eſt, & ſanctitatis defenſor: quæ ſupereſſe neutiquam poſſent, ſi timore deſtituerentur. Vnde communiter in Scriptura, ſanctitas & timor coniunguntur. Ita Sapiens: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore.* Et de S. Simeone affirmat Euangeliſta, *erat iuſtus & timoratus*, etenim ſic ſe res habet,

Timor Dei.

Eccli. 2.

Luc. 2.

habet, quò iustior, eò maiori quis ducitur timore: quilibet enim quantò ditior, tantò diligentiùs inuigilat, ne thesauri & opes conquisitæ rapiantur. Ex huius tunicæ, quæ cærulea erat, fimbrijs dependebant *tintinnabula de auro purissimo*, quæ ex mente S. Hieronymi erant septuaginta duo, & hæc *inter malogranata, in extrema parte tunicæ per gyrum*.

Exemplũ & doctrina.

Quod innuere videtur, non esse satis, si vita Sacerdotis in sese incorrupta sit; sed debere illam illustri suo lumine, intuentium in se perstringere aciem, & opere, verbo ac motu omni ita afficere, vt illi virtutem, quam stupent, imitari ocyùs conentur. sic enim animi pulchritudinem foris promicare necesse est, & ex oculis, vultuque, toto denique corpore corruscantes quasi sanctimoniæ radios emitti, vt velut campanæ sono omnes ad pietatem inuitentur. nec passus debet figi, qui non ad virtutem erudiat, & rectæ alicuius affectionis instituat tractationem, vt quoties gressum fixerit, toties de diuinis sermonem habuisse videatur: & in marginem vsque vestimentorum decet planè, vt integritatis circumferat testimonia. nihil denique in membris omnibus sit, quantumuis appareat humile, quod non à sanctitate compositum quiuis fateatur.

Super his duabus tunicis, *Superhumerali* decorabatur, veste breui quidem, sed quæ alias sumptu & valore superaret: nam facta fuit *de auro, hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta opere polymitario*, mirabili arte & textura, variorum colorum species fundens, qui quatuor elementorum

Exod. 39.

rum

torum similitudinem quandam referebant. Hinc colligunt Doctores, in isto superhumerali, totius mundi significationem inclusam: vt intelligat Sacerdos, illum tanquam Atlantis alicuius humeris sustinendum esse, eamque proinde sanctimoniam requiri, quæ & sibi & proximis possit sufficere: vt intelligat, inquam, omnium hominũ scelera & necessitates sibi esse portandas, ac cùm sacrificio litabit, tanquam causidico, pro omnium reatu veniam rogandam esse, & promulgandam.

Fortitudo & patientia ad sufferendos labores.

Prætereà confectum est * *Rationale*, item, *ex auro, hyacintho, purpura, coccoq́; bis tincto, & bysso retorta, quadrangulum, duplex, mensuræ palmi, factæq́; sunt catenulæ sibi inuicem cohærentes de auro purissimo.* Positique sunt in Rationali lapides duodecim pretiosissimi, in quibus sculpta erant nomina duodecim tribuum Israël, *singuli per nomina singulorum. Parati sunt & duo lapides onychini, adstricti & inclusi auro, & sculpti arte gemmariâ, singuli sex nominibus filiorum Israël, positiq́; sunt in lateribus superhumeralis in monumentum filiorum Israël.* Hîc nouerit Sacerdos, humeris suis sustinendas esse omnes fratrum molẽstias, & difficultates; ac quamuis molesti & graues sint, æstimandos esse pro vnionibus, nec tantùm humeris gestandos, sed & pectoribus infigendos esse, & ipsis medullis præferendos, vt sic eos ament atque misereantur.

*Id est, *pectorale.* Exod. 39.

Caritas quæ ad proximũ habetur.

Hæc omnia, catenis ex auro fabrefactis nectebantur: quo significetur caritatem esse, quæ reliquarum virtutum custos sit & ornamentum.

§. II.

QVæ tetigimus, ornamenta Sacerdotum veteris Testamenti, diuinis plena mysterijs erant: idcirco enim noluit Deus vt ex segmentariorum arbitrio pararentur, sed ipse facturæ modum, quoad singula minutissima, præscripsit: nimirum vt intelligatur, omnia quid maius portendere, & arcana plurima continere. Id deniq; maximè commendatum voluit Sacerdoti, vt satisfaciat; ducendam esse vitam, quæ exemplar antiquæ religionis sit; quæ pietatis & doctrinæ radios longè lateque diffundat. Quod innuebant verba, quæ in Rationali scripta visebantur, *Vrim & Thumim*, id est *doctrinam & veritatem*: aut secundùm alios, *illuminationem & perfectionem*. nec enim sufficit vt Sacerdotis animus virtute præditus sit, nisi eandem menti esse insitam, foris doctrinæ & bonorum operum exempla declarent.

In pectore Sacerdotis, sit doctrina & veritas.

Vnde colligere est, si Sacerdotibus antiquæ Legis tantum Deus virtutis studium commendauit: quod exiget ab ijs, qui in lege Euangelicâ ministrare præsumunt, cùm huius Sacerdotium excellentius, sine omni comparatione, habeatur? Res dignissima consideratione, quam altè excussit S. Ambrosius: qui idem, quod tangimus, cùm examinasset, ita subiecit: *Si in figurâ, tanta obseruantia, quanta in veritate? disce Sacerdos, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundum cor celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam, tu illotus mente*

Argumentum efficax.

Amb. lib. 1. Off. c. 5.

mente pariter & corpore, audeas pro alijs supplicare? pro alijs diuina Sacramenta ministrare?

S. Gregorius, beneficia recolens, quibus Deo Sacerdotes obstricti sunt; vult eos tam esse sanctos, & talia sanctimoniæ exempla edere, ex quibus cæteri, quod imitentur, desumant, & hoc Christum voluisse, cùm Apostolis diceret: *Vos estis sal terræ.* Porrò sic commentatur: *Sæpè videmus quòd Petra salis, brutis animalibus anteponitur, vt ex eadem salis petra lambere debeant & meliorari. Quasi ergo inter bruta animalia petra salis, sic debet esse Sacerdos in populis, vt quisquis Sacerdoti iungitur, quasi ex salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur,* id est, tam efficaciter vitæ sanctitate & virtutis exemplo permouere proximum Sacerdos studeat, vt quicunque ad illum accesserit, è moribus, & solo alloquio, gustum quendam sentiat pietatis, & vitæ suæ emendationem auspicetur.

Cur Sacerdotes sal terræ.

Gregor. homil. 17. in Euang.

CAPVT VI.

Sacerdos, totus sit diuino cultui consecratus, velut res cuius, præter Deum, nemo sibi partem vindicare poßit.

§. I.

PRÆTER hæc, quæ attulimus, in Sacerdotum ornamentis aliud quiddam ad rem faciens deprehendo: præcepit enim Deus, vt facerent tiaram Sacerdoti, & illi adstringerent *laminam sacræ venerationis, de auro purißimo, scriberentque*

Exod. 39

in ea opere gemmario, Sanctum Domini. & adiunxit: *Erit* * *lamina semper in fronte Sacerdotis, vt placatus sit ei Dominus.*

Hic maximè innotescit, qualiter Sacerdoti viuendum sit: nempè sanctum se esse Domino, operibus ostendat; ita vitam comparet, vt quilibet diuino illum cultui esse consecratum fateatur; vt nulla creatura vel minimam in eo partem sibi vindicet, vt dici possit *homo Dei*, cuius imbiberit spiritum, cuius proinde se tanquam possessoris, voluntati subijciat. Hac de causa illum, *Clericum* vocari asserit Hieronymus (quod posteà magis exponetur) decet quippe, vt sese velut Dei æstimet hereditatem: idcircò enim inungitur & consecratur; in quo actu imprimitur animæ character ille indebilis, vt se deinceps non suiipsius, sed Dei esse certus sit: cuius signum menti impressum gerat, & per quod diuino æternùm cultui mancipetur.

1. Tim. 6.

Hiero. ep. ad Nepot. Tractat. 2. c. 13. §. 1.

Clericus Deo sacer.

Vnde sequitur: quemadmodum calix, quia diuinis sit ministerijs consecratus, alteri vsui applicari non potest, foretque sacrilegium si profanis quibuscunque, etsi non illicitis, vsibus adhiberetur; (quod in Rege Baltazare grauiter Deus adnimaduertit) ita Sacerdotem conuenit nihil tractare, quod sanctum non sit, & ad cultum honoris diuini. ad hoc enim præstantiori modo, quàm ipse calix, consecratus est: qui, sicut & cætera vasa, instrumentum quoddam mortuum est, & exteriori solùm contactu Sacramenta contingit: Sacerdos verò propriâ sibi actione & verbis, cælestia illa mysteria conficit, & in se non externè tantùm

Sacerdos Deo, & diuinò cultui, est cõsecratus.

Daniel. 5.

attin-

attingendo recipit, sed & ad intimas animæ medullas transfert vniendo illam Christo, & velut vnum quid inter se copulando.

Ex prædictis similiter infertur, quantâ veneratione corpus suum habere debeat Sacerdos, quia videlicet in eo tanquam adyto excellentissimum Ecclesiæ Sacramentum asseruatur. nec in illo ad diem vnum reponitur (vt die Iouis sancto in arca sacra, velut sepulcro, aut ea hierotheca, quæ in festo Corporis Christi quibusdam in locis tantùm proponitur, & ad eum finem omni rubigine absterſa nitidissimè exornatur: quâ sollēnitate transactâ, priori abaco seu vasario recluditur) talis enim arca vocari potest quilibet laicus, qui tunc maximâ frequentiâ accurrunt vt confessione expiati, viuifico illo cibo recreentur: quibus ritè peractis, vt antè, negotiatione profanâ intricantur. sed Sacerdos meminerit se omni tempore, instar Sanctuarij, huius Sacramenti custodem esse: qui non tantùm vigilare diligenter, verùm etiam pulcherrimis virtutum gemmis animum illustrare debet, quippe qui sit ipso sanctuario sanctior, & viua statio Deitatis. Sacerdos, est custodia Christi.

Hanc ob causam, tàm enixè Deus olim in lege commendauit, vt Sacerdotes sibi cauerent ab ijs, quæ vel minimam labem possent imponere: ne cadauer quodcunque attingerent, ne domum, vbi id vel paternum haberetur, intrarent: ne iungerentur illi matrimonio, quæ aliquo infamiæ dedecore fracta, aut repudiata esset: ne immundis cibarijs vescerentur: adeò vt in ipsa vsque mensarum fercula cauerit, vt sancti essent & Leuit 21. & 22.

consecrati: ac proinde *panes propositionis* illis assignauit, & victimas immolatorum. Hæc enim esse, quæ vnumquemque admonere debeant sanctimoniæ & puritatis. præcipuè verò in ea parte, quæ ex sacrificio obtingebat Sacerdoti, iuxta multorum PP. sententiam, commendantur virtutes & animi bona, quibus illum deceat exornari. Vnde præcepit, vt daretur ei *pectusculum*, & *armus dexter*, *hostiarum*. armum enim habere debet, id est fortiter ad omnem patientiam erudiri, neque vllâ calamitate à virtutis curriculo inflecti aut retardari. *Pectus* verò, id est, zelum & animos, vt peccatores à vitiorum turpitudine deterreat, integritatis pulchritudinem commendet. Brachium autem siue armum fortitudinis obtineat, id est, bonorum operum studijs, inuictam sibi vindicet probitatem: ille autem *dexter* sit, vt quiuis intelligat, omnes Sacerdotis motus ac operationes debere esse è lege Dei ac rectæ rationis impulsu: nec in ijs sinistrum quid, aut reprehensione dignum posse inueniri. Addit præterea Textus, armum illum, præterquam quòd *dexter* sit, debere esse † *Armum elevationis* & *separationis*. quia nimirùm eius opera, non tantùm recta esse oportet, verùm etiam excellentiam quandam & altitudinem præ se ferre; ita vt plebeiorum communia exercitia longè post se relinquant. *Pectusculum* item sit *consecratum*. nec enim in pectore Sacerdotis desideria sedeant & affectus, qui non ad sanctimoniæ & religionis incrementa excitentur.

Leuit. 7. Sacerdos habeat pectus, humerum & brachiū rectum.

† *habetur* Pectusculum. *Leuit. 7. Num. 18. sup. in hoc Tract. c. 1.*

§. II.

§. II.

PAtet igitur, omnia ea, quæ ad Sacerdotes veteris legis pertinere dicit Scriptura, mystico sensu & allegorico plena esse, vt commendetur rara vitæ modestia & puritas, qua decet cunctos ab omni labe & macula expiatos eminere. Vt hoc expressiùs Deus significaret, posteaquam plurimas cæremonias & sanctiones tulisset, ita subiecit: *Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico vos.* & iterum ibidem: *Sancti erunt Deo suo, & non pollucnt nomen eius: incensum enim Domini, & panes Dei sui, offerunt, & ideo sancti erunt.* Quibus verbis quanto pudore nos oportet suffundi, quanto timore percelli? nihil minus à Sacerdotibus requiritur, quã sancti vt sint. Satis fuerit secularibus, si virtutem colant, & pietatem sequantur: sed illi non satisfaciunt, nisi sanctitate & religione excellant.

Leuit. 21. Sacerdotes, sint sancti.

Sanctum, dicit Chrysostomus, *non sola mundatio peccatorum facit; sed quadam eminentia & excellentia magna virtutum, præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia.* Atque hoc exigitur à Sacerdote. Laicos, idem Doctor, esse ait instar hospitij, in quod Rex, aliquò profecturus, diuertit: id licet humile sit & rusticanum, nihil interest: sufficit verò vt adornetur eã, quã fieri potest, maxima diligentiã, & sordes benè euerrantur, priusquàm regia supellex pro illa die inferatur. porrò vbi Princeps recessit, ad pristinum omnia conuertuntur. Sic laici, & quilibet seculares, quamuis populariter viuant, & paruã virtute

Quid sit esse sanctum. *Chrys. hom. 17. sup. ep. ad Hebr.* Comparatio.

1. Cor. 7.

præditi ſint, tolerari tamen poſſunt: Apoſtolus enim ijs ignoſcit, quòd occupationibus terrenis implicentur: *Ego autem vobis parco*, tantùm in id incumbite, cùm excipiendus eſt Rex Regum, vt omni curâ ſepoſitâ, penetrale cordis pia quadam ſedulitate comparetis. Sacerdos autem palatium eſt ordinarium Deitatis, Deo proprium & conſecratum, quod, ſatis minimè eſt, ſi expurgatum ſit, & periſtromatis expolitum; ſed etiam grande ſit oportet, ædificiorum mole, & diuitiarum congerie opulentum: adeò, vt cuius eſt, diuinæ Maieſtatis dignum eſſe receptaculum omnes fateantur.

Laici ſunt oblatio, Sacerdotes holocauſtum.

Laici, ſacrificium ſunt oblationis, quod partim Deo offerebatur, partim offerenti cedebat: & aliquando cor duntaxat & viſcera animalis Deo litabantur, cætera Sacerdoti litanti obtingebant. Huiuſmodi planè ſunt, qui in ſæculo verſantur: quorum ſibi Deus corda tantùm & animos depoſcit; reliquum corporis licet negotijs profanis impediatur. Sacerdotes verò rationem induunt holocauſti, cuius nihil remanere poſſit, & quod Deo oblatum, penitus igne abſumatur. ille enim diuini amoris incendio cremari debent & exuri, totos ſe diuino cultui ſic mancipare, vt nemo in ipſis ſibi partem quà deſideriorum quà actionum vindicare poſſit. id propriè eſt Deo offerri ac conſecrari. hinc dicitur: *Sancti Deo erunt ſuo*, & in frontibus *Sanctum Domino* conſpicietur.

Ferire magis debent verba, quibus Sacerdotes ad vitæ ſanctimoniam Deus adhortatur: *Sancti*,

cti, inquit, *sint, quia & ego sanctus sum.* Videtur exigere, vt pares sibi conentur esse sanctitate, & cunctarum imitatione virtutum: ac proinde Sacerdotum virtutes non debere esse communes, sed tales, quæ diuinis proximæ sint, sicut & ipsi auctoritate & potentiâ proximè cum Deo comparantur.

CAPVT VI.

Sacerdotes, quàm maximè orationis exercitio incumbant, sine quo vix satisfacere officio poßint.

§. I.

DIscutiamus magis enucleatè rationem, ob quam à Sacerdotibus, vt dictum est, tanta vitæ ac religionis exempla & testationes requirantur. *Sancti sint, quia incensum Domini & panes Dei sui offerunt.* *Leuit. 21.*

Constat satis, per incensum in sacris Literis orationem significari: vt videre est in Psalmis: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* & in Apocalypsi: *Habebant phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* re etenim verâ, nihil æquè Deo gratum acceptumque est, atque fragrantia illa odorifera, quæ iustorum orationibus excitatur. *Psalm 140.* *Apocal. 5.*

Vnde rectè infertur proprium esse & annexum Sacerdotio, vacare precibus, & crebrò Deum interpellare: Sacerdotis enim est, populo diuinam **Propria est Sacerdotibus, assidua oratio.**

conciliare misericordiam, quòd per se id ille facere non possit: Sacerdotis est, Dei ponere furorem, si quando hominum impietate exulceratus se ad supplicia & pœnas accingit. Quin immò

Isai. 56. Matth. 21. cùm ipse, & per Prophetam dixerit: *Domus mea domus orationis est*, & Sacerdotes ministri sint domûs Dei; benè sequitur è mente Doctorum, orationē esse, quam frequentare, qua se excolere maximè

Amb. sup. 1. Timoth. 3. conueniat Sacerdotem. ita S. Ambrosius: *Sacerdotes, die ac nocte pro plebe sibi commissa, oportet orare: mundiores ergo debent esse cæteris, quia actores DEI sunt. si enim plebis hominibus, orationis causa, ad tempus abstinere præcipitur; quantò magis Sacerdotibus, qui semper*

Aug. ser. 2. in Psal. 36. *orationi vacare debent?* Magnus Augustinus: *Talem esse oportet Domini Sacerdotem, vt quod populus pro se apud Dominum non valet; ipse pro populo mereatur quod poposcerit impetrare. quia scriptum est: Si peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos; si autem Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?*

Greg. lib. 1. Regist. c. 24. Dicit S. Gregorius in quadam Epistola, proprium munus esse Sacerdotis, inter Deum & populum patronum agere, vt remissionem ei peccatorum obtineat: hoc vt ritè exequatur, opus esse, vt ante, per orationem, cum Deo necessitudo & familiaritas constituta sit: *Quá enim fiduciá pro peccatis alienis ad Deum intercessor venio, apud quem de proprijs securus non sum? si fortasse quispiam apud potentem virum, qui sibi iratus, & mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri quæreret, protinus responderem: ad intercedendum venire nequeo, quia eius notitiam ex sedulâ familiaritate non habeo.* Atque ita concludit, necessarium esse, vt munere suo benè fungatur

Sacer-

Sacerdos, orationi incumbat: per quam ſtabilis firmiſſimaque cum Deo amicitia conſtituitur, & conſtituta roboratur.

§. II.

AGENS item de orationis exercitio M. Auila, vir rarâ quâdam ſapientiæ laude præſtans, in quodam ſermone ad Sacerdotes, nonnulla notatu digniſſima adfert: quæ cùm in præſens deſeruiant, & auctorem habeant probatiſſimum; Sanctorum etiam ſententijs duxi inſerenda, vt & per hæc, id quod intendo, confirmetur & fortius euadat. ſic ergo infit:

Magnum eſt adolere & ſacrificare: & hæc adeò connectuntur, vt vnum ſine altero eſſe non poſſit. Adolere eſt orare; & cuius eſt orare, eiuſdem etiam ſacrificare reputatur. ille porrò eſt, qui inter Deum & homines conſtituitur ſequeſter, vt clementiam illius naturæ noſtræ conciliet, non brutorum victimis, ſed viuificâ illâ Filij immolatione, qua facta, omnis protinus ira ſedatur, & ad nos ſe diuinæ ſenſus beneuolentiæ conuertit. *Doctrina tradita, à M. Auila.*

De hoc orandi munere, ſic aureus ille Chryſoſtomus eleganter: *Eum, qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? imò verò pro vniuerſo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorq; eſt apud Deum, vt hominum omnium, non viuentium modò, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quæſo eſſe oportet? Equidem neque Moſis, neque Heliæ fiduciam, fore vnquam ſatis putauerim ad ſupplicationem huiuſmodi peragendam: quandoquidem quaſi mundus* *Chryſoſt. l. 6. de Sacerdotio.*

illi

illi vniuersus concreditus, atque adeò omnium sit pater sic ad Deum ipse accedit, deprecans, quidquid vbique bellorum est, exstingui; turbas solui, atque in horum locum, pacem ac felicem rerum statum succedere: denique celerem malorum vnicuique imminentium quà priuatim, quà publicè defunctionem postulans. Porrò illum ipsum oportet tantò omnibus in rebus ijs præstare, pro quibus intercedit, quanto par est vt subditos præfectus excellat. Cùm autem ille & Spiritum Sanctum inuocauerit, sacrificiumque illud, horrore ac reuerentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato: quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? Considera enim quales manus illas administrantes esse oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat: quà denique re non puriorem sanctioremuè esse conueniat animam, quæ tantum illum, tamq; dignum Spiritum receperit. Hactenus Chrysostomus.

O Patres, quid ad ista? ego quidem, animusque meus, incredibili stupore hæreo ac perturbor, cùm tantam in oratione efficaciam exigat Chrysostomus, vt toti mundo commodum adferre possit. affirmat, Mosis & Eliæ virtutem ac fiduciam paruam sibi videri, nec satis efficacem. Enimuerò iste suà intercessione obtinuit, ne exercitus ille maximus Israëlis, ob grauissima scelera, ad internecionem in solitudine deleretur: hic autem pro libitu cælos, orando, conclusit, ne pluuia terram rigaret; iterumque ad beneplacitum, imbrem exciuit: ignem cælitùs euocauit, qui eos quos vellet deuoraret: eademq; oratione fortissimâ mortuos viuis

viuis reddidisse constat satis. O me miserum! si excellentissimorum heroum virtus, satis efficax non iudicetur, quæ pro totius mundi salute Deum interpellet; ego, qui in ampliori sum dignitate, nec vt minimùm quidem istorum æquo sanctitatem, aut efficaciam deprecandi, quid impetrabo? Etenim cùm diuino tribunali sistemur, & nobis bella, pestes, crimina, hæreses, aliæq; calamitates innumeræ, quâ corporales quâ spiritales, imputabuntur; tunc fortasse Sacerdotes fuisse pœnitebit, & Sacerdotij honor, reditusque accepti, tam graue onus videbuntur, vt simus optaturi quàm maximè, ne tantùm vnquam pondus subîssemus.

Res est digna, quæ seriò expendatur à me, qui mihi ipsi non sufficio, qui amicorum egeo auxilijs, vt Deo concilier, cuius in me indignationem peccando excitaui: à me, inquam, qui vix scelerum meorum fœtorem percipio, tam spiritales ac viui sensus requiruntur, tantum ex ipsis animæ medullis caritatis incendium; vt omnium mala sentire facilè possim, & tali sanctitate excellam, quâ Dei furorem arbitrer mitigandum, quâ ex Iudice irato benignissimum fore parentem confidam.

De Aaron loquitur Scriptura, cùm ignis concitatam multitudinem corripuisset, & stragem ederet luctuosam; accepit ille thuribulum, *& hausto igne de altari, misit incensum desuper, & stans inter mortuos & viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Sacerdotes Dei, vobis tale quid vnquam euenit? tam forti oratione cum Deo præliati estis aliquando, vt ipse irâ accensus dixerit: Sinite me *Num. 16.*

fulmi-

fulminare, vobisque non acquiescentibus, cuin
se permiserit? Næ id quidem vidisse puto nemi
nem. Quin imò sunt (vtinam fallar!) qui nec ora
tioni incumbant, nedum eâ vitæ innocentiâ præ
diti sint, qua Dei furorem ab hominum ceruici
bus propulsare vllo modo possint. certè (vt di
cam quod sentio) vereor esse, qui quid sit ora
tio, quid orare, minimè intelligant: nam, test
S. Hieronymo, oratio gemitu magis quàm verbi
perficitur: & vnus iste nouit ritè gemere, vt vir
habeat oratio, cuius Spiritus S. mentem instrui
ad orandum. De hoc nos admonet Apostolus
Roman. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus postu*
lat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Sciendum hîc, Spiritum S. in se nec postulare
nec gemere: sed tantùm dici *postulat pro nobis gemi*
tibus, id est, mouet cor nostrum & animos, vt ge
mitus edant, qui narrari non possint. Quantus es
pudor, haberi Sacerdotes, qui tam parum hui
exercitio dediti sint, vt si per spatium vnius *Mise*
rere, aut paulò maius, in *Memento* pro amicorum
aut aliorum salute fuerint intenti, existiment s
abundè orâsse, & muneri suo apprimè satisfecisse
ô Deum immortalem, sic exulceratus tuus animu
mollietur? sic bella conficiemus, pacem exorabi
mus? Fidem incredulis, sceleribus emendatio
nem, iustis constantiam & inuictos animos, labo
re minimo res summas obtineamus? oratio, qua
nugax videtur, negotia maximè seria componat
Gemitibus, gemitibus, inquam, opus est, non ij
qui humano affectu emittuntur, sed quos diuin
Spiritûs impulsus expresserit: qui æquè intellig
nequean

nequeant ab his qui non habent, atque ab illis qui habent, enarrari non possint. Scitis, qualia debeant esse suspiria, quæ efficacia sint, vt vniuerso mundo remedia salutis queant comparare? S. Basilius id ostendit, cùm ait: Sacerdotibus, sicut in munere suo Christum referunt, ita eundem in gemitu & oratione imitandum esse: hæc enim sibi annexa habet dignitas Sacerdotalis. Excutiant diligenter, cùm ad diuina peragenda se componunt, quanto Saluator affectu, gemitu, quantisque lacrymis, cruci affixus, sacratissimo cruore vndique defluente, pietatis nunquam immemor, pro omnibus, & quidem infestissima gente, deprecatus sit Dicit Apostolus: *Cum clamore valido, & lacrymis preces supplicationesq; offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Hebr. 5. Hic ergo nobis in exemplum totius virtutis, ab hoc nobis animi compunctio desumenda. Atque ita cùm in nomine eius precamur, illumque manibus nostris contingimus, in corde item suspiria ac gemitus ducamus; vt, quemadmodum ipse *exauditus est pro sua reuerentia*, nos etiam, cùm illi gemendo & orando similes facti fuerimus, ab eo mereamur exaudiri. Porrò si aliqui sint (de quorum me fateor esse numero) qui metum non mediocrem concipiant, quòd in oratione fundenda se aridos omninò experiantur, sentiant se proximorum saluti non intendere, nullâ se esse sanctitate, qua efficaciter Deum possint obtestari; nulla adesse suspiria, nullam diuinarum rerum intelligentiam; videant denique se procul abesse, qui fruantur hoc munere

cælitùs

cælitùs dato, quod tamen ad Sacerdotium rite obeundum prorsus necessarium est, & vt quis patronus & intercessor coram supremo Iudice sistatur. Et horum aliquis sollicitè me interroget; Pater, quid faciam? longissimè absum, qui modum teneam orandi & deprecandi. Facilis est responsio: Si Sacerdos non sit, caueat huic se muneri immiscere; nec enim tribunal illud diuinum vllâ ex parte cum terreno hoc potest conferri, nec quisquam præsumat accedere tanquam orator, qui in hoc genere nunquam est conuersatus: exercitio quippe opus, necessitudo constituta sit oportet, sanctitas comparata, affectuũ inferiorũ facta exstirpatio, extrema quædam sedulitas, & super hæc omnia Spiritus S. gratia & fauor: quia ex illo tanquam fonte primo, cæleste hoc munus dimanat. Si verò Sacerdos sit; dicam: Ploret, quia temerè se ingesserit tantæ dignitati, cùm deficerent eum conditiones, quæ ad obtinendam illam omnino requirebantur. dicam, resarciendum esse damnum: nec facilè resarciri posse, nisi omni diligentiâ, quod hactenus defuit, satagat comparare. dicam, Vereatur, ne sibi id contingat quod dicitur in Euangelio: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* (Luc. 14.) O Domine Deus, auerte à ministris tuis, ne infernales cauillatores, nos opprobrijs diuexent: auerte, inquam, ne arguant & exprobrent, tenuisse nos summam dignitatem, & vitâ humili ac sordidâ, ea nos indignos reddidisse.

Hactenus doctrina sanctissimi viri M. Auilæ, qui veluti maiore quodã numinis afflatu percul- sus, satis superque ostẽdit, quid referat Sacerdotes

oratio-

orationi continuæ esse intentos, vt religione soluantur; & quomodo ratio iniqua prorsus subducetur, si maximæ non responderint dignitati. Lucem suam cunctorum animis infundat Deus, vt intelligant in quo deficiunt, & erratis cognitis emendare serio vitam conentur.

CAPVT VIII.

Oratio mentalis, & exercitia spiritalia, propriè ad Sacerdotem spectant: ac proinde omni aliâ occupatione abstinere prohibentur.

§. I.

FIeri potest, vt Sacerdotes non pauci, cùm Horas septem Canonicas, Rosarium, aliasque preces recitârint, satis superque se orasse putent. det Deus ita sit, & illi obligationi suæ respõdeant. Sed id, quò intelligant omnes quod à se recitatur, esse orationem, & quæ sit oratio, de qua hîc agimus, aptè modò exponetur: fieri enim posse quis neget, vt multæ Horæ, multæque preces, à te recitatæ sint, nec tamen oratio vlla habita fuerit, nec à Deo recepta?

Pro huius intelligentiâ, Notandum: orationem (quod omnes Theologi cum S. Thoma fatentur) *esse, actum potentiæ rationalis, intellectus & voluntatis*: & ita accidit orationi, si voce proferatur: & cõmuniter præstat eam sine sono peragere: excipias *S. Thom. 2. 2. q. 83.*

tamen cùm per modum obligationis, velut officium diuinum, aut ob alias cauſas ſic recitatur. Vnde ab omnibus maximè probatur definitio tradita à S. Ioanne Damaſceno: *Oratio eſt eleuatio mentis in Deum.* adeò vt illa, quæ ſolâ voce abſoluitur, abſque hac *eleuatione mentis in Deum,* nomine orationis digna non ſit, nec ſtrictè loquendo eſſe poſſit. ſicut enim homo pictus, propriè homo non eſt, quamuis ſic vocetur, ſed tantùm forma hominis, quæ vita careat & ſpiritu; ita oratio, quæ ſola voce perficitur, vocalis eſt, & ſine ſpiritu cùm ſit, mortua reputatur, quæ nec vllum emolumentum pariat, & rarò detrimentum non ferat, nam vix ſine aliqua peccati labe, huiuſmodi oratio, abſque feruore pietatis & animi contentione, recitatur: ac præſertim cùm eiuſdem peragendæ religione cõſtringimur. ſic D. Thomas, à quo Apoſtolus citatur, & plurima Sanctorum teſtimonia adducũtur: quæ infrà in Additione officij diuini referentur.

Quid ſit oratio.

D. Thomas vbi ſup. art 13. Tract. 3.

Ad perſoluendum ritè officium diuinum, confert oratio mentalis.

Vnde infertur, ex eo quòd ad Horas Canonicas obligamur, non debemus mẽtali orationi non intendere; ſed magis illi adſtringi videmur, vt cùm tam præciſa obligatione meliùs Horas perſoluamus: non enim fieri poteſt moraliter, vt attentè & ritè officium diuinum recitemus, ſi omni orationis mentalis exercitio aut intentione careamus. Hoc porrò dicimus eſſe orare, & aſſerimus ad Sacerdotem attinere, vt ſemper aſſiduâ cum Deo actione mentem in ipſo figat. Porrò ſancta Mater Eccleſia, quæ præciſè ad Horas Canonicas nos obſtringit, cùm eas ita partita ſit, vt per quamlibet pænè diei differentiam, aliqua debeat per-

ſolui,

ſolui; certiores nos facit, muneris eſſe noſtri, toto diurno tempore impediri oratione diuiniſque laudibus, & cæleſtium rerum contemplationi deditos eſſe.

Hoc verum cùm ſit, & è mente S. Matris Eccleſiæ, vt magis debitè ſuo officio fungantur Sacerdotes, cauit ſapienter, ne illi vllo pacto ſecularibus negotijs implicentur. hoc per multos Canones Iuris & Conciliorum probari poteſt: potiſſimùm per eum, quem Apoſtoli ſanxerunt, & ſic ſe habet: *Epiſcopus aut Sacerdos, aut Diaconus, nequaquam ſeculi curas aſſumant; ſin aliter, deijciantur.* & alibi: *Non oportet Epiſcopum aut Presbyterum, aut Diaconum, publicis ſe adminiſtrationibus immittere, ſed vacare & commodum ſe præbere vſibus Eccleſiaſticis. In animum ergo inducant hoc facere, aut deponantur: nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire.* Concilium item Carthaginenſe: *Epiſcopus vel Sacerdos, tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat, & nullam rei familiaris curam ad ſe reuocet: ſed lectioni & orationi & verbo prædicationis tantummodò vacet.* Clemens Papa in decreto: *Sacerdotem oportet irreprehenſibiliter viuere, & ſummo ſtudio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijciat, ne fideiuſſor exſiſtat, ne aduocatus litium fiat, néue in vlla aliqua occupatione prorſus inueniatur mundialis officij occaſione perplexus: neque enim iudicem, neque cognitorem ſecularium negotiorum Clericum eſſe oportet: ne præfocatus præſentibus hominum curis non poſſit verbo Dei vacare; ſed hoc exhibeant vacantes laici: Clericum verò nemo occupet ab his ſtudijs, per quæ ſalus hominibus datur.*

In decr. c. Epiſcopus 88. diſt.

Can. 80. Apoſt.

c. Te quidē. 11. q. 1.

§. II.

Verba notatu digna.

Cyp. lib. 1. ep. 9 & refertur in c. Cyprianus 21. quæst. 3.

QVANTVS circa hoc zelus fuerit maiorum, testatur his verbis eloquentissimus Cyprianus: *Iam pridem in Concilio Episcoporum statutum est, ne quis de Clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo nominaret: quandoquidem singuli diuino Sacerdotio honorati, & in Clericali ministerio constituti, non nisi altari & sacrificijs deseruire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo implicat se curis secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit. Quod cùm de omnibus dictum sit, quantò magis molestijs & curis secularibus obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritalibus occupati, & ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt? Cuius ordinationis & religionis formam Leuitæ priùs in lege tenuerunt. Nam Leuitica tribus, quæ templo & altari, & diuinis ministerijs vacabat, nihil de portione terræ perciperet, sed alijs terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ab alijs tribubus, decimis & primitijs sustentaretur. Quod totum fiebat de auctoritate & dispensatione diuinâ, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nullâ re auocarentur, nec cogitare aut agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, vt qui in Ecclesia Dei ad ordinationem Clericalem promouentur; nullo modo ab administratione diuinâ, nec ab altari & sacrificijs recedant: sed die ac nocte cælestibus rebus ac spiritalibus exercitijs seruiant. Quod Episcopi, antecessores nostri, religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis decedens, ad tutelam vel curam, Clericum nominaret: & si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrifi-*

crifi-

crificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari, qui ab altari Sacerdotes & Dei ministros voluit auocare.

In Iure Canonico, plura eiusmodi continentur, quibus Sacerdotibus ac Clericis interdicitur sphæristerium, ludi illiciti, negotiatio, & cæteræ occupationes seculares, præcipuè verò *Titulis, de vita & honestate Clericorum.* Et, *ne Clerici vel Monachi se immisceant negotijs secularibus.* Et, *de Clerico venatore.* Et in dist. 88. Decreti.

Occupationibus secularibus sint liberi Sacerdotes.

Ex quibus clarè patet, Ecclesiæ semper mentem fuisse, vt Sacerdotes omni prorsus occupatione mundanâ soluerentur, & intelligerent sui esse muneris, altari & diuinis vacare, orationi ac lectioni incumbere, alijsque spiritalibus exercitijs deditos esse. Nec immeritò: si enim in veteri lege Sacerdotes ac Leuitæ nihil aliud poterant, quàm diuino insistere cultui, & sacrificiorum oblationes procurare; procul dubio meliori ratione id nobis curandum est, cùm plurium officiorum vinculis ad hoc à Deo obstricti simus.

Num. 18.

Enimuerò ne quis fallatur, quòd existimet decreta antiquissima, quæ attulimus (quia fortè ijs abusu contrario derogatum sit) in nullo aut paruo pretio habenda esse; aduertat omnes eos Canones, confirmatos esse ac renouatos, per Concilium Tridentinum: cuius hic verba grauissima adscribo. *Statuit sancta Synodus, vt quæ alias à Summis Pontificibus, & à sacris Concilijs de Clericorum vitâ, honestate, cultu, doctrinaq; retinenda; ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non secularibus negotijs fugiendis, copiosè ac*

Concil. Trid. supra dicta confirmat.

Conc. Trident. sess. 22. c. 1.

ac salubriter sancita fuerunt: eadem in posterum, iisdem pœnis vel maioribus, arbitrio Ordinarij, imponendis, obseruentur. Si quæ verò ex his in desuetudinem abiisse Episcopi compererint, ea quàm primùm in vsum reuocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant: non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persoluant.

Hæc non modò Clerici & Sacerdotes, sed etiam Prælati examinent diligenter; finem spectent, ob quem supradicta omnia prohibentur: Nimirum vt curis terrenis valedicant, orationem frequentent, & spiritalibus intenti, cum solo Deo ineant familiaritatem: ad quæ proprijssimè tenentur. Hinc tulit Ecclesia, vt omnis plebs decimis, primitijs, alijsque censibus eos sustentaret: ac proinde non ineptum videbitur si in ipsos quadrare dicamus illud Psalmistæ: *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Attendant hîc qui beneficia & reditus Ecclesiasticos obtinent: Vobis concessit Deus opes & facultates, quas Patres vestri testamento non cauerunt, nec vestris partas laboribus possidetis, quid ita? comeditis labores & bibitis sudores populorum. quàm multi sunt qui totis annorum decursibus terram vertunt, agros colunt, vt enatis frugibus vestram leniant paupertatem, & pluribus (vtinam falsus sim vates!) prodigis & auaris infaustas funestasque opes acquirant: illi verò libenter & Dei iussu, *vt custodiatis iustificationes eius, & legem eius requiratis*: vt vacetis ab occupationibus his terrenis, & præter virtutem & sanctimoniam nihil ambiatis.

Psal. 104.

CA-

CAPVT IX.

Sacerdotem, quàm maximè, decet virtus castitatis: eiusq; muneri omnis impudicitia contrariatur.

§. I.

SVpra rationem posuimus, ob quam voluit Deus vt Sacerdotes sancti essent; nempe, quia panes offerrent Deo suo, *panes* nimirum *propositionis*. Videte hîc, ô Patres, huius panis ac vestri nouæ legis, differentiam: vos etenim (& quis nescit?) panem illum diuinum, qui de cælis descendit, qui vitam confert morientibus, Corpus inquam, & Sanguinem Dominicum, offertis. Porrò si ad panis istius purè materialis oblationem tanta vitæ puritas, tam heroica virtutum æmulatio petebatur; quam sanctimoniam & integritatem in cælesti hoc sacrificio requiremus? *In hoc Tract. cap. 6. §. 2.*

Res notatu digna est, quòd cauerit Deus, vt tanteâ reuerentiâ panes illi propositionis tractarentur, quandoquidem nihil in se sanctitatis comprehenderent, & tantùm nudè offerrentur in altari. dicit etiam Nicolaus de Lyra, & alij grauissimi auctores, ex traditione Hebræorum, hos panes solitos collocari in mensa aurea, sicut etiam erat illa in qua pinsebantur: imò & ipsum clibanum ijs coquendis ex auro fabricatum fuisse. *Quantum sit delatū, panibus propositionis.*

Domine Deus, quâ opulentiâ, quo splendore virtutum non vis Sacerdotum animos elucere?

re? quantam ijs in manibus requiris munditiam, quæ panem hunc diuinum contrectent, tam admiranda mysteria conficiant & complectantur? maiorem certè puritatem, lõgè nitidiorem quàm aurum expolitum, possideat animus, & ea membra, & eæ actiones, quæ tam cælesti ministerio deputantur.

Si ad Mannæ conseruationem, præcepit Deus: vt vas de auro purissimo fabricaretur, nouum prorsus, quod nulli alteri vsui inseruisset, imponeretur q; arcæ *de lignis Setim* incorruptibilibus, quæ intùs & foris auro tegeretur, cui maximã veneratione omnes deferrent: quales volet esse mentes Sacerdotum, in quibus, tanquam sacrario, verum illud & cæleste Manna seruatur? quàm munda debent esse corpora, in quibus velut arca nouæ legis testimonium reponitur? sanè postulat & necesse est, vt incorrupta sint; neque carnali concupiscentiæ obnoxia, aut libidinum turpitudine deprauata.

Exod. 25.

Vnde licet aduertas, etsi sanctimonia Sacerdotalis consistat maximè in omnium virtutum acquisitione, vt suprà manet explicatum; præcipuè tamen in castitate tum corporis tũ animi retinendã. Sicut enim nullum est vitium, quod ineptiorem reddit Sacerdotem ad munus suum ritè obeundum, quàm impudicitia & libido; ita nulla pænè virtus, quæ magis illum exornet quàm continentia, & ad dignè sacrificandum meliùs componat.

In hoc Tract. cap. 4. §. 6.

Hinc in lege veteri, Sacerdos hostiam immolaturus, inter cætera ornamenta, *femoralibus lineis* in-

Leuit. 8.

induebatur, cautumque erat alibi in hunc mo-dum: *Non ingredietur* (Sacerdos) *sanctuarium, nisi prius tunica linea vestiatur, & fœminalibus lineis ve-renda celabit, ac cingetur zona linea; cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.* (*vestimenta sunt sancta*) nimirum castitatem & puritatem demon-strant: hinc iubentur fieri de lino candidissimo, quod propriè denotat integritatem. Nam vt lino candor inducatur, multoties laborandum est: pri-mùm enim feritur, inde metitur, siccatur, iterum-que humectatur, & è conuerso pluries: quo facto mollitur ac teritur, carminatur, in filum torque-tur, texitur, & apricum solis æstibus tamdiu expo-nitur, donec candor inducatur; quibus laboribus exantlatis, vt candidum manere possit, lauādum est sæpiùs, & smigmatis adipe, ac per cineres cola-tione, sordes expungendæ sunt. Ita etiam pro ca-stitate obtinenda & conseruanda, multis labori-bus enitendum est, frangendæ sunt immoderatæ affectiones, domandi appetitus, corpus ieiunio subigendum, virtutesque exercendæ, vt cum cor-pore animus puritatem & munditiam possideat, quam aliàs amissurus est.

Vestes lineæ, significant castitatem.

Leuit. 16.

Lege etiam antiquâ sancitum erat, vt ad esum Agni Paschalis (qui figura & typus erat Sāctissimi Sacramenti) vnusquisque lumbos præcingeret: *Renes vestros accingetis.* Quod Sancti, de castitate colenda interpretantur. Etenim illâ ætate, tam erat necessaria continentia, vt non modò à sacri-ficiorum cùm oblatione tum participatione arce-rentur, qui in peruersa profusa libidine iace-

Exod. 12.

rent; verùm etiam coniuges, qui vſu licito debitum ſoluiſſent. Quapropter Sacerdotibus præſcriptum fuit, vt munere ſuo functuri, vxoribus abſtinerent, nec templo egrederentur, ne vllum periculum immundæ voluptatis incurrerent: *Non egredietur Sacerdos de ſanctis, ne polluat ſanctuarium Dei ſui; quia oleum ſanctæ vnctionis ſuper eum eſt.*

Leuit. 21.

Achimelech Sacerdos, vrgente neceſſitate daturus Dauidi commilitonibuſque eius, cùm nihil aliud ſupereſſet, *panes propoſitionis*, percunctatus eſt: *Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus?* Reſpondit Dauid, & teſtatus eſt: *Continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur; & fuerunt vaſa puerorum ſancta.* Vbi Notandum τὸ *ſancta*, æquiualere his, caſta & munda, nec carnali actu deformata. qua ſignificatione & alibi reperitur, vt videre eſt in Exodo, vbi Deus in monte Sinai daturus legem, dixit Moyſi: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras.* quod exponens Propheta ait: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris:* adeò vt quod per *ſanctificare* voluit Deus, per *abſtinere* Moſes, etiam ab omni actu licito, ſit interpretatus: & per hoc admonebantur, parati eſſe & rectè affecti, vt legem à Deo reciperent; eſt enim ille magnus caſtitatis amator, & grauiter quâlibet impudicitiâ prouocatur. nam & ſi quis nocturna ſomni aut morbi illuſione pollutus eſſet, immundus habebatur: *Omnis homo qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata ſunt, & quæ obtulerunt filij Iſraël Domino, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.*

1. Reg. 21.

Sanctum, id eſt caſtum.

Exod. 19.

Leuit. 22.

§. II.

§. II.

Qvod repentinâ morte percusserit Dominus Ozam, filium Aminadab, quia manum extendisset, vt arcam ruentem exciperet; sicut Scriptura expresse causam non refert, ita verisimili coniecturâ quidam DD. augurantur, quòd ille, Leuita cùm esset, pridie coniugali sese copulâ inquinâsset. *2. Reg. 6.*

Sancte Deus, quis id queat exaggerare? si tu ipsum maximæ temeritatis præsenti supplicio arguisti, quòd manum arcæ ruituræ supposuerit, & minùs fuisses infensus, si illa solo iacuisset, quia nimirùm vehementer polluta membra execraris; quantâ putamus te iniuriâ affici, quo crimine exulcerari, cùm Corpus tuum virginale, manibus sacrilegis contrectatur, ijs, inquam, manibus, quæ fœdissimâ turpitudine contaminatæ sunt, & Venereâ peste magis magisque inflammantur? Si olim tanta honestas ac sanctimonia requirebatur in illis, quorum erat arcam ligneam & panes materiales deferre, & victimas immolare: quæ puritas Sacerdoti imperatur, vt verum viuumque Dei corpus offerat, manibus contingat, & in se quasi transmutet, ac viuat in eo Christus?

Vt huius rationis ac comparationis efficacia meliùs expendatur; dignum erit aduertere, Saluatorem nostrum fuisse tantum castitatis amatorem, vt quamuis se omnibus naturæ humanæ calamitatibus subiecerit; noluerit tamen in conceptione ac natiuitate suâ, esse vel minimum, quod virginali munditiæ labem inferret: elegerit

Quamuis se Christus alijs calamitatibus humanis subdiderit, noluit tamen nasci de matre non virgine.

rit verò talem matrem, quæ semper fuisset virgo purissima, & quæ ante partum, in partu, & post partum virgo esset permansura. Non vile duxit & ignominiosum, se illudi, flagellis acerbissimè cædi, mille opprobrijs diuexari, crudelissimè denique cruci affigi, hinc illinc inter latrones, tanquã blasphemum, & turbulentum sophistam ac impostorem. nihil horum iniquo animo tulit: sed planè indignum arbitratus est, si mater sua minimum virginitatis detrimentum pateretur: vtque illud excuteret, omnes naturæ leges diremit: cumque necessè foret, vt de muliere nasceretur, quæ mater esset vera, & conceptum suis in visceribus, suo sanguine corporatum pareret: totum hoc sine vllo damno aut labe minimâ, Spiritu sancto obumbrante, perfectum est: adeò vt in diuinâ Christi conceptione ac natiuitate, nihil præter summam puritatem, munditiam fuerit, & sanctitatem. Quod quidam è Sanctis per hæc verba piè nec ineleganter expressit: *Omnia munda vult auctor puritatis, mundam & purissimam matrem elegit, virginem discipulum præ cæteris dilexit, mundâ & nouâ sindone inuolui voluit; mundo in tumulo, in quo nondum quisquam positus fuerat, tumulatus est; ab his qui sunt mundo corde videtur; & ab his qui sunt mundo corpore possidetur.*

Thomas à Villa noua conc. 3. de Sacr. Altaris.

Christum comitantur virgines.

Tantùm à Christo amatur castitas & virginalis munditia, vt dicat Ioannes ille dilectus: *Cantabant quasi canticum nouum, * & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quinque millia, qui empti sunt de terra. hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum*

Apoc. 14.

gnum quocunque ierit. At quomodo feret eos, & quanto scelere non irritatur, cùm virginale suum corpus, fœdissimis attrectari manibus videt? meritò D. Hieronymus arguit, sic inuectus: *Perfidus Iudæus, perfidus Christianus: ille de latere, iste de calice, sanguinem Christi fundit. Sanctus Ioseph puris manibus corpus Domini baiulauit; iste verò pollutis manibus, & quibus paulò antè mulieris corpus tractauit; salutem hominum tangit, & recipit ore, quo paulò antè basia meretrici impreßit. Ille, qui fuerat Christi membrum, tollit membrum Christi, & facit membrum meretricis: qui enim adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Repositum fuit illud corpus emortuum in sindone mundâ, & in monumento nouo: iste autem ore fœtente, & corpore polluto demergit eum, quem angeli videre concupiscunt, & quem adspiciendo delectationes æternas accipiunt.* Et S Chrysostomus, in Missa à se composita, instituit, vt Sacerdos vbi intonuisset, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, priusquam Canonem recitaret, sic loqueretur: *Nullus eorum qui carnalibus cupiditatibus & voluptatibus est alligatus, dignus est ad te accedere, vel tibi ministrare, Rex gloriæ: tibi enim ministrare, magnum est, & ipsis cœlestibus Potestatibus terribile.* Idem quodam sermone ait, tempore S. Missæ, & iam instante communione, Diaconum solitum proclamare, *Sancta sanctis.* qui scilicet sanctus non est, id est, ab omni immunditiâ purgatus, ad tam diuina mysteria accedere non præsumat.

Chrys. in ritu Missæ Græca.

Hom. 17. in ep. ad Hebr.

Sancta sanctis.

§. III.

VIDEAMVS, Patres, & attentè æstimemus, quantâ integritate, quanto candore opus sit, vt

1.Thess. 4. vt ministerio nostro ritè fungamur: *Sciat vnusquisque vas suum possidere, in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut Gentes, quæ ignorant Deum.* Consideremus id, quod Apostolus interrogando affirmat: *Nescitis, quoniam corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis habitat, & non estis vestri?* Et iterum: *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Denique: *Nescitis quia corpora vestra, membra sunt Christi? tollens ergo membrum Christi, faciam membrum meretricis?*

1.Cor. 6.

1.Cor. 6.

Domine Deus, per tuam Clementiam obtestor, auoca ministros tuos à tantâ audaciâ & temeritate: immitte diluuium grande, quod eos ab omni expurget fœditate. non aperi aquarum cataractas, quibus olim vniuersam mundi turpitudinem abluisti; sed exundet ignis, qui longè vehementior est & efficacior. non ignis ille sulphureus, quo Gomorrhæam libidinem exstirpâsti, quinque vrbes nefandas exussisti: sed descendat ignis Spiritûs, viuum caritatis incendium, quod inustas vitæ nostræ maculas absumat, & ita in futurum corpora animosque conseruet, vt placitâ tibi puritate obsequi mereantur: *Vre igne sancti Spiritus renes nostros & cor nostrum, vt tibi casto corpore seruiamus, & mundo corde placeamus.*

Genes. 6.

Genes. 19.



CA-

CAPVT X.

Grauißimè Deum offendunt, qui sine castitate ad diuina accedere non verentur.

§. I.

TAnta est castitatis & libidinis contrarietas, vt illa ad rem diuinam ritè peragendam necessaria prorsus sit; hæc quo minùs id fieri possit, omnino impediat. Vnde conqueritur Deus, quòd Sacerdotes deficiente munditia, præsumant diuina mysteria condere, eaque tactu impudico contaminare. sic per Sophoniam: *Sacerdotes eius, polluerunt sanctum.* Et per Ezechielem: *Sacerdotes eius, polluerunt sanctuaria mea.* quin etiam, quod mireris, ait: *Coinquinabar in medio eorum,* ipse cùm summa sit puritas, quem nulla queat labes inficere, quia sua mysteria sine castitate conficiuntur, seipsum asserit maculari. Et S. Hieronymus, verbis Prophetæ ac ipsius Dei innixus, non dubitauit dicere, *Corpus Christi polluit, qui ad altare immundus accedit.* cuius explicationem vide infrà cap. 18. D. verò Chrysostomus dicit illos reos esse læsæ Maiestatis, & quâ pœnâ dignos censeat, attende: *Si qui regiam purpuram coinquinant, tam grauiter puniuntur, quàm qui eam scindunt: quid mirum, si illi qui non mundâ animâ Corpus Christi accipiunt, idem supplicium habeant cum istis qui eum clauis cruci affixerunt?* At rectè quidem id conatur

Soph. 3.
Ezech. 22.
Hier. sup. Ezech. 22.
In hoc Tract. c. 18.
Chrys. ho. 45. in Ioan.

natur asserere: cùm enim grauiter in eos animaduerterit, qui tabernaculum antiquæ legis immundi ingrederentur, aut de sacrificijs oblatis participarent; quanto in illos deseuiet furore, qui Corpus purissimum, & Sanguinem, profanarint? Apostolus planè verbis ad horrorem compositis de hac materia accommodatè: *Irritam quis faciens legem Moysi, absque vllâ miseratione, duobus vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & Sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*

Sententia Apostoli, horribilis *Hebr. 10.*

Hæc vt generatim dici videantur, Chrysostomus tamen, alijque Patres speciatim de ijs volũt intelligi, qui sine castâ integritate Sanctissimum Sacramentum percipiunt.

Chrys. hom. 20. sup. ad Heb. Theoph. sup. Heb. 10. Dion. Alexan. in Epist. cõtra Paulum Samosatenum

Huic sententiæ insistendo, triplici nomine arguit eos Apostolus, qui indignè accedunt. Primò, quòd *Filium Dei conculcent*: quia non minùs illum aspernari videntur, quàm si pedibus protererent. Deinde, *quòd sanguinem testamenti, pollutum ducant* id est, sanguinem Christi: quem, etsi nullâ labe possit infici aut fœdari, sic contrectant, tanquam rem nihili aut immundam præ manibus haberent. Tertiò, quòd *spiritui gratiæ, contumeliam faciant* quia remoram obijciunt, qua posita effectus Sacramenti, qui est gratia, produci non potest. Quorum singula piæ menti terrorem atque horrorem inijciant; quod etiam significat Apostolus cùm subiungit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis* & sibi Deus vltionem horum reseruat, dicens *Mihi vindicta, & ego retribuam*: vt detur intelligi ne

Triplici iniuriâ Deum affi cit, qui indignus accedit.

neminem præter Deum posse reperiri, qui pro merito tantorum scelerum, pœnæ constituat grauitatem.

§. II.

NEmini dubium est, quin grauissimis supplicijs ij Sacerdotes torquebuntur, qui coopertí infamiâ, ac voluptatum turpissimarum sordibus oppleti, Epicureum quoddam viuendi genus sectati fuerint. Porrò aduertamus, quantâ vltione olim Deus luxuriæ flagitium sit persecutus, non tantùm in Sacerdote, sed etiam in illis, quos de ipsius familia esse constabat. Præcepit ergo in hunc modum: *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur.* In alijs verò virginibus præcauerat, vt quicunque eas decepissent, sibi matrimonio copularent. & causa tantæ punitionis redditur, *Quia violauit nomen patris sui.* ille enim Sacerdos cùm sit; non solùm ipse ab omni impudicitia alienus sit oportet: verùm etiam ne tam perditus in tali familia reperiatur, omnes eius subditi procurare debent. vnde S. Chrysostomus: *Quid mirum si Sacerdotis pœna grauior sit, cùm & Sacerdotum filiæ, quibus nihil cum Sacerdotio commune est, propter dignitatem paternam, eorundem peccatorum pœnam multò acerbiorem sustineant? vnde colliges, Sacerdotis pœnam multò grauiorem esse, quàm aliorum de plebe.* Ex quo si argumentari volumus, proculdubiò Sacerdotes nostros grauiora manent supplicia, quia longè sanctiori ministerio funguntur. attendant verò, quod Spiritus sanctus pronunciat;

Grauissima pœna Sacerdotum impudicorũ.

Leuit. 21.

Exod. 22.

Lib. 6. de Sacerdot.

Eccles. 8. *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala: attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* Etenim nullâ ratione nituntur, vt quia Deus in sceleribus plectendis tardus sit, persuadeant sibi se impunes fore; sed inde certò colligant, quòd supplicij tarditatem, pœnæ grauitas compensabit. sic

Eccli. 5. enim eadem veritas: *Ne dicas, Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.* sicut patiens est in tolerando, ita iustus in retribuendo: & pijs præmium, & impijs supplicium persoluetur. Quod si benè excutiant, fieri non posse arbitror, quin iudicaturi sint, satiùs esse in hac vita pro peccatis satisfacere, quàm in altera Dei iudicium exspectare.

§. III.

Ecclesia graues pœnas statuit Sacerdotibus impudicis

FAcilè quiuis intelligat, sanctam matrem Ecclesiam tantorum criminum grauitate offendi, eamque satis cognoscere, quantâ seueritate in illa Deus animaduertet: vnde vt Sacerdotes à tam nefario opere auocaret, pœnas grauissimas in diuersis Canonibus sanxit, in quibus omni illos beneficio & cõmunione priuat, ab officij functione, aut pro semper, aut aliquot annis remouet, donec seriâ pœnitentiâ prioris vitæ maculas abstergant, & rursus exemplum sint munditiæ & castitatis.

Clim. c. 15. Refert de se Ioannes Climachus, cùm aliquando in concione diceret hæresim esse maximum

mum peccatorum; quidam ex adstantibus subiecit: Quomodo hæreticus resipiscens & confessus, ad diuinorum admittitur participium; & Sacerdos fornicatus, licet eum pœniteat, repellitur, donec per certa annorum spatia culpam defleri? ac fatetur ipse, huic se quæstioni satisfacere non potuisse. Etenim causam huiusce differentiæ reddit Apostolus: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* reliqua peccata quamuis animæ labem inurant, non tamen corporis membra, sicut fornicatio, fœda turpitudine inficiunt aut eneruant. atque ita, etsi grauiora illa sint, vbi tamen per lacrymas & confessionem eluuntur, nihil remanet, quod à cælestium mysteriorum participatione impediat: sed vitia carnis, præter turpissimam notam, quam animo inurunt, corporis inquinant puritatem: ac proinde hominem ineptiorem ac magis incapacem reddunt, vt virginale Christi Corpus pollutis manibus attrectet. Hinc etiam intendunt Canones, priuare eos, vt dictum est, muneris executione, qui tali dedecore seipsos contaminant.

1. Cor. 6.

Luxuria non tantùm animam, sed & corpus inquinat.

Hoc optimè intellexisse videtur S. Macarius, in cuius vita sic narrat Palladius, Cappadociæ Episcopus: Ad Macarij cellulæ fores, reperi aliquando Presbyterum quendam, cuius caput adeò cancri morbo, vt os etiam nudaret, exesum consumptumque erat. Qui licet curationis gratia se eò contulisset, nunquam tamen in illum vsque diem à Sancto susceptus fuerat. Ego itaque misericordiam pro eo postulaui. At Macarius: Hic, inquit, cùm Sacerdos sit, & fornicationis

Factum S. Macarij.

Surius 2. Ianuarij.

ſcelere pollutus, miniſteria tamen Domini violare non horruit, ob quod talis ſupplicij atrocitate cruciatus, curatione indignus eſt. ſed ſi oris confeſſione ſcelus ſuum expiare, & deinceps à ſanctorum immolatione ſacrificiorum abſtinere velit, medicamentum, Deo iuuante, conſequi poterit. Paret lubens ad omnia miſer ille: nec mora vir ſanctus manuum ſuarum impoſitione, integram illi ſanitatem, capillorumque ornamentum, paucis diebus reſtituit.

Cenſura S. Gregorij ſtricta. *Refertur à S. Bonau. lib. 1. pharet. c. 22.*

Non eſt, cur nimiam hanc fuiſſe ſeueritatem arguamus: nam eandem ſententiam tulit S. Gregorius Pontifex, vt refert D. Bonauentura: *Qui poſt acceptum ſacrum Ordinem, lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro Ordine ita careat, vt ad altaris miniſterium vlteriùs non accedat.* Vbi mundus, ſi lex iſta inuiolata cuſtodiretur? ſed poſito illam exoleuiſſe, propter varias communium temporum calamitates, & bonarum conſuetudinum præuaricationem; oportet tamen huic Sacerdotem attendere, vt ab omni illicitâ voluptate deterreatur: oportet, inquam, Sacerdotem cogitare, quòd ſupplicij, in hac vita, tarditatem pœnæ grauitas in futuro compenſabit: ſicut paulò antè declaratum eſt.



CA.

CAPVT XI.

De quorundam in hac vitâ punitione, qui conſcientiâ pollutâ ſacram Euchariſtiam perceperunt: & quàm facilè ſit animi obtinere puritatem.

§. I.

ETsi Deus ſæpenumerò ijs parcere videatur, qui infecti peccatis & libidine, ad Sacramenta accedunt: nonnunquam tamen acerrima ſupplicia inflixit, vt impiorum audaciam caſtigaret.

Quòd in naſcentis Eccleſiæ exordio, multi temerè & indignè ſacrum Chriſti Corpus manducarent, & Sanguinem biberent, ait Apoſtolus: *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* ſic Gloſſa, & communiter Sancti commentantur. Diuus verò Chryſoſtomus affirmat ſua ætate atrociſſimos morbos, & innumeras calamitates obortas ex eo, quòd pollutis animis ad diuina percipienda accederent Chriſtiani. *1. Cor. 11.* *Chryſ. hom. 5. ſup. 1. ad Tim.*

S. Cyprianus de quodam refert, qui mente venereâ cùm eſſet, Sanctiſſimum Sacramentum ore excipere præſumpſit: ſed exceptum, ſacrâ hoſtiâ in cineres reſolutâ, non potuit deglutire. cui narrationi ille ſubnectit: *Documento vnius oſtenſum eſt, immundis non prodeſſe ad ſalutem, quod ſumitur; cùm gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente,* Exemplũ horrendum. *S. Cyp. ſermon. 5. de lapſis.*

 mute-

mutetur. Idem, in eadem concione, alias quasdam horrendas puniriones recenset, quibus pari audaciâ fretos vindicta deprendit.

Alia exempla terribilia.

Vide terribile exemplum apud Baron. to. 12. anno 1109. fol. 10.

Venerabilis P. M. Auila, vltimo de Eucharistia tractatu, quendam fuisse Sacerdotem tradit, qui animo impudico sacrificium aggressus, cùm consecrare vellet, manus in ara deposuit. quæ tanquam laminæ candenti iniectæ fuissent, adeò exustæ sunt, vt extemplo à diuinis recedere coactus sit. Alter, cui deficiente dispositione præceptum erat, ne à confessione sacram Synaxim reciperet, spreto consilio accessit, ac repentinâ morte percussus dæmonibus præda fuit; in cuius ore inuenta est hostia, quæ sceleratum guttur suffocârat Idem Doctor, à se personam visam affirmat, cui indignè ad sacram mensam properanti vox audita sit; Nisi te Sancti cuiusdam tenuisset intercessio, subitò ad altare expirâsses.

Vbi suprà Nota hæc.

Hîc meritò subiungemus verba, quæ post similes casus intulit Cyprianus: *Vnusquisque consideret, non quid alius passus sit, sed quid ipse pati mereatur: nec euasisse se credat, si eum interim pœna distulerit, cùm timere plus debeat, quem sibi Dei iudicis censura reseruauit.* In quibus id confirmatur, quod suprà diximus, Deum quidem in hâc vitâ dissimulare; sed mortuis strictissimum fore vindicem nequitiæ & peruersitatis, nisi facillimâ ratione, quam ipse præstitit, nos ipsos curemus.



§. I.

§. II.

IVstissimè olim DEI furor desæuiet in Sacerdotes, qui debita munditia, quæ nunc nullo pænè negotio obtineri potest, caruisse deprehendentur. certè nihil vltrà ab ipsis postulatur, quàm vt mentes, quantumuis fœdatas, lacrymis è verâ contritione fluentibus emundent. hoc enim est lixiuium vehemens & acre; quod turpissimas immunditiæ maculas delere possit & expungere: velut per Isaiam DEVS testatur: *Lauamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; quiescite agere peruersè, discite bene facere. Et si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erunt.* Vt abluatur scelerum turpitudo, calentes dumtaxat lacrymarum riuuli, peccati odium, vitæ melioris propositum exigitur; denique vt virtutis pulcritudine allecti in pias operationes incumbamus. *Isai. 1.* Facile est remediū ad animas purgandas.


Vnde nemo iudicantis flagellum speret euadere, nisi honestate claruerit & sanctitate requisitâ. iure quidem; cùm media adsint efficacissima, & potissimùm Sacramenti Pœnitentiæ virtus, qua facilè omnis dignitas amissa reparetur: *Lauamini & mundi estote.* Non immeritò Sacerdotibus dicere possemus, quod Naaman Syro famuli dixerunt: *Pater, etsi rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debueras, quantò magis quia nunc dixit tibi, Lauare, & mundaberis?* Ita sanè, licet à nobis plures molestiæ & *4 Reg. 5.*

 diffi-

difficultates peterentur, lubenti animo subeundæ essent, vt rem maximi momenti, animorum nempe puritatem, consequeremur, lepram peccati immundam exueremus: at inertes erimus, cùm dicitur: *Lauamini & mundi estote.* Idem dictum est Syro, *Lauare & mundaberis*, & res effectu probata est.

Isai. 52. Idem ille Isaias, ministris templi pręcipit: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Si porrò tanta puritas exigebatur ab ijs, quorum erat ornare templum, vasa portare, victimas prouidere; numquid potiori iure Sacerdotibus dicetur, vt sese expurgent, qui vasa sunt sancta, in quibus diuinitas simul & humanitas requiescit? In veteri lege cautum erat, priusquam ad Deum accederent Sacerdotes, mundarent se, ne fortè irrueret super eos indignatio: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Quid modò illis incumbit, qui Deum manibus suis attrectant, in animæ suæ medullis excipiunt? Suppleat diuina pietas, quod nos deficit: necesse enim est illa sanctitatem dignitati adæquatam in omnibus operetur, vt ministerium nostrum placitum Deo esse possit, & acceptum.

Exod. 19.



CA-

CAPVT XII.

Sacerdotes ad castitatem & virtutum exercitia obligari, exemplis Mystarum Gentilium declaratur.

§. I.

SVPRADICTIS addam, quod meritò audiamus summo, cum pudore & verecundiâ: ne fortè sit aliquis, qui excusare se possit, quo minùs, Sacerdos cùm esset, studuerit puritati. hoc autem eâ ex opinione eliciemus, quam barbari ac Gentiles hac in re semper conceperunt Quibus ratio & natura dictauit, sicut munus Sacerdotale magnæ æstimabant dignitatis & excellentiæ, ita ad id ritè obeundum, virtutem quandam postulari, & vitam cæteris multò præstabiliorem arbitrabantur: & speciatim sibi persuadebant, ipsis omninò necessarium esse studium castitatis, & à populari familiaritate fugam & remotionem. Quid de sacerdotio senserint Gentiles.

Plato refert, Sacerdotes Athenienses disiunctam à plebe habitationem coluisse, & causam huius separationis addit, *ne contagione aliquâ, eorum castitas labefactaretur.* *Plato in Timæo.*

S. Augustinus, cùm prędicandi Euangelij gratia in Æthiopiam penetrâsset, ait se vidisse Sacerdotes barbarorum, qui tantâ abstinentiâ excellerent & virtute, vt maximè confunderetur. fuisse dicit, qui licet coniugati essent, semel in anno duntaxat cum vxoribus conuenirent, & tunc aliquot *Aug. serm. 37. ad frat. in Eremo.* Virtutes Sacerdotũ Æthiopum.

 antè

tè & pòst diebus sacrificio solitos differre. Alib sic enarrat: *Vidimus in inferioribus partibus Æthiopiæ quòd Sacerdotes à conuersatione hominum fugiebant, ab omni libidine carnis se abstinebant; maximè autem quando dijs suis sacrificia efferre debebant: tunc enim nihil sumebant, nisi metretam aquæ per diem, & sic contenti manentes, dijs suis sacrificia offerebant.*

Hier. lib. 1. aduers. Iouinian. circa fin.

Sacerdotum item Athen. rara virtus.

S. Hieronymus affirmat: *Hierophantas Atheniensium vsque hodie* (suâ ætate) *cicutæ sorbitione castrari, & postquam in Pontificatum fuerint electi, viros esse desinere.* & aliàs: *Narratur de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum, quòd omnibus mundi negotijs curisq; postpositis, semper in templo fuerint, & rerum naturas contemplati sint: nunquam mulieribus se immiscuerint, nunquam cognatos & propinquos viderint, ex eo tempore quo cœpissent diuino cultui deseruire. Carnibus & vino semper abstinuerint propter tenuitatem sensus, & maximè propter appetitus libidinis refrenandos. Pane rarò vescebantur, ne onerarent stomachum: oleum tantùm in oleribus nouerant, & ipsum parum: oua quoque & lac pro carnibus vitabant. Cubile eis de folijs palmarum contextum erat, scabellum accliue pro puluillo capiti supponebant, biduo triduoq; inediam frequenter sustinentes, vt humores corporis nimiâ victus castigatione siccarent.* Hæc & similia à tanto Doctore referuntur, quæ magè solitarijs & monachis Christianis, quàm barbaris sunt amplectenda. sed quamuis tales essent, illa tamen sanctimonia ipsis propria iudicabatur, quia lecti erant in sacrificulos & Mystas, qui falsorum deorum simulacris adolerent.

Vbi suprà.

Meritò hîc cum Augustino exclamemus: *O grandis Christianorum miseria! ecce Pagani, doctores fidelium*

delium facti sunt, & peccatores ac meretrices præcedent nos in regno Dei. Nunquid pudore suffundimur, cum hæc legimus, hæc audimus? Gentiles, quia Sacerdotes æstimari, & dæmonibus immolarent, tam castè & frugaliter viuere conabantur: Christiani, *regale* Deo vero *Sacerdotium*, qui sanctissimo litant sacrificio, quâ innocentia, quâ puritate, tam diuinum opus administrent? certè non poterit esse excusatio, vbi debitæ erit virtutis defectio: præsertim cùm è cælo præsens adsiet gratia, quæ illam desiderantibus, & facientibus quod in se est, non denegatur: & quæ fortior & efficacior est ad bonum, quàm naturæ nostræ corruptela ad malum. Videmus idololatras absque diuini fauoris auxilio, naturæ suæ vincere prauitatem; videmus in ijs virtutibus exerceri, quarum habitus summo labore & tolerantiâ acquiri vix potest; quo stimulo? quia eam animo imbibêre sententiam, cùm Sacerdotes sint, vt tales se viuere oportere.

Ciuibus Ierusalem dixit Christus: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione istâ, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hîc: Regina Austri surget in iudicio cum generatione istâ, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis.* Nobis verò, Sacerdotes Gentiles ob oculos statuet, qui laudabili vitæ instituto genus viuendi nostrum enorme condemnent. Etenim illi, vt Christiani, vixerunt: nos, Christiani cùm simus, Gentilium cæcitate aberramus.

Matth. 12.

Sacerdotes Gentiles, condemnabũt Christianos.

* * *

CA-

CAPVT XIII.

Paupertas & humilitas Euangelica, propria est & conueniens dignitati Sacerdotum.

§. I.

Sacerdotes & Leuitæ, hæreditate carebant.

ALIVD quiddam, præ cæteris magè dignum notatu. Sacerdotibus antiquis cauit Deus, ex quo tanquam fonte doctrinam vtilissimam & necessariam deducemus. Præcepit illis in hunc modum: *Non habebunt Sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem cum reliquo Israel, quia sacrificia Domini & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum.* Et iterum: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israël.*

Deut. 18.

Num. 18.

Hinc elicitur: si tunc cùm diuitiæ fluxæ ac temporales in votis habebantur, easque Deus in præmium benemerentibus pollicebatur, studium quasi paupertatis Sacerdotibus ac Leuitis commendatum fuerit; quid modò, cùm inter Euangelicas Beatitudines prima sit: *Beati pauperes spiritu?* vbi paupertas tanquam fundamentum Christianæ perfectionis collocatur? vbi dicitur neminem fore discipulum, nisi diuitijs spretis mundo valedixerit? vbi opes ac thesauri sic vituperantur, vt *facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum?*

Matth. 5.

Luc. 14.

Matth. 19.

Pro-

Proprium est Sacerdoti Euangelico, rerum temporalium curis sit expeditus, pauper spiritu, & eo contentus, quo saluus & liber esse à famis iniuriâ, & vitam sobriè ac frugaliter conseruare possit. Etenim res est portento similis, à ratione prorsus aliena, videri Sacerdotem, & esse, qui infinitâ pecuniæ cupiditate ducatur, non ad vsus vitæ necessarios, sed profanos, &ad perfruendas voluptates. Item ille monstro comparandus, qui in id incumbit, vt auaritiam, qua eget, quæritando saturet, cùm hoc fieri nunquam possit. Quocirca in primo Ordine, quando Clericali corona insignitur, tondetur capite, vt meminerit ex tunc exuenda esse terrenorum desideria, & in solo Deo omnem spem diuitiarum, atq; opulentiæ, constituendam esse: quod his verbis initiato proponitur: *Dominus pars hæreditatis meæ.* O Patres, ad quantam hæreditatem vocamur, si vni huic intenderemus? qui enim Deo fruitur, nullo eget, omnia possidet; qui illo caret, quamuis ditissimus videatur, pauper & inops æstimandus est. atque adeò dicere isti licebit: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Inter fratres meos hæreditatem optimam sortitus sum. Proinde etiam Clericus tunc vocatur, quia melior sors ei obtigit, in Deo spem ponere & cogitationem. quod statim ex Hieronymo & Augustino ostendemus.

Propria est Sacerdotibus Euangelicis paupertas.

Psal. 15.

Ibid.

Hac ætate dominatur auaritia.

Enimuerò hoc paupertatis studium, quomodo hac ætate frequentari possit, nescio. regnat quippe inexhausta opum fames, nec vitio vertitur Ecclesiasticis, si, vt reditus amplissimos obtineant, artibus vtantur cautissimis & negotiatione mirabili,

bili, secularium instar, & fortè conditione deteriori: verùm id prudentiæ esse ac sagacitatis iudicatur. vnde si illi, quod exercetur, assentio, planum est, Euangelium contra nos militare, & à SS. Patribus doctrinam nostrã euerti, Sacerdotij deniq; naturam prorsus huic industriæ aduersari. Si veritatem loquor, vix dubito quin ineptus esse dicar & mihi soli velle sapientiam vindicare. Sed vt vest, de hoc disserere, cùm materia grauissima sit, mei esse muneris puto ac facultatis: grandem iter iniuriã huiusce libri lectoribus infligerem, nec satisfacturũ me existimo, si omitterem scripto commendare, cuius in hoc mihi negotio intelligentiam Deus concessit. atque ita dicturus sum, gratiæ innixus, quam idem mihi Dominus largitus est.

Vt ergo id benigniùs excipiatur, testes adducam integros, & omni exceptione maiores: quorum auctoritas ad huius confirmationem omnino necessaria est.

Hieron. ep. ad Nepot. de vita Cleric. S. Hieronymus in quâdam epistolâ de vitâ & consuetudine Clericorum ac Sacerdotum, sic infit: *Clericus qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nitatur esse quod dicitur: Clero enim Græcè, sors appellatur Latinè; & propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars & hæreditas Clericorum est. Qui autem vel ipse Domini pars est, vel Dominum habet tanquam partem & hæreditatem suam, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit Pars mea Dominus. nihil extra Dominum habere potest quòd si quidquam aliud habuerit præter Dominum, pars eius*

ius non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argen-tum, si possessiones, si variam supellectilem: cum istis par-tibus Dominus pars eius fieri non dignabitur. si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, non debeo accipere partem inter cæteras tribus; sed quasi Leuita & Sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens de altaris oblatione sustentor, habensque victum & vestitum his contentus ero, & nudam crucem Christi nudus sequar. ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas Sacer-dos, quàm cùm clericus esse cœpisti. negotiatorem clericum & ex inope diuitem factum, quasi quandam pestem fuge. Ignominia Sacerdotum est, proprijs studere diuitijs.

Circa hæc & aliorum infrà SS. testimonia, ad-uertendum est, non argui Sacerdotes vt reos pec-cati, quòd aurum, argentum, aliasque opes possi-deant: sed ad maiorem vitæ perfectionem dari consilium, vt peritura illa & sortis bona vilipen-dant, cùm id sit è mente Christi, & Sacerdotio ma-gis conforme. Porrò necesse est, vt paruipēdantur diuitiæ, aut nullatenus, quod perfectissimum est, possidendo, aut saltem voluntate & affectu, secū-dùm illud Psalmi: *Diuitiæ si affluant, nolite cor appo-nere.* adeò si Sacerdos multarum rerum abundan-tiâ fruatur, conetur esse *pauper Spiritu*, & mundi va-nitatem declinet, pecunijsque duntaxat ad Dei gloriam vtatur, ad honestam corporis sustentatio-nem, & ijs in rebus, ob quas clericis opes concedit Ecclesia, vt deinceps exponetur, & præcaueat ne auaritię, aut prodigalitatis, insimulari possit. Quia verò hoc arduū ac difficile est, & magis consenta-neum ac conueniens dignitati Sacerdotum, omni cedere opulentiâ & patrimonio, solisque Ecclesiæ stipen-

Nota ad doctrinā Sanctorū intelligēdam.

Psalm. 61.

c. 15. hic

stipẽdijs enutriri, vestiri, & Euãgelicæ pauperta incumbere; hinc ad illam Sancti, non tanquam o-mninò necessariam, sed vt conuenientem, adhor-tantur. atque ita ipsorum sententia explicãda e.

Aug. lib. de contemptu sæculi tom. 9.

S. Augustinus ad hoc luculenter: *Qui in terr præsumunt habere facultatem, quomodo non erubescu dicere: Dominus pars hereditatis meæ? Vbi est illud Ap-stolicum: Quæ conuentio Christi ad Belial? qui terren possessiones relinquere nolunt, cur peccata populi com-dunt? si decimas cum filijs Leui accipiunt, quomodo int cæteras tribus partes accipient? si nominis sui etymologia attendunt, cur Clerici à sorte dicti sunt, nisi quia Dom-nus eorum sors vel hereditas sit? cur saltem clericatus s signa, quibus à laicis discernuntur, non perpendunt? n enim sine causa, capita eorum raduntur & tondentur, s perspicacissima & euidentissima ratione: nam his sign secernuntur à laicorum conuersatione. Caput enim ra re, signat cogitationes terrenas & superfluas, à mente r-secare: quia sicut pili non sunt pars corporis, sed quæda superfluitas procedens à corporis humore, sic bona temp-ralia non sunt nobis naturalia, sed aliena & superflu. Vnde Sacerdotes minimam partem capillorum in capi retinent, vt per eorum abrasionem, se minimam terren-rum sollicitudinem habere designent: illam tamen, etsi m-nimam, partem retinent, quia dum in hoc mundo sunt, terrenis cogitationibus omninò vacui esse non possunt. Cr nes præterea radimus, vt inter nos, & Deum, nihil intere approbemus.*

Bern. epist. ad Fulconem.

His consentit mellifluus Bernardus, ita dicen *Funes ceciderunt tibi in præclaris, & tu opibus inhi terrenis? si vis habere hæc simul & illa, breuiter tibi r-spondebitur: Memento quòd recepisti bona in vita tu*

Rec

Recepisti, inquit, non rapuisti: ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quòd tuis contentus aliena non rapias. verumtamen quæ sunt illa tua? beneficia Ecclesiastica? rectè, quia surgis ad vigilias, vadis ad Missas, chorum horis nocturnis diurnisq́ue frequentas. benè facis: sic enim Ecclesiæ præbendam gratis non accipis: verumtamen quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum, de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est: habentes ergo victum & quibus tegamur, his contenti simus. Quibus tegamur, dixit, non quibus lasciviamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis assimilemur, vel placeamus. Hic sententiam habes, & consilia Sanctorum. Nota benè.

§. II.

GRauissima testimonia allata sunt, & ipso Euangelio stabilita: reperias tamen illos qui se prudentes ac doctos venditent, & quibus in hoc temporum decursu, ob certas aliquas, friuolas tamen, rationes & cum carne coniunctas, videatur omnino conuenire, imò necessarium esse, vt Prȩlati, & qui in Ecclesiastica dignitate tenent principatum, magnificas ædes habitent, copiosâ seruorum familiâ stipentur, & in ijs rebus quàm maximè studeant excellere, quæ huius mundi Principibus ac Monarchis conciliant amorem & officia subditorum. nec Ecclesiasticos in hoc cedere debere, vt maiorem apud populares auctoritatem, apud magnates beneuolentiam sibi parent: idque plurimùm æstimatur ab his, qui hac in re se vsu peritos, ac sapientes, arbitrantur. Prudẽtia mundi, ex cogitat rationes ad paupertatem repellendam.

Quibus, quod certum mihi semper visum est & indubitatum, respondebo, quod dicam, secun-

dùm Christi & Sanctorum documenta, & rectæ rationis dictamen sustineri potest, & hac tempestate, experientiâ duce, magis innotescit. Nimirum auctoritas, excellentia, amplitudo Ecclesiastica quorumcunque, alterius est generis à sæculari dignitate, & manifestam includit differentiam: illa inquam, nobilitas & auctoritas quæ spiritalis est & religiosa, nec vllo modo dependet, siue augmentatur famulantium numero, aut peristromatum opulentiâ, auri argentique immensi vi, domuum structura admirabili, quæ paria sint Regum vel Imperatorum, non attalico mensarum apparatu, & exquisitis ciborū illecebris, aut huiusmodi quæ hominum oculos inescare solent. Sed omnis illa excellentia & dignitas conferuatur sedulâ virtutum operatione, & Euangelicæ paupertatis exercitio; potissimùm liberalitate erga pauperes & afflictos, alijsque his similibus quæ maiorem excitabunt reuerentiam, quàm amplissima familia, profani & inutiles sumptus, atque ab Ecclesiasticâ dignitate prorsus alieni.

Auctoritas Ecclesiasticorū spiritualis esse debet, à secularium diuersa.

Nec mei solius hæc est sententia: nam & hanc ante me censuit M. Bannes, in Salmātina Vniuersitate Cathedraticus Primarius, vir eximiâ sapiētiæ laude nobilitatus, sic enim habet: *Episcopi præ diuites, non solùm pro ministerio Episcopali existiment se stipendium recipere, sed etiam pro dignitate status sui. Dignitatem dico spiritualem, quoniam sunt magistri perfectionis, & ideò decet vt habeant amplissimos fructus, quibus possint caritatem & misericordiam erga proximos exercere. Et fortaßis hac via in maiori honore haberentur, & magis ab omnibus, etiam magnatibus, suspicerent*

Bannes 2.2 q. 32. art. 6. dub. vlt.

gerentur; quam-propter multam supellectilem, plurimamque eleganter vestitam familiam, multamq; vasorum ex auro & argento copiam, & mensæ splendorem, & equorum atque equitum, curruum & lecticarum multitudinem.

Non mirum ita sentire Theologos & Sanctos omnes, cùm ita declaratum sit in Concilio Carthaginensi, vbi dicitur: *Episcopus, vilem supellectilem & mensam, ac victum pauperem habeat: & dignitatis suæ auctoritatem fidei & vitæ meritis quærat.* Cōc. Carth. 4. & refert in c. Episc. 42. dist. & in Conc. Trid. vide infrà.

Quòd si his contradixerit mundus, consuetudo inueterata, & concupiscentia malorum, quæ altissimas egit radices: & fuerit aliquis (ac erit fortasse) cui videantur hæc testimonia Sanctorū præ vetustate exoleta, & præsentium temporū conditione antiquatâ: cui item videatur hoc, quod scribimus, eius esse auctoris, qui monasterij tantùm septa nouerit, ignoret ea quæ foris aguntur & tractantur; illi vt satisfiat, maiorē testem adducam, maiorem SS. Hieronymo, Augustino & Bernardo, cuius tanta sit auctoritas, vt temerarius iudicetur, quicunque illi se non submittit, auderq; vlteriùs reluctari. maiorem dico fore auctoritatem, quia Conc. Tridentini; cui præfuisse Spiritum S. & omnem ab eo doctrinam inspiratā & confirmatam confitemur: nec id antiquum esse dici potest, cùm nostræ sit ætatis, & ita vicinum, vt idem tunc, quē modò habemus, fuerit agendi ac procedendi modus. Hoc ergo Concilium Sanctum ita decernit: Obiectio mundi. *Sancta Synodus admonet Episcopos omnes, vt factis ipsis ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos componant, vt reliqui ab eis* Cōc. Trid. sess. 25. ca. 1. de refor. Nota.

frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac (quæ nos tantopere commendat Deo) sanctæ humilitatis, petere exempla possint. Quapropter exemplo patrum nostrorum, in Concilio Carthaginensi non solùm iubet, vt Episcopi modesta supellectile & mensâ, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac totâ suâ domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum: quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. & subiungit: *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, ea non solùm, in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam secularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari; sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.*

Hæc verba Concilij, vtinam in conclauibus ac atrijs Prælatorum scripta haberentur, in quibus se, tanquam speculo, contemplari possent, aut, vt meliùs dicamus, vtinam nunquam è memoriâ exciderent, omniumque impressa mentibus sæpè reuoluerentur! tunc planum esset, quæ scribo, non è meâ libidine aut ignorantiâ prouenire, sed esse doctrinam Spiritûs sancti, quâ omnibus Ecclesiæ Proceribus ac ministris commendatur, vt meminerint virtutem esse quæ illustret, non diuitias & superfluos apparatus.

Quidam Prælati, valdè pauperes.

Ne tamen hæc purè speculatiua videantur, & minùs apta quæ in exercitium & praxim adduci possint; experientia horum temporum apertè mecum docet, & contrarium manifestat: in quibus Prælati non pauci, digni hoc nomine, vixerunt; qui licet census haberent opulentos, vtpote Ecclesiæ Principes, nihil eorum vsurpârunt, quæ à nonnullis ad dignitatem Ecclesiasticam conseruandam

uandam necessaria iudicantur: tapetes pretiosos, palatia regalia, ædes instructissimas nunquam habuerunt, sed frugaliter ac temperatè, instar religiosi aut clerici pauperis, viuentes, humili pallâ & amictu contenti, omnem vestimentorum luxuriam abiecerunt. Porrò res est certissima, non idcircò vel hilum auctoritati ipsorum detractum fuisse. at scimus & fateamur necessè est, in maiori ipsos, quàm terræ magnates, æstimatione fuisse & reuerentiâ: quorum scilicet manibus, vestibus, pedibus oscula figerentur. Quod minimè contigisset, si induti serico, auro onusti, magno famulantium grege stipati vndequaque circumuecti, si domus adornatæ peristromatis, diuitijs plenæ ac thesauris, mensæ regales & exquisitarum epularum delicijs oppletæ fuissent. Hos constat in vita & post mortem claruisse miraculis, & ossa ipsorum ac cineres in veneratione haberi: fieri item diligentiam, vt Sanctorum catalogo adscribãtur. Ad quod obtinendum nihil proderit maiorum stemma, magnificos apparatus & his similia recensere: proderit verò, paupertatem, modestiam, continentiam, humilitatem ostendere, quam ipsi & familiares coluerunt: proderit ipsos ad normam & decreta Concilij Tridentini, Sanctorumque exempla, vitã instituisse. Vnde patet, nõ esse ineptum aut absurdum dicere, paupertatem Euangelicam maximè dignitati spiritali conuenire; ac è contrà consilium esse carnis & sanguinis, corruptelam morum huic velle contrariari. Quod & Magister meus doctissimus P. Ludouicus de Leon in hac re, his verbis confirmat: *Hanc difficultatem*

Plus æstimatur sanctitas Prælatorum, quã diuitiæ.

non esset difficile definire, nisi corrupti nostri sæculi more contra antiquam & rectam consuetudinem adeò inualuissent, vt in suum fauorem etiam haberent graues & doctos viros. Faxit Deus, in cuius gloriam & amorem hæc scribuntur, vt mihi (quibus aliàs destituor) vires sufficiant, quibus roborentur ea, & fructificent, quæ ipso auctore ad ministrorum suorum reformationem, prorsus necessariam, inchoata sunt.

CAPVT XIV.

Appendix ad doctrinam positam, quâ Euangelica paupertas Ecclesiasticis commendatur.

§. I.

Oportet in Ecclesia esse beneficia opulenta.

VT supradicta meliùs intelligantur, notandum est hîc nullo modo dici (nam ne quidem somniatum est) beneficia Ecclesiastica non debere esse opulenta: meâ enim opinione, talia sinc omninò conueniens est: & plurimùm laudanda est Imperatorum, Regum, cæterorũque fidelium religio & pietas, qui indole tam liberali Ecclesiæ patrimonium ditarunt. Laudanda est Pontificum Max. prudentia, & sedula cura, qui decimas, primitias, atque offertoria plebis Christianæ applicârunt, vt beneficia Ecclesiæ opulenta essent & copiosa; vtpote quæ omninò necessaria forent Christianis. grauiter item ac molestè fero legationes Ecclesiasticas ac census magna ex parte diminutos & abalienatos, sentioque id contigisse in sce-

lerum,

lerum nostrorum emendationem, Deum videlicet nimiâ Clericorum auaritiâ & prodigalitate exulceratum permisisse, vt exactionibus, tributis ac portorijs grauarentur.

Quæ vero intendimus dicere, duo sunt. Primò quidem consulere Ecclesiasticis, vt omnem auaritiam & cupiditatem, non minùs quàm pestem quandam exitialem, fugiant, memores hanc esse malorum omnium fontem & originem, Apostolo attestante, qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Quòd si de secularibus idem asserit. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*; quid de Ecclesiasticis loqueretur, qui in ordine tam perfecto sunt constituti, vt fundamẽtum stabile paupertas meritò requiratur? Secundò, consilium meum est, vt, quamuis aliquis beneficio opulento fruatur, se diuitem esse ne putet, neué sibi persuadeat hoc censu se gaudere, vt triumphet, infletur, genio indulgeat, ædificia exstruat sumptuosa, ornata & magnificè instructa, ad epulas promiscuè amicos inuitet, & in eiusmodi profanis sumptibus rem Ecclesiæ prodigat & absumat instar primogeniti, qui parentum ex asse hæres, agrorum possessiones disperdit ac dissipat, & patrimonium vniuersum luxuriosè effundit. quod procul dubio execrandum est & omnino sceleratum. Sed intelligatis, sibi concreditum esse tale beneficium, vt ex illo victum sibi tẽperatum comparet; quod supererit, tanquam fidus

Ecclesiasticis fugienda auaritia.

1. Timoth. 6.

Beneficiati diuites, non vt tales se tractent.

administer in pauperes eroget, alijsque pietati studijs impendat, vt statim dicetur.

Bern. epist. ad Fulconem. Hoc ipsum eleganter cōsulit his verbis S. Bernardus: *Conceditur tibi, si bene deseruis, vt de altari viuas, non autem vt de altario luxurieris, de altario superbias, vt inde compares tibi fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, variam supellectilem ornatu purpureo diuersificatam: sed vt habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Idemque repetit altero sermone, in hunc modum: *Væ tibi, clerice, qui peccata populi comedis: bonum erat tibi magis fodere aut etiam mendicare. Sollicitus ergo esto, tanquam rediturus rationem pro eis, gemitus effunde, dignos age fructus pœnitentiæ: alioqui ea tibi noueris imputanda, quæ modò inter delicias comedis & paruipendis. Venient enim ante tribunal Christi, audieturque populorum querela grauis, accusatio dura eorum, quorum clerici vixere stipendijs. quid tibi, insipiens, diuitiæ sapiunt, quibus mercatus tam graue iudicium? De altari cui seruit, viuat clericus; viuat, non luxurietur, non superbiat, non ditetur, nec ex clericatu dedecoret? fiat; non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos congreget, nec in vanitate vel superfluitate dispergat, nec extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos.* Huc vsque Bernardus.

Nota. *Bern. in declar. super Euāg. Ecce nos reliquimus.*

§. II.

Explicatur doctrina Sanctorum.

ADuertendum, quæ de paupertate dicta sunt, maiori ex parte esse de consilio, & eo consilio quod salutare admodum sit, & Ecclesiasticis omnino laudabile, si acceptent. Porrò sic accipienda sunt sententiæ SS. Hieronymi, Augustini, & Bernardi, qui, vt suprà patet, exigere videntur,

tur, vt Sacerdotes & clerici ſine patrimonio aut hæreditate, cum perfecto mundi contemptu, vitam inſtituant: ſicut tum temporis multi clerici & Canonici Regulares ſatagebant. illi verò hãc rem tanquam vtiliſſimam, non vt abſolutè neceſſariam, commendarũt. qui enim bonis ſuis frui, & hæreditatem ad ſe delatam voluerit poſſidere, licitè faciet: quin imò, licet accipiat de beneficio, quantum honeſtæ ſuſtentationi poſſit ſufficere. in quo ſui ipſius & familiæ includitur alimentum, pro ratione dignitatis. Verùm omnis ſuperfluitas & diſſipatio, quidquid denique moderationi, decoro, & Eccleſiaſticæ profeſſioni aduerſatur, penitùs vitanda ſunt: cuius certa non poteſt tradi regula, quæ omnibus ſit communis. Sed ad quod quiſque tenebitur, arbitrio prudentum & vſu peritorum ſtatuendum eſt: de quo ſibi conſulat, qui ſaluti ſuæ inuigilare ſe confidit: nemo enim in propria cauſa iudex erit incorruptus.

Quid intelligatur per honeſtam ſuſtẽtationem.

Hæc licet ita ſint, amplianda tamen aliquo modo videntur, vt humanæ fragilitati & communium temporũ calamitati ſubueniamus. Etenim ſi Eccleſiæ Principes, & qui opulentis beneficijs fruuntur, eâ virtutis laude excellerent, quam honoris exigit amplitudo; exiſtimẽ illos in paupertate ſpiritûs, animique ſubmiſſione, ſine minimo auctoritatis diſpendio, optimè victuros. Nam in dignitate conſtituti, licet frugaliter & modeſtè viuerent, in honore tamen haberentur ob ſpectatas virtutes, quæ ſolidam & veram merentur laudem. Sic SS. Martinus, Nicolaus, Ambroſius, Baſilius, & ſexcenti alij, quia hac ratione vitam inſtituerunt,

Paullulũ prædicta relaxãtur.

tuerunt, Imperatorũ ac Principum honore digni facti ſunt : imò hac ætate, vt ſuprà diximus, eiuſmodi exempla præclariſſima non defuerunt; neq; dubium eſſe poteſt, quin & nunc viris ſanctitate præditis eadem nominis exiſtimatio orietur. Sed quia pleroſque hæc religio deficit, vnde & eis debita reuerentia non præſtatur; ne omnino in contemptum adducantur, iuſtà ratione permitti videtur, vt aliquo ſe efferant ſplendore & apparatu: mundus enim exteriora illa demiratur, & ad deferendos honores ſic quodammodo impellitur: quod magni faciendum eſſe nõ facilè quis neget.

Hæc verò appendix, ſiue ampliatio, dupliciter limitanda eſt: Primò aduerte, naturam noſtram maximè pronam eſſe in rerum omnium abundantiam & ſuperfluitatem: vnde huic inordinato appetitui non ſtatim indulgendum, quamuis ad id iuſto titulo moueamur: præſertim vbi maius damnum exemplo luxuriæ timetur, quàm foret bonum, cuius gratia aliquantulum excedimus in apparatu. Nec enim in hac noſtra ampliatione perſuadeat ſibi aliquis permitti profanos inutileſque ſumptus, conuiuia ſplẽdida, decoctiones, & eiuſmodi: nec licere in parentes, Eccleſiæ theſauros erogare, ac iiſdem ad ſublimiorem illos euehere dignitatem: multò minùs primogenituras cenſuſque perpetuos conſtituere. quod, vt ſatis docuit experientia, peſſimum ſæpè finem ſortitum eſt, & fumi inſtar, quod ſtabile putabatur, huc illuc diſſipatum: quia Chriſti patrimonio vis illata, & pauperum calamitatibus auxilia ſubtracta ſunt.

Secundò, hoc titulo, nullus exiſtimet licitum,

plus

plus aliquid à se posse absumi, quàm ad victum amictumque honestum sufficiat, & quod satis videatur esse, vt temperatâ ac religiosâ moderatione viuat. Non idcircò superbiant Clerici, aut sese exaltent, sed potiùs maiori cum gratiarum actione Deo prosternantur, confessi hoc esse medium, quo virtus, quæ deficit, suppleatur: quòd si & illam compararint, habent quo minoribus possint viuere expensis: eas tamen à se fieri, vt auctoritatem, quam ex se non merentur, à Deo concessis opibus mereantur.

Enimuerò, quia viuimus tempore tam misero ac difficili, vt ea quæ de consilio adferuntur, & ad pietatem erudiunt, nihili pænè æstimentur, potissimùm vbi de paupertate agitur, vtque nullum curetur præceptum, quod non sub reatu peccati mortalis obstringat; quæ dicta sunt nullo modo possunt sufficere, nisi subnectamus ea, ad quæ præcisè Clerici quoad censuum Ecclesiæ dispensationem obligantur, vnde in sequentibus id clariùs exponetur.

CAPVT XV.

Omnes Prælati, ac Beneficiati, obligantur in conscientia totum quod honestæ sustentationi superfuerit, in eleemosynas aliaq́ pia opera erogare.

Nota.

Necessarium est Ecclesiasticis scire conditionē status & beneficiorum, quibus fruuntur.

Res est Ecclesiasticis omnibus scitu maximè necessaria, qualis sit conditio suæ dignitatis, ac censuum, quibus inde fruuntur, & quo fine eos

Cl-

recipiant, quo pacto ijs sit vtendum, quæ ratio in hoc exigetur: ex horũ enim ignorantiâ, non pauca animorum pericula solent euenire. Proinde, quia id nostra multorum refert, quamuis alienum à libri huius scopo & modo procedendi, varia quæ circa hanc materiam à Theologis & Iuristis fusè tractantur, compendiosâ resolutione complectar: vt, quibus integrum non est, ad illorum scripta recurrere, hinc, quod sequantur, haurire possint. Atque ita remoto omni argumento præcipuas adducam sententias, quæ hac in re tam ab antiquis quàm nouis Doctoribus feruntur: vnde facilè constat, ad quid Sacerdotes teneantur.

§. I.

Ecclesiastici, verum Dominium suorum censuum ac decimarum acquirunt.

Opinio quorundam.

OPINIO est grauium Auctorum, quòd Prælati & cæteri ab Ecclesia beneficiati, non acquirant Dominium, nec domini sint redituum, præbendarum, aliorumque stipendiorum, & distributionum, quæ ipsis ratione officij aut beneficij erogantur: penes eos verò tantùm esse administrationem, quâ sibi de honesta sustentatione prouideant, & reliquum fideliter in pauperes dispensent. adeò vt ex iustitiâ obligentur, quod superest, in eleëmosynam distribuere, non vt rem propriam sed alienam, quæ vero domino restituitur: quod si non fecerint, furtum, rapinam, ac sacrilegium committere, & in integrum, quoad fieri poterit, teneri.

Hanc

Hanc opinionem, valdè probabilem reddunt multorum grauissimæ auctoritates: & pro se habet Canones ac decreta Conciliorum, & rationes satis efficaces. Quantum ad primum, videtur esse S. Thomæ, quamuis sint qui pro alterâ eum sententiâ adducant: sed re benè perspectâ id clarè asserit his verbis: *Bonorum Ecclesiasticorum Clerici non sunt verè Domini, sed dispensatores, secundum illud 1. Cor. 7. Dispensatio mihi credita est. Pertinet autem ad dispensatorem, vt fideliter distribuat ea, quæ eius dispensationi committuntur, secundum illud 1. Cor. 4. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. In his ergo potest dupliciter peccatum contingere, vno modo ex conditione ipsius rei, dum vsurpat sibi quasi rem propriam, & in vsus suos conuertit id, quod esset alijs erogandum: alio modo ex inordinato vsu eorum, quæ in partem suam cedunt.* S. Thom. quodl. 6. art. 12. & in Summa Theologica: *Ecclesiasticorum bonorum, Clerici sunt dispensatores, vel procuratores; dicit enim Augustinus ad Bonifacium: Si priuatim possidemus quod nobis sufficiat, non illa bona nostra sunt, sed illorum quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vindicemus.* 2.2.q.85. art. 7. Hanc etiam opinionem defendit & probat fusissimè Nauarrus; & innumeros, qui eam tenent, tam antiquos quàm recentiores allegat, aitq; communem esse omnium Canonistarum adeò vt nonnulli ex ijs dicant hæresin esse in iure contrarium tueri: *In Apolog. de reddit. Eccles.* & Franciscus Sarmiento, auctor admodum grauis & doctus, licet huic sententiæ totus aduersetur, & alteram firmiter conetur stabilire (nimirum Clericos vero dominio potiri) nihilominùs qui primam opinionem tueantur, mul- *Fr. Sarmiento tr. de reddit. Eccles. 2. p. c. 1. nu. 3. & 4.*

tos

tos adducit, & ipse tandem sine tergiuersatione communem esse confitetur.

Opinio verior, acquiri dominium.

His tamen non obstantibus, fuerunt, & ij quidem in Theologia versatissimi, qui attento studio hoc negotiũ excusserunt, & post longas aliquando lucubrationes sententiam illam nimis esse strictam ac scrupulosam iudicârunt; contrariam autem longè esse veriorem, & iuri ac rationi maximè consentaneam: videlicet Clericos verum acquirere dominium beneficiorum, præbendarum, fructuum, stipendiorum, ac distributionum omnium quæ ratione officij persoluuntur. Hanc tenet M. Soto, & doctissimè confirmat: eandem toto suo *Tract. de red. Eccles.* defendit D. Franciscus Sarmiento; quam & nunc communiter omnes Theologi sequuntur. Ac mihi illa veritati magis consona videtur, cui inhærens hanc pono conclusionem.

Domin. Soto lib. 10. de iust. & iure. q. 4. art. 1.

Omnes Clerici verum dominium acquirunt redituum, præbendarum, aliorumque stipendiorum & distributionum, quæ ipsis ratione officij aut beneficij erogantur. Vnde licet grauiter delinquant, si inutiliter dilapident fructus beneficiorum, aut illos, non vt par est, distribuant (quod postea examinabitur) validæ tamen sunt donationes, aut venditiones, ab ijs factæ, nec emptor aut quiuis alius ad restitutionem tenetur.

Aduertendum tamen est; cùm dicimus eos verum acquirere dominium, intelliges, non in bona radicalia & hęreditates beneficiorum, sed in reditus duntaxat & fructus. nec tam propriè horum domini sunt, sicut laici suorum bonorum, quæ illi quàuis ratione, cùm libuerit, dissipare possunt &

ab

bsumere. Domini quidem sunt, ita tamen vt partem iustam pijs operibus & eleemosynis impendere teneantur. quòd si illam in illicita effundant atque disperdant, longè grauiùs offendent quàm laici, patrimonium & rem domesticam heluationibus dissipando. hi verò in his aliquando non peccabunt, in quibus Clericus, non solùm ratione status ipsius, qui perfectior est, verùm etiam ex Ecclesiæ bonorum conditione & naturâ. Hinc procedit, Clericum de his bonis testari non posse, nec hæredibus ea committere, sine Pontificis Max. licentiâ, qui velut generalis administer & dispensator, tale potest concedere priuilegium, aut certè nisi alicubi adeò consuetudo inualuerit, vt dispensationi æquiualere videatur.

§. II.

Resoluitur punctum principale circa hanc materiam.

OMni ergo quæstione sepositâ, qua inter se disceptant Theologi & Iuristæ, ac præsupposito eo, quod diximus esse probabile & securum; superest explicare, qua obligatione in redditibus expendendis Ecclesiastici constringantur, & quo modo & quàm grauiter peccent si ea religione se non soluant. quod sequenti conclusione innotescet.

Conclvsio Generalis.

1. *Omnes Prælati, & Beneficiarij Ecclesiastici, quamuis curam animarum non habeant, obligantur iure diuino positiuo, dispensabili, omnes reditus Ecclesiasticos in eleemosynis & alijs pijs operibus expendere, solâ habitâ honestâ*

honesta sustentatione pro ratione dignitatis, alias mortalit delinquunt, nisi forte materiæ paruitas excuset, vnde veniale peccatum esse possit.

In hac conueniunt omnes quà Theologi, qu Iuristæ: nec est, qui contrarium tueri ausit. solù huic, quod diximus esse de iure diuino, nonnulli contradicunt; inter quos est Dominicus de Soto, qui de iure Ecclesiastico tantùm esse existimat. sed hæc parua est differentia: magis tamen communem opinionem secuti sumus: ille verò in eo quod essentiale est, nostræ etiam conclusioni adstipulatur.

Vt autem hanc esse omnium sententiam probemus, sciendum est, etiam Franciscum Sarmiẽto qui plus cæteris in hac materia indulget, non tantùm nobis non aduersari, sed omnino consentire. Verum quidem est, in hoc puncto laxum videri: quia nimirum totis viribus asserere conatur & stabilire, Clericos in fructus beneficiorum obtinere dominium: idque tam vehementer, vt laicis non nunquam eos comparare videatur, & permittere ipsis absolutam administrationem, in quæcunque placuerit, dispensandi: quod in principali cõclusione huius tractatûs alijsque pluribus locis apparet. adeò vt Doctor Nauarrus id aduertens, grauiter offensus illi Apologiam de *Reditibus Ecclesiasticis* inscripserit: in qua ipsum acriter perstringit accusans hæresin in iure, adinuentam in Ecclesiæ præiudicium, ac bonarum consuetudinum, totiusque humani ac diuini iuris corruptelam, & pluribus illum rationibus fusè impugnat. Vnde mirum nõ esset, si multi eũ sic intelligentes deciperẽtur

Vt verò omnis absit deceptio, & damna, quæ inde sequi possent, euitentur, huius auctoris examinare opinionem necesse est, ne sit aliquis, qui ipsius auctoritate fretus, è libidine sua reditus sacros disperdere ac dissipare velit. qui autem id sibi licere contendunt, ex huius Doctoris sententiâ nunquam poterunt excusari, quia ille seipsum explicauit, licet non tanta, qua decuit claritate: eam tamen adhibuit expositionem, quæ sufficere possit, vt eius doctrina sanè accipiatur. quod patet in quibusdam locis sui tractatus, è quo duas clausulas apponemus. Dicit igitur primò, in fine Tractatus. Quæ hactenus dicta sunt, quantum ad legẽ iustitię & restitutionis vinculum, intelligenda esse: sed Clericos nihilominus à caritate & misericordiâ non esse absolutos, adeoque ad eleemosynas erogandas teneri ex ea parte, quæ honestæ sustentationi supererit. vnde ait: Quamuis millies & millies præscribam, quantum honestè possint expendere, si etiam ex assignatâ portione aliquid supersit, siue id ex temperantiâ & frugalitate, siue aliunde proueniat, iam in vsus pauperum debetur, nec quod parsimonia seruauit, luxuria potest dilapidare. cuius verba descripta habes infrà cap. 16. huius Tractatus.

Declaratur opinio Sarmiento.

4. pag. c. 5. num. 1.

Secundò id magis euidenter declarat, cùm ait istam obligationem esse strictissimam, & strictiorem eâ qua laici constringuntur, quæ ex natura censuum Ecclesiasticorum procedit, & ex primâ institutione: vnde sacrilegium sit, ad res profanas bona sacra applicari, cùm præter intentionem instituentis illa dissipẽtur. & sequenti cap. ita dicit:

Eod. c. nu. 9. & 10.

4. p. c. 6. num. 12. *Præcepto caritatis maximè (vt dictum est) Clerici constringuntur, ita vt nec eos dominos constituere, aliquid plus eis tribuat, vt ab eleemosynis ex debito caritatis excusentur. Quoad alia tamen multa, non est sine effectu: maximè enim interest, an Clericus dominus vel vsufructuarius iudicetur.*

Quin imò vt omnem dubitationem auferret, ipsemet Auctor molestè ferens doctrinam suam tam malè intellectam, vt docere putaretur Clericos ad eleemosynas modo iam dicto non teneri; alterum Tractatum edidit, qui inscribitur: *Defensio libelli de reditibus Ecclesiasticis, ab impugnationibus D. N.* in quo clarissimè ostendit, non esse suam sententiam, quæ impugnatur. quod cap. 1. maximè innotescit: & infrà sic habetur: *Item notandum est, quòd dare dominium Clerico rerum sui beneficij, & Episcopo rerum suæ mensæ, eo modo quo nos concedimus, scilicet vt eas non alienet, sed ex fructibus se & suos alat, & omnia reliqua pauperibus, etiam sub peccati mortalis reatu (vt diximus) distribuat, nullum habet inconueniens, & est opinio iuri consona.* Quibus verbis, ipsa nostra conclusio præcisè asseritur: ipse verò hanc suam testatur esse opinionem, & quæ à se scribantur isto modo accipienda esse. vnde liquidò constat ipsum ita sentire, quamuis interdum in contrariam partem ferri videatur.

Circa 24. monitum num. 6.

Auctores qui probãt nostram conclusionem.

Hæc necessariò mihi referenda esse duxi, ne quis in errorem adducatur tam grauis scriptoris auctoritati confisus: tum vt clarum esset, conclusionem quam posuimus, communem esse, & ab omnibus sartam tectamque conseruari. sic S. Thomas vbi suprà, & Commentator Caietanus. S

S. Thom. quodl. 6. a. 12. & 2. 2. 185. a. 7. & Caietan. ibi.

Ar

Antoninus, Abulensis, Soto, & fusè Nauarrus in Apologia & Manuali. Denique ne plurimorum sententias adducamus, copiosè de hoc tractat P.F. Antonius de Corduba *lib.* 1. Quæstionarij, vbi iisdem verbis hanc expressè conclusionem ponit, & varios allegat qui eam tenent & tuentur. Eandem doctissimè probat M. Bannes in materia de caritate, qui sæpè repetendo miratur hanc doctrinam clarissimam & certissimam, adeò ignotam esse, aut tam crassa obliuione sepultam, vt noua audientibus videatur. idem ego testor & affirmo me summoperè admirari.

Anto 3.p. tit.15. c.1. §.19. Abulens. sup. Matt. 6. quaest. 74. Soto. l.10. de iustit. & iuri. q.4. a.4. Nauar. de redit. & in Man. c.23. nu. 75. Cord. l. 1. quaest. 18. Ban 2.2. q.23. a.6. dub. vlt.

§. III.

Probatur conclusio generalis, per Iuris Canones & auctoritates Sanctorum.

RES est non parui momenti, quam tractamus: vnde vt illa habeatur certa, & Clerici ex huius se decisione componant, necessum est eam sic confirmari & stabiliri, (quoad fieri poterit stilo, quo cœpimus) vt nemini deinceps dubium esse possit. Enimuerò præter hoc, quod est communis Theologorum & Iuristarum sententia, illa ipsa determinata est & stabilita multorum Conciliorum & Iuris auctoritate: tum etiam iam inde à temporibus Apostolorum vsque ad Concilium Tridentinum, quod vltimò Ecclesia conuocauit, hæc doctrina sarta recta permansit. quam probationem solidam esse & efficacem, non est qui non intelligat.

Fundamentum conclusionis assertæ, est ipsa redi-

Fundamẽtum conclusionis.

redituum Ecclesiasticorum conditio & natura: siue sint decimæ aut primitiæ, seu fidelium dona & oblationes, seu quocunque tandem modo Ecclesiæ acquisita: quæ à principio instituta sunt, vt diuino cultui prouideretur, pauperum subueniretur inopiæ, Ministrorum altaris sustentatio haberetur. Adeò vt, quia Prælatis, cæterisque incumbit bonorum Ecclesiæ, ac distributionum in pauperes, administratio; ipsis velut in stipendium & mercedem huius ministerij, ac cæterorum quibus occupantur, conceddatur, vt ex ijs bonis quæ dispensant, tantum possint retinere, quantum sibi, & suis, possit sufficere. Hæc Apostolorum & Ecclesiæ mens semper fuit: quam item SS. Doctores vnanimiter sic interpretantur.

Hinc est, quòd bona Ecclesiastica communiter vocentur bona pauperum, patrimonium pauperum, patrimonium Christi: & Clerici, qui ea possident, appellentur procuratores pauperum, & administratores seu dispensatores, ac talium bonorum defensores. sicut eos promiscuè sancti Doctores & Concilia appellant; vt in Iuris Canonibus videre est. vnde tamen non sequitur illos dominos non esse (quod minùs probabile ostendimus) sed in ipsorum tutelam & dominium bona sacra transferuntur, eà conditione, vt modo dicto pauperibus applicentur: quod dignum est, vt ab omni Clerico diligentiùs expendatur. hoc verò ita esse, innumeris testimonijs probari potest, quorum hîc aliqua subnotemus.

c In Canonibus. 16. q. 1. c. Videntes. c. Episcopus. c. penult. & finali. 12. qu. 1.

Alexander Papa III. in quadam Decretali, sic ait:

In c. 2. de donat.

ait: *Cùm Episcopus & Prælatus Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non dominus, &c.*

S. Augustinus: *Non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vindicamus.* & idem, vt habetur in Decreto: *Decimæ, tributa sunt egentium animarum, & ideò decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare nolunt, res alienas inuadunt: & quanti pauperes in locis suis fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni Iudicis tribunal apparebit: quia rem pauperibus à Deo delegatam suis vsibus reseruauit.* *In c. quod autem. 25. qu. 7.* *In. c. Decima. 16. quæst. 1.*

Nota, quòd dicuntur *Decimæ tributa egentium animarum, & res à Deo pauperibus delegata*: cùm enim pauperes semper nobiscum sint, vt Christus ipse testatur, eorum curam voluit, quoad victum & amictum, Ecclesiasticis demandare: atque eâ de causâ reditus percipiunt, non vt rebus friuolis aut superfluis insumant. Vnde si laicum arguit homicidij S. Augustinus, qui furatus decimas auctor sit, quòd pauperes fame & inediâ contabescant; patet illas dari in horum sustentationem. hoc ita cũ sit, meritò hos Clericos licebit arguere, qui res pauperum, pro arbitrio, priuatis sumptibus impendunt, nec ipsorum curãt necessitatibus subuenire. *Matth. 26*

S. Hieronymus item in Decreto: *Quoniam quidquid habent Clerici pauperum est, & domus illorum omnibus debent esse communes: susceptioni peregrinorum & hospitum inuigilare debent: maximè curandum est illis, vt de decimis & oblationibus, cœnobijs & xenodochijs, siue hospitalibus, qualem poterint, sustentationem impendant.* *S. Hier. in ep. ad Damasum. & refert. cap. Quoniam, 16. qu. 1.*

S. Ambrosius, in eandem sententiam fatetur: *Omnia quæ habeo, pauperum sunt.* *Ambros. in orat. ad Auxent. & refert. in c. Conuenior 23 q 8.*

 S. Hie-

S. Hier. in c. Renertimini. 16. quæst. 1. In c. Quia iuxta, 16. quæst. 1.

S. Hieronymus super Malachiam: *Si quando fames, penuria, & egestas opprimit mundum; sciamus hoc ex ira Dei descendere, qui se in pauperibus, si non accipiant eleëmosynam, fraudari dicit suâ possessione.* & ibidem altero capitulo, in hunc mundum: *Quia iuxta SS. Patrum traditionem nouimus res Ecclesiæ, vota fidelium, esse pretia peccatorum, patrimonia pauperum,* &c.

Can. 41. Apost. & refert. 12. q. 1. cap. Præcipimus.

In Canonibus Apostolorum sic mandatur: *Præcipimus, vt in potestate suâ Episcopus res Ecclesiæ habeat, ita vt potestate eius indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore omnique sollicitudine ministrentur. Ex his autem ipse, quibus indiget ad suas necessitates, & peregrinorum & fratrum vsus percipiat, vt nihil eis possit omninò deesse.* quibus expreßè nostra conclusio comprobatur.

In c. Habeat. 12. quæst. 1. In cap. Episcopus. 10. q. 2.

Idem in Decreto, pluribus capp. asseritur: *Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent.* & iterum: *Episcopus habeat potestatem in rebus Ecclesiæ, vt dispenset necessitatem patientibus, cum omni reuerentiâ & timore Dei: participare eum etiam oportet, quæ necessaria sunt, si ipse & qui cum eo sunt, indigent. Si autem res Ecclesiasticas Episcopus in suas proprias voluptates vsurpare voluerit, aut fratribus vel filijs, vel quibuscunque propinquis dederit, hunc oportet reum esse concilio.*

Episcopi & beneficiati, nihil ex bonis Ecclesiæ amicis largiantur. Can. 39. Apost.

Illud ipsum, quòd Episcopi, nec cæteri Beneficiati possint propinquis, nedum parentibus, nisi titulo paupertatis, rem Ecclesiæ erogare, multis Canonibus atque Concilijs determinatum est. Canones Apostolorum sic loquuntur: *Omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, & ea velut Deo contemplante dispenset: nec ei liceat de eis*

aliquid

aliquid omnino contingere, aut parentibus proprijs, quæ Dei sunt, condonare: quòd si pauperes sunt, tanquam pauperibus subministret, ne eorum occasione Ecclesiæ res deprædentur. Iste Canon, renouatus est in Concilio Tridentino: *Omnino verò sancta Synodus eis (Episcopis & Beneficiatis) interdicit, ne ex reditibus Ecclesiasticis consanguineos familiaresue suos augere studeant: cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, vt pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Imò quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque, carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant.* *Conc. Trid sess. 25. de reform. c. 1* *Can. 39. & 75. Apost.*

Vnde efficacissimum elicitur argumentum: si enim nec Prælatis, nec Beneficiatis licet census Ecclesię in consanguineos, quamuis parentes, dispensare, nisi ratione & titulo paupertatis, sicut expresè Concilium declarat & iubet; multò minùs licet eos profanis rebus impendere, & ijs quæ nec colorem habent pietatis. **Argumentum efficax pro conclusione.**

S. Augustinus quodam sermone: *Mementote quòd pauperem vitam Sacerdos gerere debet, quod superest præter victum & vestitum, pauperibus dare non differat: quia omnia quæ habet, pauperum sunt.* & alibi: *Quidquid nobis Deus plusquam opus est, dederit, non nobis specialiter dedit, sed per nos alijs erogandum transmisit: quod si non dederimus, res alienas inuasimus.* *Aug. ser. 37. ad Eremitas.* *Serm. 219 de tẽpore.*

Vrbanus Papa in Decreto: *Ipsæ enim res fidelium Oblationes appellantur, quia Domino offeruntur.* & subnectit sequentia, quamuis ea non retulerit *In cap. Videntes. 12. qu. 1.*

rit Gratianus: *Non ergo debent in aliis vsibus quàm Ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum à Domino tradita. Si quis autem (quod absit) secùs egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Sapphiræ percipiat, & reus sacrilegij efficiatur, sicut qui pretia prædiorum fraudauerunt.*

In c. Quia tua fraternitas. 1. q. 1.

S. Gregorius: *Omne quod superest necessitatibus, in caussis pijs & religiosis erogandum est: Domino Magistro dicente: Quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

§. II.

Auctoritates Sanctorum vlteriùs adducuntur & explicantur.

Bern. in epist. ad Fulconem.

In declam. super Euang. Ecce nos.

S. Bernardus hac de re magnâ sæpiùs exaggeratione tractat quadam epistola: *Quidquid*, ait, *præter necessarium victum & simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* atque alibi: *Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegij crimen esse dignoscitur: sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum sunt, & sacrilegij eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non vtique domini, vltra victum accipiunt & vestitum.*

In quibus & similibus verbis Sanctorum, duo aduertenda sunt, vt moderatè & minùs seuerè, quæ tam stricta iacent, intelligantur. Primò, vt nomine victûs & vestitûs, omnis congrua & pro ratione dignitatis honesta accipiatur sustentatio, vanitatem quamlibet excludendo & superflui-

tatem: quo modo idem dicunt, quod omnes quà Theologi, quà Iuristæ. Secundò, cùm affirmant, si quod superest non erogetur, furtum, rapinam, sacrilegium, aut quid simile committi; videntur illorum fauere sententiæ, qui in fructus beneficiorum Clericos dominari negãt. quod probabile esse suprà diximus, & opinionem omnium antiquorum fuisse puto. Sed contraria verior est ac magis consentanea rationi. proinde secundùm hanc verba allegata explicari possunt, vt dicta per modum exaggerationis, nec formaliter aut propriè, quod arguitur, furtum esse aut rapinam, sed valdè affine, seu æquiualere, cùm sua pauperes portione spolientur, id est, subtrahatur quod ipsis lege diuinâ & Ecclesiasticâ debetur: eademque est ratio, cùm negatur id, quod quouis titulo siue iustitiæ siue mesericordiæ pauperibus obtingit. atque hoc modo Sancti & Canones intelligendi sunt, cùm bona Ecclesiastica pauperum esse volunt: non quòd hi illorum domini sint aut possessores, sed quòd benignè & clementer sint eroganda, cùm Ecclesijs ad id collata æstimentur.

Sacrilegium committi, cùm inaniter & prodigè Ecclesiastici reditus expenduntur, grauissimi Doctores affirmant; si rigorem & proprietatem scholasticam spectemus: illi enim census seu reditus, inter res sacras in quarto gradu numerantur. ita sentit Franciscus Sarmiento, & Nauarrus, ac doctrinæ Angelicæ consonum & conforme est. Supposita ergo ea explicatione, quam dedimus maximè lenem & benignam, duobus testimonijs probationem concludemus.

Sarm. tract. de red. Eccl. p. 4. c. 5. n. 10. Nauar. in Apolog. de redditt. Eccl. S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3.

Bern. epist. ad Henr. Senon. Idem S. Bernardus alibi, acerrimè in vanos Clericorum sumptus inuehitur: *Clamant*, inquit, *nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt; Nobis fame & frigore laborantibus, quid conferunt tot mutatoria serueta in domibus vestris? nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis; nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala, de vnâ prodeunt radice cupiditatis, dum vos vanitando peritis; & nos spoliando perimitis. Huc accedit, quòd hæc omnia, non negotiationis studio, nec proprio manuum exercitio elaboratis, sed nec iure hæreditario possidetis: nisi fortè in corde vestro dixeritis: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Hi omnes in futuro stabunt magnâ constantiâ, aduersus eos qui se angustiauerunt, stante pro eis patre orphanorum & iudice viduarum, & dicente: Quod non fecistis vni ex minimis meis nec mihi fecistis.*

S. Basil. ad Iulian. Apost. ep. S. Basilius, in quadam Epistola ad Apostatam Iulianum, qui talenta aliquot auri deposcebat, ita ait: Reditus Episcopatûs mei hi sunt, (audite Præsulem diuitem) vnus ager, decem oleæ, decem aluei, vna mola, domus vna, quadraginta oues, octo palmæ, tres fici, paruus hortus, quorum ego me dominum non censeo, sed dispensatorem: cùm mihi incumbat eorum cura, vt inde pauperes alãtur. Et porrò subiungit: Hic status noster tam est arctus, vt, si fors quispiam Sacerdotum ea sibi reseruet, aut in malos vsus expendat, æqualem pœnam mereantur, & qui dilapidat, & qui ex altari furatur. De altari furamur, quidquid pauperibus negamus, quin pro sacrilego talis æstimari potest, nec seruus esset Christi,

qui

qui bis pauperi nudo obuiam factus, primâ vice illum non vestisset.

§. V.

Conclusio, & declaratio omnium dictorum.

HÆC est lingua Sanctorum, hæc eorum est sententia, qui pleni sapientiæ spiritu, diuinâ luce illustrati, corde mundo, prauisque libero affectibus, rem sincerè & candidè iudicârunt. posteritati suum judicium literis consignatum esse voluerunt; ne prætexi posset excusatio ab ijs, qui à via veritatis deuij, appetitus sequuntur effrenatos, auaritiæ & prodigalitatis tramitem vestigant, magno pauperum detrimento, magnâ honestatis & frugalitatis detractione. Etenim hic prævalere deberent documenta Sanctorum, S. Ecclesiæ, Conciliorum plurium, & Canonum auctoritate stabilita: illa sanè doctrina amplectenda est, quæ tam grauium Auctorum lucubrationibus commendata fuit, vt abusus omnis tolleretur, pessima eradicaretur consuetudo, quâ promiscuè Ecclesiastica bona, patrimonij instar, dissipantur. Quantò hæc altiùs intueor, maiori admiratione percellor. nonne mirum est, tantam posse lucem abscondi, veritatem tam certam adeò esse incognitam, adeò vsu impio deprauatam? nonnè mirum est ea quæ tam clarè à Sanctis scripta sunt, à Concilijs determinata, violentis explicationibus sic ad inconcessa torqueri, vt profusio rerum Ecclesiasticarum, & helluatio, Clericis permittatur, nec magis eos doceant offendere, quàm heredes quoscunque

que seu primogenitos, qui patrimonia inutilit & luxuriosè effundunt? nonne mirum est, ta cæcos hos esse interpretes, vt differentiam, So ipso clariorem, intueri non possint?

Stricta ratio super bonis Ecclesiæ subducetur.

Firmissimè mihi persuadeo strictiorem long rationem exigendam esse, quàm communis Clericorum fert opinio: nunquid strictam indicabimus, quæ & vltimum exiget quadrantem dissipationis? neminem huius ignorantia doctrinæ excusabit; cùm eam scire teneantur omnes, quæ to quasi tubis proclamatur, quot libris perscript continetur. Porrò sicut non poterit excusar ignorantia, ita nec inueterata consuetudo: no enim hęc consuetudo, sed corruptela, sicut & plurimæ aliæ, quæ mundo inueterascunt: præsertim illæ, quibus omnis Doctorum schola reclamat. Si verò apertè talibus non contraitur, Prælatorum id fit respectu & timore. quòd si & à Pontifice Maximo tolerantur; non idcircò eas probari, sed permitti & dissimulari, ne grauiora fortè incommoda sequantur, censendum est. tum etiam vt omnis temeraria absit iudicatio; præsumere debet Pontifex, à singulis pro ratione dignitatis eleëmosynam conferri, quod & fit sæpenumerò occultè, nec contraria de Ecclesiasticis opinio haberi potest. Etenim consuetudinem illam, licet pessimam, non adeò radicatam esse credendum est, vt pauci sint in Dei timore educati, qui sanctè & laudabiliter reditus suos impendant. sanè multi sunt qui consanguineis aliquid dare religiosum putant, nisi titulo necessitatis: quos videtur Deus mundò superstites conseruare, nec omninò cor-

Non excusabit ignorantia, nec contraria consuetudo.

rupte-


ruptela præualeat, vtque habeantur illi, qui cæterorum iudices esse possint. Vnde planè mihi constat, per ignorantiam nunquam excusandos, qui hîc fuerint deprehensi, nec sanissimam hanc amplexi fuerint doctrinam. Ita sentit Card. Caiet. hisce verbis: *Neque obstat si dicatur, quòd iura illa sint per contrariam consuetudinem abrogata, sciente tanto tempore Romano Pontifice, & non reprehendente: quoniam talis non consuetudo, sed abusus est: & similiter multa per patientiam & prudentiam tolerantur, quæ si deducerentur in iudicium arguerentur.* Idem Nauarr. in Apolog. Ego verò consideratione seu imaginatione propria, suspicor, & vehementer timeo, multos esse Ecclesiasticos, qui æternis torquentur supplicijs, quia veram hanc doctrinam secuti non sint, siue per veritatis ignorantiam, quam scire tenebantur, siue per negligentiã, cùm scirent, opere tamen implere noluerint, & singulis horum applicari potest: *Noluit intelligere, vt benè ageret.*

Caiet. 2. 2. quæst. 185. art. 7.

De red. Eccl. q. 3. n. 16.

Nota coniecturam.

Plures multò auctoritates & rationes adduci possent, vt assertio posita confirmaretur; sed alienum esset à stilo & scopo huius tractatûs: in quo quæstiones Theologicas ventilare non prætendimus, sed simpliciter & nudè doctrinam tradere Sacerdotibus necessariam & conuenientem: cui intento sufficit, si quod diximus, benè expendatur.



CA-

CAPVT XVI.

De diuiſione redituum Eccleſiaſticorum, quæ olim facta eſt, & beneficiorum erectione. quo ſuprà dicta multùm confirmantur.

§. I.

Diuiſio bonorum Eccl. anno 470.

VT meliùs intelligatur & confirmetur, quod præcedenti capite diximus, rem omnium cogitatione dignam ſubnectemus. Antiquitùs ſedente Papâ Simplicio, quia nonnulli Epiſcopi minùs fideles reperiebantur in eleëmoſynis pauperum erogandis, facta eſt bonorum Eccleſiaſticorum diuiſio, ſicut è multis Iuris Canonibus apparet. quâ diuiſione Eccleſiæ bona, in quatuor partes æquales diſtributa ſunt: vna Epiſcopo obtingebat, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta Eccleſiæ neceſſitati. & quamdiu id obſeruatum fuit, & cuiq; ſua pars fideliter ſubminiſtrata, non ita vt priùs Epiſcopi & Clerici ad eleëmoſynas tenebantur; quandoquidem pauperes ſuâ fruerentur portione: quamuis obligatio illa non ex toto ceſſaret; nam ſemper rationes fuerunt, ob quas magis, quàm ſeculares, obſtringerentur.

Ex cap. de red. & c. Quatuor. & c. Vobis enim, 12. quæſt. 2. & alijs.

Sed decurſu temporum, ſicut pauperum portio certum dominum non habuit, ita & hæc deſiijs applicari: vt ſatis cõſtat ex conſuetudine, quæ nunc tenetur. idem de portione fabricæ ſentiendum

dum

dum est: nam etsi alicubi ad eam census sint constituti; parùm tamen hi faciunt respectu eius, si quarta pars applicaretur. Vnde plus quàm probabili coniecturâ inferre licet, duas istas partes, Episcoporũ & Clericorum adiectas fuisse portioni, & sicut initio, vnum mansisse cumulum redituum. hoc ita esse, vt dixi, docet experientia; cùm nec sua Ecclesiæ, nec sua pauperibus certa portio distribuatur. Certum item & indubitatum est: Primò, cùm illa diuisio vsurpabatur, si Episcopus aut Clerici in aliquo Ecclesiæ aut pauperibus detrahere voluissent, furtũ, rapinam, ac sacrilegium commissuros fuisse, & restitutioni obligandos. sic D. Thomas locis citatis, cui omnes Doctores adstipulantur. Secundò, dum ista diuisio non exercetur, quod modò clarum est non fieri, de bonis Ecclesiasticis eadem ratione iudicandum est, qua antè, priusquam diuideretur. Quo in casu certior etiamnum est doctrina, quæ suprà stabilita fuit: constat enim Ecclesiam confidere Episcopis & Beneficiatis, quandoquidem totus ad ipsos cumulus deuoluatur, vt reseruatâ sibi honestâ sustentatione, cætera, quæ superabunt, in eleemosynas, pia opera, & communem Ecclesiarum vtilitatem expendant. Etenim iniustum est, pauperes & Ecclesias suâ parte defraudari: nec est, vnde illa restitui possit, quàm ex Episcoporum & Clericorũ portione, vnde strictiori quodam modo obligantur, quàm suprà probatum est ratione generali, quæ ibidem obligatio ex misericordiæ titulo nascitur; hæc verò, quam strictiorẽ dicimus, oritur quasi titulo iustitiæ: quia præsumitur ab ijs id possi-

possideri, quod iam de iure pauperibus & Ecclesiæ, erat applicatum.

Totum hoc asserit, & confirmat clarissimè Doctor Angelicus: cuius verba dignissima sunt, quæ hîc adscribantur: *Si distincta sint bona, quæ debent in vsum Episcopi cedere, ab his quæ sunt pauperibus, & ministris, & cultui Ecclesiæ eroganda, & aliquid sibi retinuerit Episcopus de his quæ sunt pauperibus eroganda, vel etiam in vsum ministrorum aut cultum diuinum expendenda: non est dubium, quòd contra fidem dispensationis agit, & mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur. De his autem quæ sunt specialiter suo vsui deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de proprijs bonis: vt scilicet propter immoderatum affectum & vsum peccet quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subueniat, sicut requirit debitum caritatis. Si verò non sunt prædicta bona distincta: eorum distributio fidei eius committitur: & quidem si in modico deficiat vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet: si verò sit multus excessus, non potest latere: vnde videtur bonæ fidei repugnare, & ideò non est absque peccato mortali.*

S. Tho. 2. 2. q. 185. art. 7.

Quod idem omnino de Clericis dicendum est, atque ita retineant, quo viuere honestè possint; reliquum pauperibus & Ecclesijs fideliter partiantur: si enim hîc manifestè excedant, mortalis cõtrahitur reatus. quod ipsum hactenus ostendere conati sumus.

Præterea aduertendum est, quod dicit S. Doctor, etiam in his ab Episcopo, quæ proprio suni vsui deputata, peccari posse, *scilicet propter immoderatum affectum & vsum, si immoderata sibi retineat, & alij*

Notandũ hoc.

alijs non subueniat, sicut requirit debitum caritatis. Adeò vt nunquam liceat plus sibi reseruare, quàm ad honestè viuendum sufficiat, etiamsi tantùm quarta pars daretur, quæ de iure obtingit. Idem asserit quodlibeto 6. ar. 12 & proportionaliter eadem est de reliquis Beneficiatis ratio. quod totum nititur ratione fundamentali, quam posuimus, naturam & conditionem istorum bonorum, & statûs illorum qualitatem, qui ijs bonis potiuntur.

Vnde sequitur, quamuis bona patrimonij, quæ Clericis relicta sunt, propriè & absolutè solis ipsis obtingant, & horum tam in vitâ quàm in morte penes ipsos sit dispositio; superfluis tamen in rebus & inutilibus, ea absumere nullo modo possunt, etsi in talibus nec laici peccarent: idque ob hanc rationem, quòd ratione statûs, licet diuitijs circumfluant, modestè viuere ac frugaliter, sicut præcipit Conc. Trid. teneantur, & opes proprias pijs sanctisque operibus applicare. quod etiam asserit S. Thomas dicens: *Propriorum bonorum Clerici dominium habent: vnde ex ipsa rerum conditione non obligantur, vt eas alijs conferant: possunt tamen in earum dispensatione peccare, vel propter inordinationem affectus, per quam contingit; vel quòd sibi plura conferant, quàm oporteat; vel alijs etiam non subueniant, secundùm quod requirit debitum caritatis.* & idem, ijsdem pænè verbis quodlib. 6. vbi suprà, affirmat. Verum est hanc obligationem, in bonis patrimonij longè esse minorem quàm in bonis Ecclesiæ, ob rationes allatas. vnde de illis liberè dare possũt familiaribus ac amicis, similibusq; pro arbitrio impendere: dum-

S. Thom. 2. 2. q. 185 art. 7.

modò non sint res inutiles, & à statûs Ecclesiastic decoro prorsus alienæ.

§. II.

Conclusio dictorum, in ordine ad consuetudines.

EX dictis facilè colligitur quàm sit friuola & parui momenti quæstio, qua latissimè inter se disceptant Theologi & Iuristæ, vtrùm scilicet Clerici vero potiantur dominio; cùm quâcunque opinione obligentur in eleemosynam erogare omne id, quod honestæ superfuerit sustentationi siue id fiat titulo iustitię, siue titulo misericordię & ex natura talium bonorum, atque ex statûs conditione.

Sola est differentia: quòd secundùm primam sententiam Clerici dispensatores tantùm sint & administri; ac proinde ad restitutionem teneantur, si quid pauperum detraxerint portioni: quòd si in alios, vel amicos, vel quoscunque, eam distribuerint; amici illi vel quicunque tandem, securè acceptam possidere non possint. Sed secundæ & magis probabili sententiæ adhærendo, licet grauiter peccent, ad restitutionem minimè obligantur. Quin imò, si hoc altiùs discutiatur (vt aduertit doctissimè M. Bannes) parua admodum diuersitas reperitur: nam cùm in vtraque opinione verum sit, totum eleemosynæ deberi, habitâ sustentatione; quamuis præteritis annis multum defraudarint, hoc anno nihil habebunt vnde restituant: omne enim quod habebunt, licet ex præteritis annis sit congestum, dare tenentur: nec refert siue hac obligatione, siue titulo restitutionis, teneantur. Nisi fortè ex patrimonio, seu bonis aliunde

Animaduersio M. Bannes.

acquiſitis poſſent reſtituere, aut detrahendo aliquid honeſtæ ſuſtentationi, & per hoc reddendo, quod aliàs ſibi indebitè applicàrunt.

Vnde dicit M. Soto, cùm ex eius ſententiâ ad reſtitutionem non teneantur (quàm & hîc vt magis probabilem ſequimur) debere Confeſſarios, pro ſatisfactionis pœnâ, largiſſimas imponere eleemoſynas: vt ferè æquivaleant reſtitutioni. eius verba ſunt: *Non debent Epiſcopi ob id ſecuriùs pacare conſcientias, ſi in eleemoſynis erogandis remiſſiores ſint, quòd vinculo iuſtitiæ ad reſtitutionem non teneantur: nam cùm etiam præceptum miſericordiæ, de quo præfati ſumus, ſub reatu mortalis criminis obliget, inde ſatis debent exterreri, vt fidem Deo ſuo illæſam ſeruent. Præterquam, quòd quamuis lex eos iuſtitiæ ad reſtitutionem non obliget, debent profectò eorum confeſſarij eis, quos pauperum negligentes nouerint, tam in vita, quam in mortis articulo, per modum Sacramentalis ſatisfactionis, largiſſimas eleemoſynas imponere: vt eodem propemodum res incidat, ac ſi tenerentur ad reſtitutionem. Quod autem de Epiſcopis dicitur; id de reliquis etiam Sacerdotibus, ſuo gradu intelligendum eſt, ac de ijs præſertim, quibus animarum cura incumbit.* *Soto lib. 10. de Iuſt. & Iure, q. 4. art. 4.* Nota hanc doctrinā.

Colligitur etiam, non poſſe Epiſcopis & Beneficiatis certam partem, quam eleemoſynis impendant, ita præſcribi, vt, quod ſuperſit, reliquum pro arbitrio poſſint diſſipare. id verò poſtulatur, vt honeſtè viuant & temperatè; memores ſe in ſtatu perfectionis eſſe conſtitutos: & cùm acceperint vnde honeſtè viuant, ſuperfluum pauperibus curent erogari. Idem ſapienter notauit M. Bannes Non poteſt præſcribi certa pars in eleemoſynam.

 loco

Bann. 1.2. q.23.a.6. dub. Vlt.

Doctrina digna cõsideratione.

loco suprà allegato: cuius verba, docta iuxtà & grauia, cùm commodo esse possint, & eius sint viri, cuius sapientiam & auctoritatem complures venerantur, hîc adscribenda esse duxi, quæ sic se habent: *Ex dictis omnibus sequitur, quòd non possumus Episcopis partem aliquotam taxare, quam si eleemosynis expenderint, non teneantur vltrà de reliquo eleemosynam facere. Et ratio est, quoniam (vt diximus) officium pastoris boni non debet ita limitari, quoniam perfectio sui status postulat, vt si opus fuerit, teneatur omnem substantiam, adhuc & vitam propriam, pro salute animarum impendere. Verumtamen quia huiusmodi casus rari sunt, & in communibus necessitatibus oportet Episcopos, vt patres pauperum & viduarum, superintendere; existimo neminem illorum esse in statu salutis, nisi notabiles eleemosynas faciat, pro facultate substantiæ. habenda est enim ratio magnitudinis stipendij & vbertatis fructuum, quibus Episcopi plus minusue diuites existunt.*

Ego sanè nullum Episcopum Hispaniæ absoluerem, nisi saltem quartam partem redituum in eleëmosynas expenderet: & hoc intelligo in communibus necessitatibus. nam in grauioribus, quales solent esse tempore famis, aut pestis, aut plurimarum ægritudinum, ad amplius tenentur iuxta proportionem necessitatis pauperum, qui sunt oues propriæ; ita vt aliquando teneantur ex propriâ supellectili eleemosynas facere. Sequitur secundò, quòd Episcopus tenetur inquirere pauperes in suo Episcopatu, ad faciendum vel procurandum fieri illis eleemosynas; & non satisfacit, si occurrentibus pauperibus sit misericors: hoc enim reliqui de populo tenentur facere.

Coram Deo dico: ego non intelligo, quomodo Episcopi sint patres pauperum, & quomodo sint in statu salutis, nisi præ-

si prædictam curam habeant: vt si poßint subuenire, subueniant; sin minùs, saltem condoleant: & cùm sibi non suppeterent facultates, exhortarentur diuites ad misericordiam: exemploq; suo ac diligentiâ efficerent fortaßis maiores eleemosynas, quam ex proprijs diuitijs.

Idem doctissimus Præsul Franciscus Sarmiento, vbi suprà: *Etsi*, inquit, *millies specialiter & minutim determinetur, quantum Clericus expendere poßit; quantumcunq; strictè fiat hæc computatio, si reperiatur verè aliquid sibi superesse, vel parsimoniâ, vel aliâ quacunque ratione; fieri non potest, vt id quantumcunque sit, non cadat sub debito caritatis: tenetur enim ex præcepto eleemosynam facere de superfluo; quod præceptum non potest lege humanâ recipere determinationem aliquam.* Et in fine Tractatûs: *Quòd si eam disciplinam, quam antiqui Patres exigunt in Episcopis & Clericis, contemplemur, non possumus non fateri, ab eorum institutis tam longo interuallo disidentes, in maximo constitutos esse periculo.* **Fran. Sarmiento, de redd. Eccl. p. 4. c. 5. n. 1.**

Quæ dicant auctores grauissimi, hîc videre est. Sanè eiusmodi sunt, quæ digna sint sempiternâ memoriâ, digna altissimâ consideratione. quamuis autem præcipuè de Episcopis videantur loqui, qui propter pastorale munus maiori tenentur obligationis vinculo; ijdem tamen Doctores expresse asserunt, quæ dicta sunt de Episcopis, ad proportionem de omnibus Beneficiatis intelligenda esse: potissimùm si cura ipsis animarum incumbit, vnde fit vt strictiùs, quàm cæteri, obligentur: omnes tamen magnâ satis religione constringuntur: quâ vt se exsoluant, Dei affulgente gratia perficere conentur.

CAPVT XVII.

Peccata Sacerdotum, longè grauiora sunt peccatis populi; & illa maiore seueritate Deus castigat.

Alij amore, alij timore flectuntur.

DVo sunt, quibus humanus animus ad virtutem impellitur, amor scilicet & timor; alij amore commouentur, alij timore: officijs alij, alij minis: alij præmijs, alij supplicijs. Primo modo flectuntur ij, qui altâ quâdam mente præditi officiorum testatam beneuolentiam, officijs vincere aut æquare contendunt. hoc potissimùm medio hactenus vsi sumus: proponendo scilicet Sacerdotibus ac Dei ministris dignitatis suæ excellentiam, & quantis Deo beneficijs obstricti sint, quia ex omnibus eos elegerit, qui in amplissimo essent gradu: inde virtutem ostendimus, quam ab illis coli oportet, vt tantæ liberalitati respondeant. Sunt verò nonnulli qui tam præfracto & atroci sunt animo, vt non tam moueantur officiorum gratia, quàm suppliciorum metu & terrore. vnde secundo etiam medio vtendum, & altera ratio ineunda: qua scilicet, quàm grauia sint peccata Sacerdotum, declaremus, quibus exulceratus Deus horrendis eos supplicijs persequatur. de quo loquuntur Sancti verbis consideratione dignissimis: quorum aliquas hîc sententias, pro dicendorum fundamento, inseremus.

§. I.

§. I.

S. Ioannes Chrysostomus: *Nulla re Deus magis offenditur, quàm quòd indigni & peccatores sacerdotij dignitate præfulgeant.* & paulò pòst: *Si priuatim pecces, nihil tale passurus es: si in Sacerdotio peccas, peristi.* & in alia hom. vehementiùs inuehitur: *Dico horribile quoddam atque tremendum: non est ita malum in Ecclesia Dei dæmoniacos esse, sicut Sacerdotes, qui peccatorum sordibus inquinantur: hoc enim pessimum est, sicut Paulus ait, Christum conculcare, & sanguinem eius pollutum ducere, & spiritui gratiæ contumeliam facere: multò igitur dæmoniaco peior est, qui peccati sibi conscius accedit, quoniam æternis tradetur tormentis: nullus igitur communicet, nisi ex discipulis sit, nullus impuro animo, sicut Iudas, panem cælestem assumat, ne similia patiatur.* *Chrys. hō. 41. in Matth.* *Hom. 83. in Matth.* Non tam malū est esse à dæmone arreptum, quàm Sacerdotem peccatorē

S. August. *Grauiùs peccant indignè offerentes Christum regnantem in cælis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris.* & iterum: *Magis peccant, qui tradunt Christum peccatoribus membris, quàm qui tradiderunt crucifixoribus Iudæis.* Hic etiam applicari potest illud: *Minus peccauerunt Iudæi crucifigentes in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in cælo sedentem.* & quod ait Psaltes; *Dederunt in escam meam fel, & in siti meâ potauerunt me aceto.* cùm enim Christus sitiat maximè animarum salutem; Sacerdotes qui sua nequitiâ proximos offendunt, sitim illam non tantùm non mitigant, sed & fel & acetum offerunt sitienti: quod longè magis amaritudine suâ cruciat, quàm illud quod obtulerunt Iudæi: vnde fit, vt vulneribus dolor accrescat: *Et* Exaggeratio S. Augustini. *Aug. sup. Psal. 68.* *Psal. 68.*

super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Plus enim damno animarum, quàm proprijs affligitur vulneribus; ac magis ægro fert animo maleficium Sacerdotis, quem medicum constituit procurandæ salutis.

Greg. hom. 17. in Euāg. Hoc, speciali ad Sacerdotes oratione, Gregorius confirmat: *Nullum puto, fratres carissimi, maius præiudicium ab alijs, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: officium quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus.*

Bern. in serm. conuers. S. Pauli. Pijssimus Bernardus, de hac materia, magnâ loquitur contentione, magnoque animi cruciatu: *Heu, heu, Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum tenere, gerere principatum. Arcem Sion occupauerunt, apprehenderunt munitiones, & vniuersam deinceps liberè & potestatiuè tradunt incendio ciuitatem. Misera eorum conuersatio, plebis tuæ miserabilis subuersio est. An verò Saluatori animarum grauior vlla esse poterat persecutio? Iniquè agunt & cæteri contra Christum: meritò tamen crudeliorem eam censet persecutionem, quam à proprijs sustinet ministris. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est iam dicere, Vt populus sic Sacerdos, quia nec sic populus vt Sacerdos: non enim ita corruptis moribus viuunt seculares, vt Ecclesiastici.*

§. II.

OMnem eam seueritatem, quâ Sancti peccata Sacerdotum carpunt & exaggerant, ex sacris

cris Literis hauserunt, in quibus animo iniquissimo de illorum improbitate Deus conqueritur.

Dicit Propheta Ezechiel, cùm Babylone domi suæ esset, se à Deo in spiritu sublatum in Ierusalem, vt peccata populi & malitiam intueretur: se verò constitisse ad templum, & ingressum vidisse idololatriam populi Israël, qui reptilibus & animalibus, vniuersisque idolorum picturis, incēsum litaret. inde se vidisse lacrymas plangentiū mulierum ob Adonidis occisionem, qui luxuriæ totiusque turpitudinis idolum colebatur. Cumque hæc essent tam horrenda, vt nulla alia ijs cōparari posse viderentur, ait Deus Prophetæ: Fili hominis, vidisti abominationes maximas, quibus ad furorem prouocor & iracundiam, vt pœnas sumam condignas & supplicia de peccatis: *sed adhuc conuersus videbis abominationes maiores his. Et introduxit me in atrium domus Domini interius. Et ecce in ostio templi Domini, inter vestibulum & altare, quasi vigintiquinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis.* *Ezech. 8.*

Quæ si superficie tenus tantùm inspiciantur, priora peccata posterioribus videbuntur grauiora. nam illic stellionibus vilissimisque animalibus adolebatur incensum, diuina exhibebantur obsequia. cui sceleri par, nedum maius, esse quis credat? certè non adeò detestabile videtur, templo & altari tergum obuertere, ora torquere in Oriētem Enimuerò si penitiùs intueamur (vt ingeniosè aduertit S. Chrysostomus) causam reperiemus hac dignam exaggeratione. illa enim, quia in

atrio committebantur exteriori, ſecularium peccata deſignant: hæc verò, quia in interiori atrio ſeu ſanctuario templi, portã inter & altare, (quod ſolis intrare Sacerdotibus fas erat) peccata denotant Eccleſiaſticorum. quapropter Deus furore accenditur, & maximâ iracundia inflammatur.

Quòd ſeculares diuitias, honores, immunditiam tanquam idola venerentur & colant (quæ animalia ſunt verè ſordida, humilia, & veneno pleniſſima, & ne quidem vera nec viua, ſed picta tantùm & apparentia) grauiſſimè Deum ad vindictam exulcerant, & vltioni accingunt. At Sacerdotes magis illum prouocant, ſi humeros templo & altari obuertunt; id eſt, immemores officiorum, quibus à Deo ratione dignitatis maximæ ſunt obſtricti, diſſolutam quandam & liberam ſine lege vitam amplectuntur: vnde adſpicere templum nolint & altare, niſi humerorum tenus, tanquam qui veſte & nomine Sacerdotes habeantur, ſed vitâ & robuſtâ improbitate altari minimè reſpondeant, diuinæque legis præuaricatores à condignâ ſanctitate degenerent. ob quam Sacerdotum impietatem, tantopere ſe Deus iraſci clamat, vt ſupremo eam loco velut grauiſſimum ſcelus teſtetur.



CA-

CAPVT XVIII.

Ostenditur porrò grauißima esse Sacerdotum peccata: & quàm grauiter à Deo castigentur.

§. I.

PRophetam Malachiam legauit Deus, vt potissimè Sacerdotum peccata reprehenderet, & de iniuriâ illatâ quereretur: vnde eius prophetiæ, præsertim quæ duobus primis capitulis continentur, obseruandæ sunt. sic verò conqueritur: *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum. Si ergò Pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* dicit Dominus exercituum *ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum: & dixistis; In quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis; In quo polluimus nomen tuum? in eo, quod dicitis, Mensa Domini despecta est.* Verba sunt plus ancipiti gladio longè acutissima: ferit enim peccantium animos, quamuis tenerrima sit querela expostulantis. Malach. 1.

Idem per Isaiã declamat: *Filios enutriui & exaltaui, ipsi verò spreuerunt me*, quibus ista æquè ac Sacerdotibus conueniant? illos nempè vt filios, proprio, non alieno, lacte pascit. quod per eundem testatur: *Ad vbera mea portabimini, & super genua blandientur vobis: quomodo si cui mater blandiatur, ita & ego consolabor vos.* & iterum: *Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à vulua mea.* magis autem, quàm Isai. 1. Isai. 66. Isai. 46.

pectori suo admouere, & sinu gestare, est, ca
nis & sanguinis viuificum dare Sacramentum.
Etenim filij isti, quos hac ratione Deus sustenta
uit, atque ad summam dignitatem extulit, no
tantùm meritorum erga illum memoriam no
conseruant, vt ad mandatum eius omne, auctori
tatemque, se videantur conformâsse; verùm etiam
religionem venerationemque nominis indign
abijciunt. rem sanè ingratissimam, quæ nullo sati
eloquio possit improbari.

Sacerdotes tui, Deus, quos præ Angelis subli
mâsti, qui ideò omnia tibi officia, studia, omnesq
honores debebant, sic grati existunt, vt pro hu
manitate inhumanitatem, pro meritis contem
ptum ac odium suscepisse videantur? Nunquam
tantum scelus mundus vidit vel audiuit. quin imo
(& tu terra sustines?) à culpa se alienos auden
profiteri: In quo despeximus nomen tuum? auer
te à nobis cæcitatem, Deus, id vel cogitandi. co
gnoscamus, ô Patres, huiusce excusationis indi
gnitatem. vix in nobis aliquid est sanctitatis
(quæ tamen absoluta requiritur) & hoc si non fa
teamur; cæci sumus, ac meritò nos increpabit
Dominus & dicet, In hoc me aspernamini, *in eo*
quod dicitis, Mensa Domini despecta est. Quis iste tam
omnis rationis expers, atque delirus, qui tantam
ausit eloqui blasphemiam, *Mensa Domini despecta*
est: SS. Hieronymus & Cyrillus, id explicant: *Non*
quod hoc aliquis audeat dicere, & quod impiè cogitat, sce-
leratâ voce proferre; sed opera peccatorum despiciunt men-
sam Dei. sic Hieron. Cyrillus verò: *Qui non adhibet*
honorem, quem debet, Altari sancto, factis testatur il-
lud

lud esse pollutum & contemptibile.adeò vt qui sine puritate ad Altare accedunt, quasi ad mensam ordinariam comesturi; opere & facto testentur, quòd mensa Domini despecta sit.

Suprà diximus, commentatore super Apostoli verba Ioanne Chrysostomo, quòd Sacerdotes & qui in turpitudine ac impietate ad sacrificia accedunt, Dei Filium pedibus conculcent, sanguinem polluant pretiosum, contumeliam denique Spiritui sancto imponant: & si illa non sufficiunt, attendite per Prophetam dicenti: *Offertis super altare meum, panem pollutum*. Verbum est terribile & horrendum, quòd clamet Deus peccata Sacerdotum sufficere, vt sacrificia contaminentur, & panis sordidus ac immundus immoletur. An fortè in panem illum sacrosanctum immunditiæ cadat macula aut turpitudo? in illum panem, quem in altari offerimus, quem verum Christi corpus confitemur? vt quid Deus clamet panem sibi offerri contaminatum? *In hoc Tract. cap. 10.*

Certissimâ fide tenendum est, sacrificium corporis & sanguinis Christi, non infici, nec fieri posse, quin illud ipsum æterno Patri maximè gratum sit & acceptabile: quamuis enim pessimè viuant Sacerdotes, verissimè tamen in Canone confitentur: *Offerimus præclaræ Maiestati tuæ, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ*. Sed exaggerat Deus impietatem Sacerdotum, qui, quantum in se fuit, sceleribus conati sunt ea contaminare, quæ purissima sunt, & ab omni labe prorsus aliena. quod ita declarat S. Hieronymus: *Polluimus panem, id est, Corpus Christi, quando* indi- *Quî intelligatur à Sacerdotibus malis offerri sacrificium immundum.* *Hiero sup. Malach. 1.*

indigni accedimus ad altare, & ſordidi cùm ſimus, non veremur mundiſſimum corpus ſumere, & ſanguinem bibere: tunc enim opere dicimus, Menſa Domini deſpecta eſt. Etenim ſicut Sacerdotes qui cupiditatibus liberi in innocentiâ & puritate ad diuina celebranda accedunt, verè dicuntur honorare Deum & ſanctificare; non quòd honorem aliquem Deo & ſanctitatem ſuperaddant; verùm religione ſua & munditiâ, Dei ſanctimoniam & puritatem declarent, ac pio exemplo plebem ad Dei laudes excitent, quòd talibus potiatur miniſtris, qui reuerenter & decorè diuina myſteria exequantur. Ita Sacerdotes, qui vitijs oppleti ad ſacra audent accedere, quantum in ſe eſt, ſanctiſſimum ſacrificium dehoneſtant & inficiunt. videntur enim ſe viles & ſordidos æſtimare; vnde fit vt pro eiuſmodi à populo habeantur: illi etiam qui Deum non nouerunt, ex miniſtrorum nequitia, illius æſtimant ſanctitatem. Et hoc eſt, quod arguit Apoſtolus:
Rom. 2. *Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras, nomen enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes.*
Soph. 1. Vnde & Sophonias: *Sacerdotes eius polluerunt ſanctum.*

§. II.

AGNOSCAMVS hîc, ô Patres, ſcelerum noſtrorum grauitatem, quàm ſit infame & horrendum, in flagitiorum ſordibus ac cœno volutari: non miremur, quòd per Prophetas Deus in peccata noſtra inuehatur. Etenim per Malachiam
Malach. 2. alio loco improperat: *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizâſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Leui.* Magnam habet emphaſim, *Vos autem.* Vos, qui ob-

>bstricti estis tantis obsequij& amoris mei vincu- is, qui officijs quæ præstiti, honoribus quos dedi, enebamini respondere. Vos, qui à me sublimati stis in eam dignitatem, quæ principatum excellit Angelorum. Vos, quibus claues cælorum concre- didi. Vos, quibus potestatem contuli & auctorita- em ligandi peccata atque soluendi. Vos, quibus- cum ago tanquam familiaribus & amicis, quos nensæ meæ conuiuas adhibeo, & Angelorum pa- ne sustento: quos esse volui mysteriorũ cælestiũ liuinorumq; cultores & administros. Vos, quibus Ecclesiam meam trado gubernandam, vt ad vir- utis amorem tepidos inflammetis, & ad patriam empiternam duces vos & hortatores præbeatis. Vos, inquam (ô pudor!) estis principes, qui viam alutis auersati in perditionis abyssum deuiatis, nec proprijs contenti flagitijs, alios trahitis ad rui iam & excidium: quippe qui probitatis esse debe- is & innocentiæ magistri; nequitiæ estis & per- uersitatis; dum cæteris scelerum facem præfertis: lli enim perditos Sacerdotum mores secuti, eos æquare aut superare contendunt; aut potiùs par- a sua æstimant peccata, cùm vos maioribus ad- uertunt impeditos. *Iustificauit animam suam, auersatrix Israël, comparatione præuaricatricis Iudæ.*

Multis beneficijs, Sacerdotes Deo obligantur.

Ierem. 3.

Similes querelas, alibi per Ieremiam depromit: *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera mul- ta?* Fierine potest, vt illi, quos tantum dilexi, vt amicos mihi assumpserim & familiares, tam gra- uiter me offendant, & domi meæ, vbi præsens sum, tam nefaria contra me facinora committant? ete- nim *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique;*

Querela Dei contra Sacerdotes.

Ierem. 11.

Psal. 54.

vtique: tolerabile enim est quasi ab extraneis la cessi & prouocari. *Tu verò, homo vnanimis, dux meu & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, t me irritas? grauiter & molestè Deus eorum fer nequitiam, quos honoribus extulit, sibique neces sarios assumpsit.

Christus exaggerat peccata Sacerdotum.

In Reuel. S. Brigit. lib. 1. c. 47. 48. 49. & lib. 4. cap. 132. 133. 135.

In reuelationibus S. Brigittæ queritur multo ties Christus, de improborum Sacerdotum pessi mâ conuersatione, eorumque impietatem verbi acribus & vehementibus detestatur: dicit enim peiores esse Iudæis & Ethnicis, & illorum peccat grauiora esse cùm peccato Iudæ, qui prodidit Sal uatorem, tum Iudæorum inuidiâ, qui hunc ipsum crudelissimè ceciderunt, & morte turpissimâ con demnârunt. atque iterum, peiores esse quàm om nes peccatores terræ; & quoad peccati deformi tatem Lucifero esse comparandos. Alibi item ipsorum peccatis infligi maximos & grauissimo cruciatus, nec esse in inferno, ne quidem ipsos dæ mones, qui ita torqueantur. Item acerrimo repre hensionis aculeo inuectus, maledicta plurima in eos congerit, quæ vehementer ab omni scelere, s æstimarentur, possent deterrere: dicit enim, cibum & potum & quodcunque attingunt, terram quan premunt, aërem quo vescuntur, deuota esse & maledicta. Plura denique huiusmodi maxim horrenda huic sanctæ Matronæ Deus reuelauit

Quamuis verò reuelationes istæ non pro Ca nonicis, vt illæ quæ in Scriptura leguntur, haben dæ sint: piæ tamen sunt & autenticæ, quibus mul ta veneratio debeatur. qui eas latiùs hac de re vo let consulere, loca adeat prænotata.

Mul

Multum huic proposito inseruit, quod ex Leuitico sapienter animaduertit Chrysostomus; ait ille: *Ostendere volens Deus, hominum peccata longè maiori supplicio expianda à Sacerdotibus, quàm dum à priuatis fiunt, mandat, vt tantundem pro Sacerdote quantum pro vniuerso populo, sacrificium offeratur; quod quidem quid aliud significat, quàm Sacerdotis vulnera maiori medicamento indigere, quàm coniuncta simul vniuersi populi vulnera indigent. Porrò maiori non indigerent, nisi grauiora forent: grauiora autem fiunt, propter Sacerdotis, qui ea commiserit, dignitatem.* *Leuit. 4. & 6. Chrys. lib. 6. de Sacerd.*

Sed quid mirum, ait idem Sanctus, quòd in Sacerdote sic aggrauatur culpa & pœna, cùm eadem etiam augeretur in familia? de quo vide quæ suprà allata sunt. *In hoc Tract. cap. 10. §. 2.*

CAPVT XIX.

Recensentur quædam supplicia maximè horrenda, quæ Sacerdotibus inflixit Deus, ob peccata aliqua, quæ tamen non ita grauia videbantur.

§. I.

QVæ diximus modò de peccatorum grauitate, sacris Literis expresse & in praxi continentur. in quibus legere est, Deum tristem & seuerum fuisse Iudicem in puniendis Sacerdotum nonnullis sceleribus, quæ leuia tamen & in alijs toleranda videbantur.

Id patet clarissimè, in occisione filiorum Aaron Nadab & Abiu, qui Sacerdotes creati cùm essent, primùm sacrificaturi *arreptis thuribulis suis imposuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod illis præceptum non erat. Egressúsque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.*

Pœna Nadab & Abiu
Leuit. 10.

Sancte Deus, quis culpam hanc, quæ leuis videtur, tam strictè & rigorosè plectendam esse vel cogitaret? etenim Sacerdotes erant nouelli, qui turbatione forsitan, quia inexperti, aut certè ignorantiâ peccarent. sed nulla est excusatio, vbi Sacerdotes deficiunt: in quibus emendandis, maiori Deus vtitur flagello, quia maioribus eos beneficijs cumulauit. Porrò si tam acriter in illos animaduertit, qui sanctuarium ingressi, extraneum ignem obtulerunt; quâ pœnâ Euangelicos Sacerdotes excipiet, qui mentes suas infernali concupiscentiæ flamma adurunt, quâ incensi & adusti ad sanctissima mysteria præsumunt accedere? illi hoc præsumunt, qui diuino amoris incendio flagrare atque deliquescere deberent? profectò res est tanta, quam aliquatenus assequi possis cogitatione, verbis explicare non possis.

Deus sibi honori vertit, punire Sacerdotes.

Nota tamen rationem, quæ ibidem in Leuitico refertur *Quia hoc est verbum, quod locutus est Dominus: Sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor.* Nempe sicut Deus honori sibi ducit, quòd Sacerdotes exaltarit, ita sibi gloriæ & laudi vertit, eos, si munere suo ritè non fungantur, acerrimis supplicijs persequi & sic dicit Textus: *Sanctificabor in his qui appropinquant mihi,*

mihi, id est, ex ministrorum meorum emendatione sanctimoniæ mihi decus accrescet. quod consentit cum eo, quod suprà diximus, videlicet à Sacerdotibus, si debitâ religione munus suum non obeant, Deum contemni, & aras ac sacrificia contaminari. Sed huic respondet Deus & minatur: Conuertar pro honore meo: si sanctitatem meam vita vestra non asseratis, id ipse facere conabor: si opere me sanctum esse inficiemini, & altaria mea victimasque sancta esse, iniquitas vestra diffiteatur; ipse id pro me meisque ostendam: nam de Sacerdotibus tale soleo capere supplicium, vt cognoscat mundus & sanctitatem meam, & ipsorum peccata nullatenus à me dissimulari. quod significat, dum ait: *Et in conspectu omnis populi glorificabor.* Persuadeat sibi nemo, quia maximè sublimatus sit, & summâ potiatur auctoritate, sua scelera à me esse toleranda: etenim quia in tantam dignitatem euecti estis; delinquentes grauiori punitione consectabor. Sic per Prophetam: *Quia tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcircò visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Maximè verò id attonitos reddit, quod Moyses testatur: *Sicut antea lætatus est Dominus super vos benefaciens vobis, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens.*

Supra in hoc tract. c. 10. & 18.

Amos 3.

Deut. 28.

Deus & benefacit & punit.

Meritò mentis nostræ aperiamus oculos, vt diuinam indolem cognoscamus: quanto enim altiori in honore sumus, & pluribus officijs obstricti; tanto grauioribus reseruamur supplicijs, si ingratos nos esse profiteamur. *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Psal. 49.

§. II.

Supplicium Ozæ.

EANDEM Deus seueritatem in Oza, filio Abinadab Leuitæ, exercuit. nam cùm, solemni processu, Arca Dei plaustro veheretur, (quod Oza & Ahio fratres agebant) ecce ad aream Nachon recalcitrantibus bobus, arca in terram minabatur, & extendens Oza manum, vt labentem fulciret, exanimis corruit: *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam: & percussit eum super temeritate, qui mortuus est iuxta Arcam Dei.* (*2.Reg.6.*) O iudicia Dei, abyssus multa! rem tam leuem tam acriter castigari! conatum hunc pium fuisse, & laude dignum, quis non putet? Siue enim Leuita dicatur peccâsse, quia actu coniugali non abstinuerat (quod nonnulli conijciunt, & quorum suprà opinionem secuti sumus) (*In hoc Tract. cap. 9. §. 2. Numer. 1.*) siue quia nudè arcam nutantem tetigit, quam non nisi per vectes portare licebat, siue (quod probabilius est) quia ex præcepto legis cùm illam deberent humeris gestare, plaustro imposuerint. quodcunque tandem sit, error fuit in cæremonijs: imò necessitate illâ oblatâ, videtur fuisse licitum & laudabile, supponere manum arcæ labenti. verùm, vt dixi, iudicia Dei, non est qui perscrutari possit: ille enim numeris suis absolutam quandam perfectionem in obsequio suo requirit; vnde & strictissimo rigore minimum vel erroris punit delictum.

Cum timore ad Deum accedere debemus.

Quapropter timore percelli debemus etiam tunc, cùm maximè, vt Deum accedamus, paratos nos esse cõfidimus. sanè maiestatem illam vereri debemus, quæ penetrat intima cordium, & cog-

tationes occultas deprehendit: in cuius oculis sordent stellæ fulgurantes, quæ & in Angelis, quod argueret, inuenit. *In Angelis suis reperit prauitatem.* Ex quo vnusquisque secum ratiocinetur: Quid scio, an Aman ego similis, qui inuitatus à Rege, magnos inde sibi ambiens honores, mortis sententiam excepit? forsitan ero ille miser & infelix, cui dicetur: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* erat certè miserandus, qui coactus quasi intrare conuiuium, quia malè vestitus, supplicium tamen non euasit. Quid scio, an & ego inter illos, quibus dicitur per Prophetam: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum?* Etenim video Leuitam, qui benè se facere existimabat. quod & pluribus videretur, Deo iudici temeritatis pœnas dedisse. At nonnè & Philistæi arcam nudatam plaustro vexerunt, nec tamen pœnâ affecti sunt? Laici erant, & gens profana, quæ Dei quoad hoc cultum ignoraret: Leuitam verò, minorem ob culpã, subitâ morte percussit. Vt intelligant Sacerdotes, crimina sua grauioribus, quàm laicorum, supplicijs plectenda esse. quod hîc non ineptè declaramus.

Iob 4.
Esther 6.
Matth. 22.
Psalm. 68.



CAPVT XX.

Seueritatem porrò ostendit, quam in puniendis Deus Sacerdotibus exercet.

§. I.

ALTERVM exemplum nobis Scriptura suppeditat, quo confirmetur id, quod in præcedentibus declaratum est. Ophni & Phinees, filij Heli Sacerdotis, cùm ventris ingluuiem & fornicationem sectarentur, diuinaque sacrificia temerarent, iratus est eos contra furore Dominus: Heli verò patrē, quia filios minùs seuerā animaduersione plectebat, statuit à facie suâ amouere, & Sacerdotium transcribere Samueli: promisitq; hanc nimiam indulgentiam & impietatem ita à se correctum iri, *vt quicunqe audierit, tinniant ambæ aures eius.* Sacerdotes suos, hoc pacto voluit Deus, persequi, vt exemplo nobis essent, & metum incuterent diuinæ seueritatis.

1. Reg. 2.

Pœna filiorum Heli.

1. Reg. 3.

Meritò timor apprehendet nos, cùm viderimus indignationem, quâ in suos ministros Deus animaduertit. Etenim tanta fuit ira vindicis, vt non satis duxerit patrem & filios repentinâ morte percutere; sed etiam permiserit vt arca sua à Philistæis traheretur in prædam, & cum idolo coniungeretur: insuper populum suum vinciendum dederit & cædendum inimicis, ad omnem denique familiā Heli extenderit vltionem. *Pars magna domus eius morietur, cùm ad virilem ætatē venerit, & non erit senex in domo eius.* Et quod maximè debet terre-

1. Reg. 4.

1. Reg. 2.

res

re: *idcirco iuraui domui Heli, quòd nō expietur iniquitas domus eius, victimis & muneribus vsque in sempiternum.* 1. Reg. 3.

Verbum, hoc verbum terribile, & pertimescendum: nam sacrificia & oblationes tunc temporis erant, quæ scelerum possent quorumcunque maculas delere: adeò vt peccata nulla essent quantũuis grauia, quorum per illa remissionem non adipiscerentur, animique integritatem recuperarent: sicut & modò eundem effectum per Sacramenta Deus operatur, quamuis diuersa ratione. Hæc cùm ita sint, tamen adeò se exulceratum Deus testatus est, vt expianda non foret iniquitas domus Heli *victimis & muneribus vsque in sempiternum.*

Quantum ego quidem ad iudicandum valeo, arbitror punitos tam acriter fuisse, quod Sacerdotes essent, & tot scelera in diuini cultûs neglectũ & contemptum patrarent: & fuit iustissima sententia, vt sicut sacrificia contaminauerant, eadem pro expiatione nihil prodessent. Huic considerationi fauet Papa Iulius, cuius verba in Decreto referuntur: *Cùm omne crimen atque peccatum, oblatis Deo sacrificijs deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur?* Videtur significare, non esse sacrificium nec oblationem pro huiusmodi peccatis, sed solã superesse strictissimam punitionem: vnde rectè dicitur *Vt omnis, quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius.* Nam videtur in æquitate esse positum & iustitiã, vt qui nō ritè nec debito apparatu celebrantes contra sacrũ Missæ sacrificium peccârint; mereantur inde, vt nulla Missarum solemnia ipsis prosint, & æquales pro criminũ grauitate pœnas exsoluãt.

In c. Cùm omne crimen. de cons. dist. 2.

Nota.

Vide suprà Ierem. 11. Quam ob rem, post hæc verba Ieremiæ: *Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* (quæ propriè competunt Sacerdoti) statim adiungitur: *Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* minimè verò, nec enim ijs proderunt sacrificia, qui illa ipsa nefariè polluerunt: *Tu ergo* (Ieremia) *noli orare pro eis, neque assumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam in tempore afflictiones eorum.*

Vide cap. 16. §. 2. huius Tract. Ezech. 8. Prophetæ item Ezechieli, postquam monstrâsset Dominus Sacerdotum infanda flagitia, subiecit: *Ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miserebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magnâ, non exaudiam eos.* Etenim summa hæc est exaggeratio, quæ in re simili adferri possit. nam cùm sit Deus pijssimus, & sibi de suâ, maximè erga afflictos, pietate gratuletur: quando pollicetur se fore inexorabilem, & quamuis videat miseros & infelices, se tamen non commotum iri, quamuis videat implorantes, non auditurum; clarissimum est indicium conceptæ indignationis, qua tam tristia, tam funesta minitatur, præsertim in illos, qui Sacerdotes cùm essent, diuina curare sedulò tenebantur, & neglexerunt.

§. II.

Malach. 2. VBi per Malachiam primo cap. sua Sacerdotibus peccata Dominus improperâsset, in secundò hac ad eosdem apostrophe vsus est: *Et nunc ad vos mandatum hoc, ô Sacerdotes: si nolueritis audire, & si volueritis ponere super cor, vt detis gloriam*

nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris. Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum. (*Proijciam vobis brachium*) (erat hæc pars animalis, quæ Sacerdoti obtingebat) id est, non recipiam sacrificia, nec grata mihi erunt, sed contemnam & aspernabor. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* id est, effundam super vos ignominiosè, sacrificia & orationes, quæ velut grandem solemnitatem offertis, sed mihi pro stercore reputantur: displicent enim, nauseam excitāt, atque fœtorem protrudunt. Etsi verò sacrificia per se spectata placere possint; efficiam tamen ob improbitatem vestram, vt nullatenus vobis conducant, sed antè reatum accumulent, quia indignè acceditis ad immolandum. Subiungit verò aliud supplicium, non minùs metuendum atque terribile: *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles in omnibus populis, sicut non seruastis vias meas.* Iam non videbitur mirum, si contemnantur Sacerdotes, & illa dignitas vilipendatur, quæ omni digna est veneratione. licet enim seculares, qui nos spernunt & rident, culpâ non careant, imò contrahant grauissimam, ac proinde supplicijs digni sint: ipsorum tamen Deus vtitur ludibrio tanquam carnifice, vt nos flagellet, & permittit, vt nobis, qui sibi meritos honores non decernimus, omnis æstimatio & reuerentia denegetur.

Castigantur Sacerdotes mali, dum cōtemnuntur.

Idem animaduertere est in paupertate. Nam quòd status Ecclesiasticus adeò extenuetur, tot tan-

Castigantur paupertate corporali & spirituali.

tantisque tributis grauetur & vectigalibus, permissio est diuina, vt multorum castigetur auaritia, multorum prodigalitas emendetur. Maximè verò intelligendum hoc est de paupertate spiritali, de extrema quadam virtutum caritate, quæ apud Ecclesiasticos grassatur: paucissimos enim reperias, qui exemplar sint religionis, & nomen mereantur Sacerdotis. Hæc tanta paupertas flagitijs nostris imputanda est, atque ijs potissimùm, quæ per diuini cultûs neglectũ, indignamq; sanctorum mysteriorum tractationem committuntur. Ita est: quia in his negligentes arguimur; cum durissima egestate pugnamus, tamque acri virtutum fame affligimur, qualem hodie in plerisque lamẽtamur. idipsum etiam fortè licet de cæteris minis ac pœnis iudicare.

§. III.

Quàm strictè egerit Deus cum Moyse & Aaron.

Numer. 12

HAnc DEI seueritatem sequentia magis declarabunt. Duos habuit Deus, quibuscum familiariter vsus est & amicè; Moysen quidem, de quo ipse testatus est: *Seruus meus Moyses, in omni domo mea fidelissimus est: ore ad os loquor ei.* Aaron verò, quem Principem constituit Sacerdotum, legisque interpretem, ac ministrum elegit omnium mirabilium & prodigiorum quæ operatus est. De his sibi quamuis gratularentur, aut potiùs quia tot essent beneficijs obstricti, duces essent super Israël, qui populum electum ad terram agerent promissionis: Deus tamen ob culpam, nobis quidem leuissimam, indignationem tam vehementem concepit; vt vtrumque à terra illa beata & felici.

felici arcendum pronunciârit. Necverò omnis postea familiaritas, aut obsequiorum promptissima seruitus, potuit obtinère, vt sententia lata reuocaretur. sed iam appropinquantibus terræ promissæ mandauit Dominus, vt monte conscenso omnem specularentur regionem, quod vbi fecissent, morerentur.

Enimuerò, vt diuinæ iustitiæ rigor magis magisque innotescat, quem & in suis familiaribus, quibus plurima præstiterat officia, exercuit; rei gestæ historiam ex Scriptura hîc deducemus.

Patiebatur in deserto populus aquæ penuriam, nec aderat vnde sitim leuare posset. quamuis autem refrigerium non mereretur accipere, quia superbè & factiosè in Moysen & Aaron inuectus esset; Deus tamen memor pietatis, nec attendens ingratissimæ seditioni, verùm necessitatem & laborem miseratus, cum Moyse ita locutus est: *Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cùmq́; eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius.* ita factum, & *tulit Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregatâ multitudine ante petram, dixitq́; eis: Audite rebelles & increduli: Num de petrâ hac vobis aquam poterimus elicere? Cùmq́; eleuásset Moyses manum percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta.*

Historia de aqua contradictionis. *Num. 20.*

Tam grandi miraculo perpetrato, non curauit Deus populi factiones aut murmura: necessitate enim & penuriâ compulsos pro tunc excusabat: sed ad Moysen atque Aaron conuersus, sic illos

sepre-

reprehendit : *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.*

Ita me Deus amet, quis fuit ille reatus, quo Sacerdotes tam asperè mererentur affligi? Si ipse iudex culpam esse non dixisset, an fortè aliquis eam deprehendere potuisset? quamuis tamen esse iam sciamus, vix eam percipere possumus, aut dignoscere: constat enim quòd Sancti illi patienter admodum populi murmur ac seditionem pertulerint: imò ne factiosis sua obesset rebellio & contumacia, in tabernaculo Dei furorem precibus mitigârunt: ipsis denique tanquam instrumento vsus est Dominus, vt tam grande miraculum ederetur, quod diuinæ potentiam maiestatis & gloriam ampliaret. etenim vbi culpa, quæ Altissimi iram excitauit?

Quæ fuerit culpa Moysis & Aaron.

Multorum sunt opiniones, quæ culpam hanc declarent, & cùm sit minutissima, perspicilijs, ne dicam lynceis oculis opus est, vt eam inuestigemus. Vnde sepositis plurium sententijs, magis probabilē hîc ponemus, quæ asserit, incredulitatem aliquam & dubitationem in Sanctis extitisse. Non quòd de diuinâ potentiâ ambigerent, quam nouerant absolutam, vtpote tot mirabilia patrârat; sed æstimans Moyses duritiam populi & atrocitatem, inter spem & metum trepidus hærebat, an impedimentum non esset, vnde Deus tale beneficium negaret: atque ita dubius dixit Israëli: *Audite rebelles & increduli, num ex petra hac aquam vobis poterimus eijcere?* Ita S. Augustinus & Isidorus, in Glossâ Ordinariâ. Vtcunque est, culpa hæc Sanctorum

S. Aug. in Quæst. Veteris Test.

ctorum fuit leuissima præ populi sceleratâ factione: de cuius reatu, nulla est à Deo facta mentio; ipsis verò tantum est indignatus, vt nec Moyses efficaci suâ oratione, quâ toties populo veniam impetrârat, pro se Dominum potuerit flectere. Nam cùm regionem illam beatam ac fertilem specularetur, petijt enixè sibi indulgeri, vt omnem terram trans Iordanem videre posset. Sed *iratus est Dominus illi, nec audiuit eum, sed dixit ei: Sufficit tibi, nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me.* *Deuter. 3.*

Hoc exemplo comprobatur, Sacerdotes, & eos qui maximis sunt affecti beneficijs, ob leues admodum culpas à Deo acriter castigari: *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, & ad nostram correptionem, in quos fines sæculorum deuenerunt.*

§. IV.

Omnia Sacerdotibus olim mandata sub pœna mortis.

VT prædicta maius habeant momentum ac pondus, rem dignam examine subnectam. Videlicet si attentè sacræ Literæ euoluantur, reperies ea ferè, quæ Sacerdotibus ac Leuitis iniunguntur, quoad muneris sui functionem, quamuis videantur leuia, sub pœnâ mortis præcipi ac mandari. Pluribus id locis patet: binis, ternisue contenti erimus. In Exodo sic: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* *Exod. 19.* In Leuitico: *Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè moriamini.* *Leuit. 10. & 22.* & statim: *Custodiant præcepta mea, vt non subiaceant peccato, & moriantur in sanctuario, cùm polluerint illud.* Item Numerorum 4. *Non tangant vasa sanctuarij, ne moriantur.* & subiun- *Num. 4.*

gitur:

gitur: *Nullâ curiositate videant, quæ sunt in sanctuario priusquàm inuoluantur, alioquin morientur.* Atque alibi sæpiùs adijcitur, *Ne moriamini*, aut quid simile, etiam ijs in rebus, quæ pro nihilo reputantur. Vt intelligant Sacerdotes, nullam à se leuem culpam committi, sed grauiter ratione amplissimæ dignitatis, Deum semper offendi.

CAPVT XXI.

Deus Sacerdotibus maximè indignatur, quia suis peccatis reliquos ad peccandum hortantur.

§. I.

Circumstantiæ, quæ grauant culpas Sacerdotum.

PLVRES sunt causæ, quæ aggrauant peccata Sacerdotum, & efficiunt, vt ob ista grauiùs, quàm ob nequitiã secularium, Deus offendatur. Iis verò exceptis, quas suprà tetigimus, & sunt: Dignitatis excellentia, religio & sanctitas neglecta, officia à Deo præstita in electione & super Angelos exaltatione, ingratitudo beneficijs non respondens, atque his similia, quæ Sacerdotes vehementer exosos reddunt pœnisque obnoxios; alia est principalis & præcipua, quòd ipsorum malitia commune Christianis faciat detrimentum. planè, sicut capitis infirmitas totum corpus reddit infirmum, & Pastoris neglectio, gregis est dissipatio. Vnde Isaias, populi volens calamitatem ostendere, à capitum, id est Principum, cœpit languore: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens:*

Peccata Sacerdotum, causant populi peccata.

Isai. 1.

ex quo sequitur: *A planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas.* Nec vel vnius medici accessit cura. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Hæc autem damna, quæ miserrimam Reip. cõditionem significant, ex capitum infirmitate profluxerunt.

Hinc sancti Doctores, totius populi scelera, nequitiæ imputant Sacerdotum. D. Ambrosius: *Sicut in corporalibus morbis capite vitiato, necesse est reliquum corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari: ita & hi qui caput videntur esse Ecclesiæ, morbo suo fraternum vitiant corpus, vt nihil ex totius corporis compage inlaceratum possit euadere, quod negligentium Sacerdotum vitiositas non infecerit: vnde populum videmus nugacem, & indoctum, eò quòd tales habeat Sacerdotes.* *Ambr. lib. de dignit. Sacerd. c. 5.*

S. Gregorius idem pluribus locis vehementiùs attestatur. *Ruina,* inquit, *populi, maximè ex culpa Sacerdotum.* Item alibi: *Quanto mundus gladio feriatur, adspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis: cuius hoc nisi nostro Sacerdotum peccato agitur? Nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam: ex nostro peccato populi turba prostrata est, quia nostra faciente negligentia ad vitam erudita non est.* *Greg hom. 39. in Euang. Hom. 17. in Euang.*

S. Bernardus acriter in idem: *Misera Sacerdotum conuersatio, plebis Dominicæ miserabilis subuersio est.* *Bern. serm in conuers. S. Pauli.*

Quod cùm ita sit, & Deus communi bono maximè attendat; non potest non grauissimè in Sacerdotes accendi, ex quibus, tanquam radice, subditorum flagitia proficiscuntur.

§. II.

§. II.

Aaroni, peccatum populi imputatur.

IDem deducitur ex Scriptura, quæ olim in more positum fuisse commemorat, vt Sacerdoti, velut soli auctori, multitudinis peccata imputarentur. In Exodo narratur: Cùm ex monte descenderet Moyses, tabulas legis, Dei digito scriptas, secum deferens, vitulum auratum offendit, cui omnis populus diuinos honores decernebat dicendo: *Hi sunt dij tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Videns Moyses malitiam hanc intolerabilem, & commune delictum, fratrem suum Aaron Sacerdotem, licet auctor non fuisset, qui tamen in peccatum consensisse videbatur, ita increpauit: *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?*

Exodi 32.

Iudith 2.

Iudith in Presbyteros culpā populi cō iecit.

Cinctam ab Assyrijs obsidione Bethuliam, tantæ premebant angustiæ, vt præ siti exclusis aquis morituri ciues viderentur. Sanctissima verò Iudith, extremam gentis suæ miserata calamitatem & animaduertens quòd desperarent de salute (cùm & aër iniquus esset, nec terrâ subsidium appareret) proponerentque communi assensu in hostium se tradere potestatem; vehementer indoluit afflictionem, & præsertim diffidentiam quam, spe salutis abiectâ, conceperant. Itaque ad radicem accessit, & Sacerdotes increpauit, quamuis illi huius culpæ auctores non extitissent: imo plebem ipsam volentem se dedere inimicis animauerant, vt obsidionem illam quinque adhuc diebus toleraret: quibus elapsis, si nec tunc spes affulgeret auxilij, faceret, quod sibi è re sua videretur:

retur. hæc ita cùm essent, omnem tamen diffidentiæ causam in Sacerdotes coniecit, quòd efficaciter populo non restitissent, diemque pepigissent seruitutis. sic ergo reprehendit: *Quod est hoc verbum in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? & qui estis vos qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet, & furorem accendat.* Porrò quod subiungit, dignum est quod altâ reponatur memoriâ, & Sacerdotibus sit documento ac confusioni. *Et nunc, fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite.*

O Patres, si audiremus mulierem hanc sanctissimam, & ea, quæ nobis per illam Spiritus sanctus reuelauit, impressa atque affixa animo haberemus, nempe nos esse Presbyteros in populo, id est seniores, non quòd ætate simus tales oporteat, sed moribus, prudentiâ & sanctitatis opinione; quin etiam, si assidue obuersaretur, ex nobis pendere omnem Reipubl. animarumque salutem & beatitatem; quale nostris desiderijs inijceretur frenum? quæ non remora, prauis cogitationibus adderetur? videremus enim non tantùm pro nostris flagitijs reddendam esse rationem, sed & pro alienis, quæ à pluribus commissa sint vel malo nostro exemplo, vel saltem parum bono: efficacissima quippe est vita Sacerdotum, si mala, vt ad peccandi libertatem maioraque scelera excitet & inflectat. Admonitio.

Vnde S. Chrysostomus, aut quicunque est

Auctor operis imperfecti in Matth. hō. 38. auctor, super Matth. *Videte Sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & in opere, quoniam si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant & Sacerdotes: si autem ipsi Sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideò vnusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationem, Sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omnium peccatis rationem reddituri sunt.*

Aug. serm. 15. in append. de diuersis. Et S. Augustinus: *Si diligenter attenditis, fratres carissimi, omnes Sacerdotes Domini & ministros Ecclesiarum in grandi periculo esse cognoscetis. Nam si pro se vnusquisque vix poterit in die iudicij rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnes animæ exquirendæ?*

Matth. 21. Luca 19. Ioan. 2. Ad idem applicat Chrysostomus factum Christi: qui cùm in Iudæorum nequitiam esset inuectus, & plurimas ob eam imminere calamitates dixisset, ad templum se protinùs contulit, & flagello facto, vendentium atque ementium turbas *Chrysost.* exegit. quo super ille sic commentatur: *Sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum procedit. Vidit studiosus agricola, arborem pallentibus folijs marcidam, & intellexit, quia læsuram in radicibus haberet. Nam verè, quemadmodum cùm videris arborem pallentibus folijs, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem: ita cùm videris populum indisciplinatum, & irreligiosum; sine dubio cognosce, quia in Sacerdotibus culpa sit.*

§. III.

Sacerdotes mali, nocent Reip. boni prosūt.

EX quo optima consideratio deduci potest; nimirum quòd quacunque mundi ætate grauissima

uissima Reipub. damna ex Sacerdotum peruersitate dimanauerint; contrà, bonorum virtute & meritis, omnis felicitas consecuta sit.

Per factionem Core, Dathan, & Abiron, *Num. 16.* aperta est terra, quæ & ipsos, & asseclas, viuos absorbuit: cumque huius causam excidij in Moysen populus conferret, & tumultu scinderetur; indignatus Deus, terribile excitauit incendium, quod nullo pænè momento quatuordecim millia & septingentos deuorauit: porrò deleta fuisset omnis multitudo, nisi obtulisset Aaron thymiama, *& stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus esset.*

Suprà diximus, propter peccata Heli ac filiorum, victoriam cessisse Philistæis; *In hoc tract. cap. 20. §. 1.* Israëlitas disiectos fuisse ac dissipatos, arcam Testamenti captã, illosque tamdiu seruitute oppressos, donec Samuel constitutus à Deo iudex hortaretur, *1. Reg. 2. & 4.* si salui esse vellent, falsorum Deorum auferrent simulacra, & omnipotenti Deo redderentur. quo factũ, vt iugo excusso in inimicos ipsi palmam obtinerent. Pòst verò Sedecia rege, stragem Deus edidit miserabilem, *4. Reg. 25.* & gentem suam sic Chaldæorum exercitu circumuallauit, vt & incenderetur ciuitas electa, & æquaretur solo, & incolæ eius captiui Babylonem traherentur: quam horrendam cladem constat (ex Ieremia & Ezechiele Prophetis) maximè ob Sacerdotum crimina acceptam fuisse. Similiter tantæ seruitutis leuamen à Sacerdote sancto Esdra, seu Nehemia, principium duxit, qui cum pluribus viris integerrimis reuersus Hierosolymam, ciuitatem restaurauit, templum exstru-

xit, opeíque ablatas ſummâ curâ reſtituit. Denique, cùm Chriſtus veniret in mundum, Sacerdotes auaritiâ, faſtu hypocriſi, infames erant; qui & ipſum plùs quàm Vatiniano perſecuti ſunt odio, quâ tabe liuidi eundem & cruci affixerunt, ſed ſcelus excidium Iudęis attulit. Pro cuius reparatione damni, ſanctiſſimos Deus Sacerdotes, Apoſtolos nempe, eorumque ſucceſſores, excitauit: qui reſarſerunt omne, quod collapſum erat, & nouam quandam Rempubl. atque Eccleſiam conſtruxerunt, priori maiorem longè, atque excellentiorem. Idem nobis poſthac conſiderare licet: nimirum ſicut Sacerdotes boni & virtute præditi magnum Reipubl. faciunt emolumentum; ita mali atque peruerſi grauiter ſuo nocent exemplo, & Deum ad capiendam prouocant vltionem. vnde mirum non eſt, ſi & ipſe maximo in delinquentes furore inflammetur. quod hactenus declaratum eſt.



TRACTATVS III.

De Sancto Missae Sacrificio.

Eiusdemque excellentiâ: quo item externo cultu peragi conueniat: quâ denique ratione Officium diuinum attentè sit persoluendum.

CAPVT I.

In Ecclesiâ Catholicâ verum ac proprium esse sacrificium, quod in Missâ offeratur.

SAcerdotis officium est sacrificare, idque maximè illi singulare & proprium. ad eum enim finem Sacerdotij dignitas instituta est, teste Apostolo: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Etsi verò cunctis Sacerdotibus hoc fuerit commune, potissimè tamen Euangelicis, & excellentiori quodam modo quibus, dum initiantur, in forma dicitur consecrationis, *Accipe potestatem offerendi sacrificia, Missasq; celebrandi pro viuis & mortuis in nomine Domini.* Quibus verbis Sacerdotalis cha-

Maximè proprium est Sacerdotis, offerre sacrificium.

Hebr. 5.

character imprimitur, & ad consecrandum corpus & sanguinem Christi, ac Deo Patri offerendum in sacrificium, potestas confertur. Atque ita pro suprà dictorum explicatione, & maiori fundamento (vbi de Sacerdotij excellentia tractatum est) videtur non ineptum, si de sacrificij excellentia aliquid proferatur.

Certum est, in Ecclesia esse proprium sacrificiũ.

Præ omnibus firmiter probandum est, quòd esse in Ecclesia Christiana aliquod proprium & particulare sacrificium, quod Deo offertur, tam certum sit & euidens, vt in dubium vocari nullo modo possit, nisi forte per eos qui iudicij careant ratione & intellectu; in quorum numero hæretici huius temporis censentur: qui tanta pertinacia & temeritate, inter cæteros errores, in hunc etiam prolapsi sunt, vt nolint omninò in Ecclesiâ habere Christianâ proprium aliquod & verum sacrificiũ. Etenim hîc non tantùm SS. Patribus, omnibusq; Ecclesiæ Doctoribus, sacris Concilijs, testimonijs denique Scripturæ aduersantur: verùm etiam bonæ rationi contradicunt. Cùm enim essentiale sit & necessarium omni Reip. benè institutæ, vt in illa habeantur sacrificia, quibus suus Deo cultus exhibeatur; (quod & ipsi Gentiles intellexerunt & testati sunt) cùm etiam nulla fuerit Resp. quantumuis barbara & agrestis, in quâ propria Deo sacrificia oblata non sint: quo modo aliquis vel suspicetur, vt Christus eam Remp. quam absolutissimã instituit, in hac re tanti momenti mutilatam atque mancam reliquisset? cùm item constet ex S. Thoma (quod & omnes afferunt Theologi.) Deo offerre sacrificium, esse de iure naturali; qui hoc

Suprà Tract. 1. cap. 1.

S. Thom. 2.2. q. 85. art. 1.

hoc naturæ instinctu suos Christus fideles spoliâsset? Doctrina etiam certa est & stabilis, quòd gratia non destruit naturam, sed antè perficit. His ergo ita coniunctis & connexis; lege, Sacerdotio, sacrificio, vt quacunque in vno mutatione factâ, in alteris consequatur; (sicut efficaciter probat Apostolus vbi dicit: *Translato Sacerdotio necesse est vt & legis trãslatio fiat*) euidēs est, commutatâ per Christum lege veteri in nouam & meliorem, Sacerdotio veteri in nouum & magis perfectum; eadem proportione instituendum fuisse sacrificium nouum, quod antiquis succederet, tantoque esset perfectus, quantò legem veterē noua antecellit.

Lex, Sacerdotiũ, & sacrificiũ semper iuncta. *Hebr. 10.*

Vlteriùs supposito, in lege Euangelica esse Sacerdotes (quod nec ipsi hæretici inficiantur; quãuis malè intelligendo peruertant) certum est esse sacrificium, quod ab illis offeratur: nam aliâs frustrà Sacerdotes haberentur. Atque idem ex altari argumentum desumitur: si enim altare est in Ecclesia (vt expresè asserit Apostolus, & tertius Canon Apost. & generatim omnes Sancti) clarum est debere esse sacrificiũ, quod in eo offeratur: ad illũ quippe finē altare exstruitur, adeò vt correlatiua sint, & ad se mutuò altare & sacrificium referãtur.

Hebr. 13. & 1. Cor. 10.

Patet igitur errorem hunc, infelicissimorum hominum, tã esse alienum ab omni ratione, vt cadere non possit in intellectum, nisi eum qui pertinacia perfidiâque ita sit excæcatus, vt de errore in errorem & in grauiores turpioresque delabatur. sed in hoc agunt tanquam ministri dæmonis, qui semper maximum Ecclesiæ damnum molitur, & nouit esse maledictum extremum, si auferre

SS. altaris ſacrificium poſſit. ſicut de facto ex ijs prouincijs exſtirpauit, in quas funeſti errores, vt peſtes quædam exitiales, dominantur.

Hæretici ſunt præcurſores Antichriſti.

In hoc etiam hæretici ſe eſſe teſtantur Antichriſti præcurſores: qui, è Sanctorum opinione, in id primò & principaliter incumbet, vt in Eccleſiæ detrimentum tollatur ſacrificium altaris. quod interpretantur auctores grauiſſimi ad Danielem: videlicet mille ducentorum nonaginta dierũ ſpatio, (id eſt, tribus cum medio annis regnante Antichriſto) auferendum eſſe Eccleſiæ ſacrificiũ perpetuum, & in templo ſuam ipſius imaginem erigendam, vt pro Deo colatur & adoretur: *A tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta.* & iterum: *Tulit iuge ſacrificium, & eiecit locum ſanctificationis eius: robur autem datum eſt ei contra iuge ſacrificium, propter peccata.* Idem, quo tunc dæmon per Antichriſtum potietur, per hæreticos atroces nũc adipiſcitur; qui ab Eccleſia SS. tollentes ſacrificiũ, innumera per hoc damna inferunt, & conantur id efficere, vt pop. Chriſtianus, qui plurima à Deo beneficia recepit, omnium gentiũ ſuperet ingratitudinem. quod benè aduertit Ven. Abbas Petrus Cluniacenſis, S. Bernardo coætaneus: *Qui ab Eccleſia Chriſti ſacrificium tollere conantur, hoc tentant, dæmone ſuggerente, vt gens illa, quæ pluribus eſt à Deo cumulata beneficijs, minùs grata illi ſit, minoremq́ cultum & honorem illi exhibeat.*

Iren. l. 5. c. 25. Hilar. & Auctor imperf. ſuper Matt. 24. nec diſſentiunt Hier. & Beda. Dan. 8. 11. & 12.

Petr. Clun. contra Petrobruſianos.

Sed miſſos faciamus eos homines, qui hæreticã prauitate decepti ſomnia vana ſectantur, & craſſos quotidie errores parturiunt. Nec enim cum

illis

istis ex proposito disputamus: volumus tantùm fideles certiores esse, ne seducti hallucinentur. Omnes porrò Catholici, constanter fateri debent, esse in Ecclesia proprium, verum, & excellentissimum sacrificium, quod Deo æterno per manus Sacerdotū offertur, qui ministri sunt Christi, summi Sacerdotis atque Pontificis maximi: sic enim id Ecclesia intellexit iam inde à temporibus Apostolorum, & sancti Doctores idem docuerunt; ac determinatum est & stabilitum Concilijs multis, ac præsertim Tridentino: *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quòd offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Adeò vt Missa, quam celebramus, vnicum sit & sanctissimum sacrificium noui Testamenti: quod à Christo institutum est, nō quando in cruce se obtulit; (quippe cruentū fuit istud sacrificium, dolori, plagis & mortalitati obnoxiū: qua ratione semel tantū oblatus est) sed in cœna vltima, cùm Corpus & Sanguinem sub panis & vini accidentibus collocauit: tunc enim se non solùm Discipulis in animarum dedit alimentum, sed & Deo Patri in sacrificium obtulit incruentū, suosque legit Sacerdotes, & potestatem dedit atque facultatem, vt idem ipsi & successores offerrent, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Itaque duo manent certa & confirmata: vnum, quòd in Ecclesia Christiana sit verum ac proprium sacrificium: alterum, quòd illud solùm in Missa offeratur. cuius modò varia excellentia declaranda est.

Cōc. Trid. sess. 22. cap 1. & can. 1.

Missa est sacrificiū noui Testamenti.

CAPVT II.

Hanc vocem, Missa, ab Apostolis impositam esse, vnde & semper hac Ecclesiam vsam fuisse: de eiusdem item declaratione & etymologia.

§. I.

HÆretici, non tantùm negant, & ex Ecclesia SS. Missæ sacrificium eradicare contendunt; sed & ipsi voci seu nomini, dum id audire nolunt, bella indicunt. Atque ita ore sacrilego ausi sunt despuere, Missam esse à Papa & sequacibus eius adinuentam. Quin impijssimus Lutherus, signifer huiusce maledictæ factionis, inscripsit librum *de abroganda Missa* (talis titulus qualis liber, talis liber qualis auctor) atque hoc nefario scripto rem optimam & sanctissimam tollere conatus est. Etenim licet non intendam, & ab huius Tractatûs stylo alienum sit cũ hæreticis disceptare (quod ad Scholasticam Theologiam spectat, & quod multi auctores grauissimi hac ætate cum laude fecerunt) verùm, vt Catholici roborentur in fide, & agnoscant perfrictam hæreticorum frontem, qui innumera congerunt mendacia, & somnia sine mensura vendunt, nec verentur omnem tueri falsitatem veritate proscripta, nos hîc Laconicè veritatem asseremus.

Castro de hæres. Ver. Missa. Stanisca de Vera relig. Sebast. Onom tit. de sacrific. noui Test. Bellarm. tom. 2. lib. 1. §. 2. de Miss. Suarez to. 3. disput. 74. Enriquez lib. 9. de Missa.

Sciendum itaque, non solùm Missæ sacrificium à Christo institutum fuisse, quod generatim om-

nes

nes Sancti affirmant, & efficaciter Scriptores allegati persequuntur; sed & ipsâ vocem, *Missa*, ab Apostolis impositam, & iam inde in Ecclesia semper perseuerâsse.

Qui primus à Christi in cælos Assumptione, etiamnum congregatis Apostolis, celebrauit, Iacobus Minor fuisse creditur, frater Domini nuncupatus propter affinitatem, & quia facie Christo & sanctitate esset simillimus. Etsi verò Petrus foret princeps Apostolorum, voluit tamen isto munere decoratum esse Iacobum, quòd Hierosolymorum esset Antistes, & ei prouinciæ delegatus, in quâ prima Ecclesia erecta fuisset. fertur etiam in cœnaculo celebrâsse, in quo Christus cum Discipulis, & in quod Spiritus sanctus descendit. In qua Missa omnes Apostoli ac Discipuli accepisse Communionem dicuntur, ipsaque Virgo sanctissima primùm in Sacramento Filium immortalem, quem antè in visceribus suis carne vestierat mortali. Idem ille Apostolus, propriam formam & officium celebrandæ Missæ instituit, nomenque ipsum indidit, teste Baronio in Annalibus, vbi de cœna Domini tractat. Porrò de hac Liturgiâ seu Missâ, quam composuit D. Iacobus, mentionem facit sexta Synodus generalis *can.* 32. & S. Proclus Episcopus Byzantinus. Nomen hoc postmodum iterando celebrauit S. Cyrillus item Hierosolymitanus, officiumque prædecessoris sui Apostoli ampliauit.

Primus omnium celebrauit S. Iacobus Minor.

Bar. Ann. Eccles. ann. 34.

Ab Apostolis omnes hoc nomine Missa, vsi fuerunt.

Cyrill. in Catec. Mystag. 5.

S. Clemens, Papa & Martyr, discipulus Petri, & ab eodem in Pontificem creatus, in quadam epistolâ præcipit, ne Clerici & Presbyteri ali-

Clem. ep. 3.

aliquid vllo modo ſine Epiſcopi auctoritate moliantur: *Nec Miſſas ſine eius conſenſu celebrent.* Et paulò pòſt: *In alijs locis, ſacrificare, & Miſſas celebrare non licet; niſi in his in quibus proprius Epiſcopus iuſſerit.*

Abdias l. 7 Hiſtor. Apoſtol.

Abdias Epiſcopus Babyloniorum, per Apoſtolos ordinatus (qui à ſe aſſerit Chriſtum in carne viſum) in Hiſtoria Apoſtolica affirmat, S. Matthæum martyrio fuiſſe affectum *poſt myſteria Domini celebrata, & Miſſam Eccleſiæ dictam.*

Alex ep. 1. Teleſph. in epiſt. ad omnes Chriſti fideles. Felix Papa epiſt. 2. Euariſtus c. Omnes, de Conſ. diſt. in 1. Cyprian. ep. ad Cæcil. Ambr. l. 1. epiſt. 33. Grego l. 1. ep. 12. & l. 4 ep. 10. Leo ep. 8. Conc. Carth. 2. can. 3. Cart. 4. cap. 84. Mileuit. can. 12. Vaſenſe, can. 3. 4. Agathenſe can. 21. & 47.

Alexander inde Papa à Petro, VI. anno CXXI. epiſt. 1. ad fideles ita ait: *Inter Miſſarum ſolemnia, ſemper paſſio Domini miſcenda eſt, vt eius, cuius Corpus & Sanguis conficitur, paſſio celebretur.*

Teleſphorus Alexandrum excepit, qui ſic ad vniuerſos Chriſtianos: *Miſſæ, ab hora diei tertia ſunt celebrandæ, quia ea hora Dominus crucifixus eſt, & ſuper Apoſtolos Spiritus S. deſcendiſſe legitur.* atque ibidem inſtituit, *vt in Miſſa hymnus Angelicus dicatur: & quòd tres Miſſæ in nocte Natiuitatis Domini celebrentur.*

Hæc omnia in naſcentis Eccleſię exordio, & prima ætate ordinata ſunt, quæ & modò poſt tot ſęculorũ decurſus ſarta tecta conſeruantur: atq; ipſi ſancti Patres & Concilia, quandocunq; de ſacrificio mentio habita eſt, Miſſę vocabulũ vſurpârunt.

Felix quidem primus mandat, vt in Martyrum commemorationem Miſſæ celebrentur. Euariſtus, vt Eccleſiæ poſt Miſſarum ſolemnia conſecrentur; quod & ab Hyginio præceptum eſt. Eadem voce ſæpiùs vtuntur SS. Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Leo Papa: item Concilium Carthaginenſe, Mileuitanum, Vaſenſe, Agathenſe, & plurima alia.

§. II.

§. II.

Svpposito igitur hanc vocem, Missa, esse antiquissimam, & ad nos per Apostolorum traditionem deuenisse, significationem eiusdem & etymologiam oportet declaremus, vnde definitio, & varia Missæ excellentia possit intelligi. etenim pluribus omissis, duas tantùm significationes adferemus, quæ momentum & pondus habent, & multorum auctoritate fundantur.

Declaratur nomẽ Missæ.

Prima, quòd Missa nomen deriuetur à verbo mitto: nam in hoc sacrificio mittit Vnigenitum suum Deus Pater, vt eundem sibi offeramus. sicut enim antè misit, vt homo fieret & pro hominibus offerretur (quod ipse testatur: *misit me viuens Pater*) ita & hîc mittit, vt sub Sacramenti speciebus, sacrificio offeratur incruento: atque Ecclesia sancta Patri illum æterno offerens remittit. Hanc rationem adducit his verbis Doctor sanctus: *Propter hoc Missa nominatur, quia Sacerdos per Angelum preces ad Deum mittit, & populus per Sacerdotem. Vel quia Christus est hostia nobis missa à Deo: vnde & in fine Missæ Diaconus populum licentiat, dicens: Ite, Missa est: scilicet hostia missa est ad Deum, vt illi sit accepta.* Idem Hugo de S. Victore, Innocentius III. S Bonauentura, Lindanus, Bellarminus, &c.

Missa à mittendo.

Ioan. 6.

S. Tho. 3. p. q. 83. a. 4. ad 9.

Hug. de S. Vict. l. 2. de Sacra. p. 8. cap. 14.

Innoc. lib. 3. de myst. Missæ c. 14.

Bonauent. opus. de myst. Missæ

Lind. l. 4. Panop. c. 3.

Bell. l. 1. de Miss. c. 1.

Altera declaratio: Missa vocabulum est Hebraicũ. ita expressum in Deuteronomio, vt *Missach* legatur, id est oblatio voluntaria: dicit enim Scriptura, vulgatâ translatione: *Celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam.* loco huius, *oblatio spontanea*, Missach est in Hebræo.

Deut. 16.

Missa à Missach,

Hæc

Conc. Senon. in decr. fidei c. 11. Claud. de Saint. in præfat. ad Græc. Liturgias. Pamel. in præfat. ad Latin. & in Scholijs Tert. lib. de orat. in prin. Democh. tra. 2. & 4. de sacrific. Missæ. Baron. an. 34.

Hæc explicatio, magni æstimanda est: nec solùm recipit illam Concilium Senonense, sed & alij grauissimi Auctores commendant, Pamelius, Claudius, Tertullianus, Demochares: & Cardinalis Baronius certò existimat ab Apostolis hoc nomen ex fonte Hebraicarum literarũ desumptum esse: & quòd ab illis receperit Ecclesia Latina, & hactenus conseruarit. atque hoc valdè probabile reddit, ab Apostolis, priusquam Latinè Missa celebraretur, vocem hanc fuisse vsurpatam. Et hoc verisimiliter probari potest, quòd nomen sit Hebræum, & oblationem significet voluntariam, quę Deo in gratiarum actionem offeratur, potissimè quia populum suum de seruitute asseruerit in libertatem: illa enim erat oblatio spontanea, de qua per Missach in sacris mentio habetur.

Deut. 16. Isai. 53.

Quod sanctissimo Missæ sacrificio conuenire quis non intelligat? nam in hoc Vnigenitus offertur Deo Patri, qui vt ait Isaias: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Quin ipse Christus, cùm vndique insidijs appeteretur, admonuit Iudæos, ne tam solicitè se obsiderent, quia moriturus non esset, donec voluntatem assumeret moriendi: *Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam; nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem iterum sumendi eam.* Ex parte etiam hominum, oblatio est voluntaria; nam liberè eam Deo offerunt, vt grati sint acceptis beneficijs: quorum præcipuum est, generis humani redemptio, quæ in diuino hoc sacrificio repræsentatur.

Ioan. 10.

Vtraque hæc etymologia, magni est ponderis, multæque auctoritatis: vnde ex qualibet deduci

potest

potest id, quod sacrificij excellentiam manifestare queat.

CAPVT III.

Missam esse legationem ad Sanctißimam Trinitatem, nomine totius generis humani, de negotijs spectantibus ad salutem vniuersi.

MIssa, in se tam alta, tamque diuina mysteria comprehendit, vt vnâ definitione intelligi nullo modo possint: vnde, vt declaremus quid sit Missa, vtendum est ea ratione, quæ in declarandis rebus immensis & infinitis adhibetur: quæ enim declarari solent per multas variasque descriptiones, vt illæ simul iunctæ manifestent, quod per se vna non potest.

Sit ergo prima descriptio, ex primo Missæ etymo desumpta: Missa est legatio, quam genus humanum instituit ad Sanctissimam Trinitatem, id est ad Deum viuum & verum, per Sacerdotem tanquam legatum, vt negotia tractet maximè seria, & quibus maiora esse non possunt. Singulas partes declaremus. Primò, legationem esse ad Sanctissimam Trinitatem, clarum est: quia soli Deo tale, quale hîc, sacrificium potest offerri. vnde excluditur omnis creatura, & ipsa Virgo Mater, quæ cæteras dignitate excellit. sic dicit Sacerdos, vbi ipsum incipit, *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, &c.* & in Canone: *Tibiq; reddunt vota sua æterno Deo viuo & vero.* Quòd verò hanc legationem

Prima definitio, quòd Missa sit legatio.

nem

Hāc legationē, dat totum genus humanum. nem det genus humanū, siue Ecclesia Catholica idem Sacerdos dicit item in Canone: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ* (*Oblatio seruitutis nostræ*) id est, quam offerimus nos Sacerdotes, qui speciatim serui tui sumus, tuo cultui & obsequijs mancipati: & hoc offerimus sacrificium, vt seruitutis nostræ & subiectioni aliquod testimonium demus: nec tantùm est oblatio nostra, qui tanquam ministri eam offerimus *sed & cunctæ familiæ tuæ*, id est, totius Ecclesiæ Catholicæ, omniumque Fidelium, qui per manus nostras & ministerium, hanc offerunt, & quorum nomine eandem tibi offerimus. atque idem repetit iam consecraturus. *Vnde & memores nos serui tui sed & plebs tua sancta, &c.*

Idemque declarat Concilium Trident. vbi ait *Conc. Trid. sess. 22. c. 6.* *Missæ verò omnes quantumuis priuatim dicantur, communes censeri debent: eò quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur.*

Doctrina denique est certissima omnium Sanctorum, atque Theologorum, quòd Missa dicatur nomine Ecclesiæ totiusque populi Christiani: nec tantùm fidelium, qui in terris peregrinantur, sed & eorum qui in igne purgatorio cruciantur: cùm & hi fructum inde percipiant, & tali prorsus indigeant sacrificio. simul ergo & viui ac defuncti, Sacerdoti dant legationem, vt cum Deo de negotiis suis maximis colloquatur.

Missa etiā offertur nomine Sanctorū Porrò maioris est momēti, quòd Sacerdos nō solùm legationē obeat pro Ecclesia militante, verùm etiam pro ea, quā Sancti in cælis triumphante

em & gloriosam constituunt. nam & h. fructum aliquem ex Missa decerpunt: quamuis verò non proficiat illis ad peccatorum remissionem, quam perfectam adepti sunt, nec ad beneficiorum augmentum, qui maxima quæq; obtinent, & ijs quæ illo modo desiderari possent, fruuntur: proficit tamen ad honorem & gloriam accidentalem, vtq; cumulatior sit gratiarum actio, quam assiduè pro beneficijs perceptis Deo rependunt: quod procul dubio gratum acceptumque est: semper enim se beneficiorum vinculis constrictos agnoscunt, & quòd satisfacere nunquam possint. Atque hoc significat Ecclesia, cùm dicit se offerre sacrificium *ad honorem sacratissimæ Virginis Mariæ & sanctorum Apostolorum,* &c. & subiungit: *Et istorum & omnium sanctorum, vt illis proficiat ad honorem,* &c. Enimverò negotia, de quibus in hac legatione tractandũ est Sacerdoti, sunt grauissima, & quibus maiora esse non possunt: tractat quippe de subiectione & obedientia, quam creatori omnis debet creatura: de maiestate & dominio, quod idem Dominus in omnia habet: in cuius agnitionem grande tributum pendere velit mundus, & ditissimum offerre munus. gratias item immensas agere pro beneficijs acceptis, & veniam petere delictorum: beneficia postulare, omnibusque laboribus solatium: gratiam denique exorare & fauorem, vt æternæ felicitatis portum obtinere possit. quæ grauissima & maxima, negare nullus ausit.

Negotia, quæ in Missa tractantur, sunt grauissima.

Vnde, oportet, consideremus, quantam in altari auctoritatem habeat Sacerdos, quem repræsentet, & quàm seria negotietur. Est etenim velut

Quantæ auctoritatis sit Sacerdos in altari.

procurator totius generis humani, &, vt ait Chrysostomus, *Quasi communis quidam totius orbis Pater, est Sacerdos. Dignum igitur est, vt omnium curam agat, omnibusq; prouideat, sicut & Deus, cuius fungitur vice.* atque alibi: *Medius stat Sacerdos inter Deum & naturam humanam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens: Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus.* Et S. Hieronymus affirmat, quòd ideo Sacerdos sit Domini Angelus: quia nuntius nempe & legatus, qui hominum supplicationes Deo exhibet, iterumque hominibus Dei mandata refert. Laurentius item Iustinianus sic asserit: *Sacerdos dum celebrat, mediatoris gerit officium, propterea delinquentium omnium debet esse precator.*

Chrys. hom. 6. sup. 1. Timo. 2.
Hom. 5. in c. 6 Isaiæ.
Hier. sup. Malach. 1.
Laur. Iust. in ser. de Christi corpore.

Idem Apostolus legationis munus sibi cæterisque Sacerdotibus attribuit dicendo: *Pro Christo legatione fungimur.* Christus nimirum legatus fuit principalis, quem genus humanum intercessorem & patronum constituit, pro remissione peccatorum cæterisque beneficijs, quæ necessaria forent, obtinendis: quo munere nunc Sacerdotes fungũtur. Ex hac ratione colligunt Sancti, quare Sacerdos in veteri Testamento suis vestimentis mundum depictum gesserit. quod & Spiritus sanctus testatur: *In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Nam (vt bene aduertit S. Hieronymus & Glossa Ordinaria) in coloribus, materia & qualitate vestium Sacerdotalium, elementa significabantur, ex quibus mundus hic sublunaris cõponitur; orbes item cælestes cum astris suis ac planetis vsque ad cælum empyreum, quod curia est beato-

2. Cor. 5.
Sap. 18.
Hier. epist. ad Fabiol.
Glossa ord. Sap. 18.

eatorum Spirituum.& habitatio Sanctorum La-
ina verò aurea, quam fronte gestabat (in qua
criptum erat nomen Dei ineffabile) eundem Do-
inum significabat, & creatorem vniuersi: qui,
elut supremus Monarcha, omni præsidet Hierar-
hiæ cælesti ac terrenæ. Quod suâ maiestate de-
otat Sacerdos, sacris ornamentis decoratus; qui
nta celebrat mysteria, vt legatus & procurator
otius orbis terrarum. Hæc consideratio ex primâ
Iissæ significatione desumpta est; quam legatio-
em esse, seu rem missam, declarauimus.

CAPVT IV.

Missam, esse repræsentationem omnium mysteriorum Christi, tam viuam & perfectam, vt in ea mirabiliter illa renouentur, suosq́ iterum effectus sortiantur.

ALTERA Missæ definitio sit ista: *Missa est viua & perfectissima repræsentatio omnium mysteriorum Iesu Christi Domini nostri, incarnationis & natiuitatis, totiusq́ vitæ sanctissimæ, sacratissimæ passionis & mortis, gloriosæ resurrectionis, atque admirabilis ascensionis.* Quæ tam viuè ac propriè in Missa exhibentur, vt ipse Dei filius præsens assistat, & suam gerens figuram, & personam repræsentans, per se ipse tam alta tamque diuina mysteria operetur. Res veneratione digna est, & altiùs pertractanda intellectu.

Missa est viua repræsentatio mysteriorum Christi.

§. I.

Solus Christus, est supremus & principalis Sacerdos noui Testamenti.

Christus solus operatur effectum Sacramentorum, vt causa principalis.

VT hoc meliùs intelligatur; Nota cum Theologis, & crede, quòd Christus sit summus Pontifex & Sacerdos, qui per se realiter & efficienter effectum omnium Sacramentorum operatur: & ita, quamuis Sacerdos dicat, *Ego te baptizo* Christus tamen est, qui velut causa principalis efficiens, animam à peccati labe expurgat. quamuis item dicat Sacerdos, *Ego te absoluo*: Christus est qui absoluit, & ministro Sacerdote ac mediate actione Sacramentali, flagitiorum maculas expungit. Ac magis particulariter in sanctissimo Eucharistię mysterio, Christus est, qui tam mirabilem transsubstantiationem panis in Corpus, vini in Sanguinem, operatur: Sacerdos verò instrumentum duntaxat & minister, qui verba pronuntiat in nomine ac personâ eiusdem Christi sic cùm ait: *Accepit panem in sanctas & venerabiles manus*, ipse in manus accipit peccatrices: & licet dicat, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, non fit conuersio in corpus & sanguinem Sacerdotis, sed in Corpus & Sanguinem Christi. Idcircò affirmant expresse sancti Doctores, quòd Christus per se tanta mysteria operatur & sacrificium offert, etsi ministerio Sacerdotis. Ita S. Chrysostomus: *Non sunt humanæ virtutis opera hæc: qui tunc illa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit; nos ministrorum tantùm tenemus locum: qui verò sanctificat & immutat ea, ipse est.* atque iterum:

Chrysost. hom. 83. in Matth.

tum : *Tu laice, cùm videris Sacerdotem offerentem, ne existimes ipsum hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam.*

S. Ambrosius, 1. Officiorum : *In nostro sacrificio, Christus ipse se offert quasi homo, quasi recipiens passionem, velut Sacerdos noster, vt nostra peccata dimittat.* Idem in Concilio Tridentino dicitur, quòd idem Christus, qui in cœna, & cruce, se obtulit Deo Patri in sacrificium, ministerio Sacerdotis offeratur in altari : atque ob hanc rationem in Psalmis vocatur *Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.* Nec rectè diceretur *Sacerdos in æternum*; si vnis tantùm vicibus sacrificium obtulisset: sed talis vocatur, qui per Sacerdotes semper offert sacrificium, quod oblaturus est, quamdiu finis non erit mundo. *Ambros. 1. Off. c. 48.* *Cõc. Trid. sess. 22. c. 1. & 3.* *Psal. 109.* Cur Christus Sacerdos æternus.

Quinimò, vt magis propriè loquamur, solus ipse vnicus est & principalis Sacerdos : nos verò quamuis vocemur & simus verè Sacerdotes; vicarij tamen duntaxat & instrumenta illius sumus; non successores in Sacerdotio, sed ministri, qui nomine eius sacrificia offerimus, cùm ipse solus sit offerens & principalis.

Ex his intelligetur locus Apostoli, difficilis & scrupulosus, qui ad Hebræos dicit, quod in lege antiquâ *plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere : hic autem* (Christus in lege nouâ) *eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Vnde non est necessarium, vt plures sint, sicut reuerâ tantùm vnus est, qui velut causa principalis & propriâ suâ auctoritate sacra mysteria celebrat, & diuinum offert sacrificium. *ad Heb. 7.* Locus difficilis Apostoli explicatus.

 crificium.

crificium. Hinc patet differentia, quòd olim fi-
lij, qui post mortem parentum Sacerdotali mini-
sterio fungebantur, non ipsorum erant ministri
sed successores, illudque eadem, quâ patres, au-
ctoritate exercebant: nunc verò in lege grati-
Christus solus est principalis Sacerdos, qui sem-
per offert sacrificium, vbi vult & quandocunque
vult, offeratur. Cæteri qui eodem nomine & offi-
cio gaudemus, non sumus Christi successores, ne-
id nostro nomine obimus, nec eâdem, quâ ille
auctoritate: sed tantùm velut instrumenta & mi-
nistri. Vnde & dicit ibidem Concilium Trident.
quamuis Sacerdos malus sit & peccator, non
posse deminui valorem & efficaciam sacrificij.
Nam id ratione principalis offerentis, non instru-
menti, semper gratum æquè acceptumque est:
quod facilè in exemplo declaratur.

Sacerdos malus, nõ minuit sacrificij virtutem.

Si Princeps aliquis, ditem eleemosynam ero-
garet, & hanc quidem per quæstorem suum: qui
licet sceleratus sit & inuitè ac ægro animo ean-
dem distribuat: nihil tamen illa meriti perdit aut
virtutis; nam hoc æstimari debet ex Principis,
non alienâ voluntate. Prorsus ita se hîc res habet:
nos enim, quantumuis peruersi ac maligni, mi-
nuere efficaciam Sacramentorum, quia ministri,
non possumus; Christus quippe principaliter
operatur, in cuius ipsi nomine celebramus.



§. II.

§. II.

Excellentissimum est priuilegium noui Testamenti, pro principali Sacerdote atque Pontifice Christum haberi.

HOc si benè expendamus, inueniemus rationem priuilegij excellentissimi, nobis talem esse Pontificem qui mysteria nouæ legis cõsecret & perficiat. quod grauiter animaduertit Apostolus dicens: *Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.* *Ad Hebr. 7.*

Te Domine, laudent omnes creaturæ: voluisti enim adeò nos honorare & extollere, vt pro Sacerdote nostro & Pontifice, non minorem dederis quàm Vnigenitum tuum: nos quoque eius ministros elegeris, vt tam diuina mysteria conderentur.

Verumenimuerò aduerte, quòd Christus Dominus, non solùm dicatur vnicus & summus Sacerdos, atque principalis offerens in hisce mysterijs, quia Sacerdotes offerunt duntaxat eius nomine & auctoritate, & tanquam ministri: (quamuis id sufficere posset certâ ratione) sed etiã aliam ob causam longè excellentiorem & admirabiliorem: quia nimirum Christus realiter & verè vbique & toties assistit, quoties hæc diuina celebrãtur: & concurrit, velut causa principalis, realis & efficiens, ad operandum mediante Sacerdote

tanquam instrumento & ministro. Quod maximè sanctorum mysteriorum dignitatem amplificat: atque hoc modo, propriissimè verificatur de Christo, quòd Sacerdos sit in æternum: quia toties quoties in Ecclesia sacrificium offertur, ipse per se offerat, veluti causa principalis.

In Missa renouantur & repetuntur omnia mysteria Christi.

Hinc etiam procedit, quia repræsentatio, quæ in Missa fit, mysteriorum Christi tam est propria, tam viua & naturalis; vt multi Sancti non tantùm asseruerint Missam esse repræsentationem omniũ mysteriorum Christi; verùm etiam reperi omnia, & de facto in ea iterum impleri.

Greg. hom. 37. in Euan.

S. Gregorius: *Christus*, inquit, *qui in se resurgens à mortuis, iam non moritur, adhuc per sacram hostiam, in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.*

Cypr. l. 2. ep. 3. ad Caecilium.

Sanctus verò Cyprianus: *Paßio Domini est sacrificium ipsum quod offerimus, & ideo nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus.*

Mart. in ep. ad Burdeg. c. 3.

S. Martialis vnus è 72. & S. Petri comes, ita dicit: *Quod Iudæi per inuidiam & odium immolauerunt, putantes se Christi nomen à terra abolere; hoc ipsum nos, causa salutis nostræ in arâ sanctificatâ perficimus: scientes hoc solo remedio, nobis vitam præstandam & mortem effugiendam: hoc enim ipse Dominus iußit nos agere in sui cõmemorationem.*

Laur. Iust. serm. de Christ. Corp.

S. Laurentius Iustinianus: *Christi * paßionis & humanæ redemptionis mysteria in Missa mysticè celebrantur: hoc ipsum Domino efflagitante, qui ait: Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Sancta

Sancta denique Ecclesia, in quadam oratione secreta: *Quoties enim huius hostiæ commemoratio celebratur, toties opus nostræ salutis exercetur.* non dicit: *Repræsentatur opus nostræ salutis,* sed *exercetur*: & idem omnes supradicti affirmant.

§. III.

Totam Christi vitam, vnam tantùm Missam fuisse.

ETenim si rem altiùs inspiciamus, dicemus totam Christi vitam, donec expirauit in cruce, vnam tantùm Missam fuisse.

In visceribus sacratissimæ Virginis, tanquam cælesti diuinoque sacrario, carne se Christus humana vestiuit, quæ *Pontificale* erat, & ornamentum, quo sacrificium offerre conueniebat: vnde venit præcinctus fortitudine, & *exultauit vt gigas ad currendam viam* nostræ liberationis. Atque totius iste vitæ decursus fuit, assidua quædam præparatio sacrificio offerendo præmissa: adeò vt pedem nullum figeret, qui non ad eum finem dirigeretur, sicut ipse significat: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Balneum in sanguine meo constituendum est, cùm offerar in sacrificium, illumque in altari crucis effundam: tanto verò operis huius perficiendi desiderio teneor, vt corde magnis stringar angustijs, donec impleatur. Septemdecim horas quibus passio omnis perfecta est, ab eâ qua mirabili in agone constitutus sanguineo sudore manauit, vsque ad mortem quam in cruce pertu-

Psalm. 18.

Luc. 12.

pertulit, omne id spatium in sacrificij oblatione tardauit. Tres horas, quibus cruci fuit affixus, acutissimis certans doloribus, & ardentissimo nostri ardore inflammatus, illas, inquam, horas impendit, vt diuinum illud holocaustum, tamque admirabilem Missam perficeret, diceretque post fel & acetum, *Ite Missa est*, nempe iam, *Consummatum est*: quâ voce emissa prono capite exspirauit.

Hæc tam grandia, tam diuina & immensa repræsentamus ad viuum, aut potiùs celebramus, repetimus, & mysticè exercemus. Atque hoc propriè Missa nominatur.

§. IV.

Eandem in Missa cœnam renouari, quam cum Discipulis Christus celebrauit.

QVia sacrum Eucharistiæ mysterium, non tantùm est sacrificium, quod Deo Patri offertur, verùm etiam Sacramentum, & cibus, qui in animorum refectionem præparatur; definitio allata restringi potest, & vni tantùm mysterio applicari. Quod fiet, si ita dicamus: Missa est realiter cœnam instituere, quam cum Discipulis Christus, passionis nocte celebrauit; & est cum illo mensæ accũbere, de eius manu sacratissimâ Corpus & Sanguinem sumere. Nec id per modũ repræsentationis aut figuræ, sed propriè, realiter & verè, tanquam si medius inter Apostolos Dominus consideret: nec enim ibi deest Apostolorum congregatio, vbi adest Magistri personalis exhibitio:

hibitio: & quemadmodum tunc summo affectu Corpus & Sanguinem consecrans, fidelibus erogauit, eadem omninò ratione idem hic quotidiè operatur. Vnde S. Chrysostomus. *Hæc est illa mensa, & minus nihil habet: non enim illam Christus, hanc verò homo perficit; verùm hanc ipse quoque.* Eadem prorsus mensa, idem conuiuium, idem Dominus qui tunc se Apostolis communicauit, & modò fidelibus communicatur. *Chrysost. hom. 83. in Matth.*

Hinc etiam notandum est, quod in calicis consecratione proferimus: *Simili modo, posteaquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem.* Idem iste calix, quem Dominus bibendum Apostolis propinauit. Non intellige eundem ex argento calicem, quia in hoc est diuersus, & id parum interest: sed calix accipitur pro potu, qui illo continetur: sicut aliquis bibisse amphoram dicitur, non per se amphoram, sed vinum eâ contentum. Atque ita dicitur idem esse calix; quia calix, non vinum, manibus potest apprehendi. Quia verò id quod inest calici, cùm eum nos accipimus, idem est in specie cum illo quod inerat calici cùm eum in manus suas Christus acciperet, id est, vinum vitis: & quod posteà in potum datur, idem est non tantùm specie, sed & numero, hoc est *Sanguis Domini nostri Iesu Christi*; ideò rectè & verè dicitur, quòd eundem calicem Christus accepit: & sicut tunc consecrauit, ita & nunc consecrans ad bibendum propinat: *Accipite & bibite ex eo omnes.* *Quî intelligatur calicem quem cõsecramus, eundem esse cum eo quem Christus accepit.*

Sic D. Gregorius: *Calix quem Sacerdos Catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse quem Dominus Apostolis tradidit: quia licet multis locis, & innumeris diebus conse-* *Greg. in hõ. Pasch. & refert in c. Quid sit sanguis de cons. dist. 2.*

consecretur corpus Christi, non sunt multa corpora Christi: ita non sunt multi calices, sed vnum corpus Christi & vnus sanguis, cum illo, quod sumpsit in vtero Virginis, & quod dedit Apostolis.

Si ergo ipse idem est Dominus qui inuitat, & suâ manu cibũ erogat: si ipse cibus est qui comeditur, & ipse potus qui bibitur: si eadem intentio, idem finis, ad quem omnia diriguntur; cur non eadem sit cœna, idemque conuiuium? Proinde cùm cœnasset cum Discipulis Christus, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* non dixit, Repræsentate hoc: nec aliam rem similem facite, quæ hanc significet: sed *hoc* (idem) *facite in meam commemorationem.* Profectò omnes eum Angeli collaudent, quòd talem ac tantam amoris reliquerit testationem.

CAPVT V.

Declaratur quòd Missa sit verum & proprium sacrificium, tam perfectum tamque excellens, vt idem omninò sit eiusdemque ponderis ac virtutis, cum eo, quod in cruce Dominus immolauit.

ALIAM Missæ definitionem licet colligere ex secundâ eiusdẽ significatione; quâ dicebamus accipi pro voluntariâ oblatione, quæ Deo offerretur. Etenim si conformiter huic significationi loquamur, dicemus: Missa est sacrificium, quod

quod

quod Deo vero offertur, excellentissimum acceptissimumque, quod posset vnquam offerri. Hæc est definitio magis propria & essentialis: nam quę cunque dicta sunt, & dici possent, in oblatione diuini illius sacrificij, cùm Deo ad finem requisitum offertur, perficiuntur. Porrò hoc proprium munus Sacerdoti incumbit: & ad id particulariter potestatem accipit & Ordinem Sacerdotalem, atque animo eius character imprimitur spiritalis, vt in Missa Deo immolet sacrificium admirandum: ideoque rationem sacrificij diligentiùs inquiramus, quantum permittet breuitas quam sectamur, & stilus quem planum volumus & dilucidum: altiores verò & Scholasticas considerationes, Theologis relinquemus.

Missa est excellentissimum sacrificiũ.

§. I.

PRo quo sciendum, quòd statim in mundi principio, videns Deus vnius hominis temeritate totam posteritatem esse damnatã, & nepotes eius filios iræ ac perditionis nascituros; ad pietatem se conuertit, tantum volens resarcire detrimentum eâ ratione, quæ miseris tum commodo esset, tum honori: idque per sacrificium, quod homines maximi valoris offerrent, quòdque in rigore iustitiæ veniam mereretur peccati, Deum placaret & beneficia cumulatissima deferret: vt scilicet non videretur impunis homo receptus in gratiam, sed per se, vt sibi ignosceretur, fuisse promeritus, sicut & flagitij reatum ipse contraxerat. Industriè id quidem excogitatum est: sed nec inter homines nec in creaturis erat, qui tale sacrificium posset offerre:

Deus peccatum ratione tũ vtili, tum honorificâ reparauit.

offerre: nam cùm ſcelere primi parentis rei eſſemus læſæ Maieſtatis; peccatum hoc, quia contra Deum, infinitam quodammodo continebat malitiam ac demeritum, quod aboleri nunquam poſſet, niſi per ſacrificium infinitæ virtutis ac meriti; hoc verò à creatis offerri non poterat, nedum ab hominibus, qui diuinam in ſe iram concitârant.

Inuentio valdè mira Deum eſſe hominem factum.

His ita conſtitutis, rationem ſalutis inuenit Dei Sapientia, amor ille cæleſtis (qui ab initio erga mortales beneuolus fuit, & qui ex ſe ingenioſus appellatur) ille, inquam, excellentiſſimam inuenit rationem, tamque inauditam, vt & ipſos Seraphicos ſpiritus in admirationẽ pertraxerit. Nempe determinatum eſt in concilio Sanctiſſimæ Trinitatis, vt vnigenitus Dei, fieret homo, & humanæ conſors naturæ cauſam noſtram vt frater aſſumeret, & Sacerdos factus ac procurator generis humani, quinimò velut fideiuſſor in ſe omne debitum transferret, & pro cunctis offerret ſacrificium, quod, quia ab homine oblatum, verum fuit ſacrificium, & quod mereri poſſet & ſatisfacere: præſertim cùm id veniret ex eâ parte, quæ neceſſitatem pateretur, & cuius ipſe procurator particeps eſſet naturæ. Cumque offerens Deus fuerit (nec enim is eſſe potuit vnquam deſinere) ſacrificium procul dubio fuit infiniti valoris, vt homines noxâ ſoluerentur, & Deo conciliati cæleſtis iterum dona gratiæ impetrarent.

Sacerdote ergo maximæ dignitatis, vtpote verò Dei filio, & re maximè ſeriâ exiſtentibus, conueniebat vt hoſtia ſeu victima, quæ offerretur, eiſdem proportione æqua eſſet. Porrò in creatis ta-

le

e nihil erat nec esse poterat: omnes quippe crea-
uræ erant infra dignitatem Christi Sacerdotis.
'nde clarum est, hostiam illam fuisse immolan-
am, quæ non minoris momenti foret, quàm as-
umpta humanitas: quæ, quia vnita Verbo diui-
o, omnia creata infinito valore excedebat, cùm-
ue esset vera natura humana, calamitatibus
nortique obnoxia; aptissima erat, quæ in sacrifi-
ium offerretur.

Non no-tuit melius esse sacrificium, quàm quòd seipsum Christus offerret.

Hoc mirabile commentum Deus inuenit, in
uo suam ostendit quàm maximè benignitatem,
t sapientiam, immensamque, quâ homines pro-
equitur, caritatem. Quod S. Augustinus luculen-
er his verbis declarat: *Quis tam iustus & sanctus Sa-
cerdos, quàm vnicus Filius Dei? Quid tam congruenter
fferretur pro hominibus, & ab hominibus, quàm caro? &
uid tam aptum huic immolationi, quàm caro morta-
is? quid tam mundum pro vitijs mortalium, quàm
aro nata ex vtero virginali? & quid tam gratè offerri &
uscipi potest, quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum
psius Sacerdotis nostri?*

Aug. lib. 4. de Trin. c. 14.

Fuit itaque Dei consilium, qui remedia sa-
utis humanæ vestigabat: quo habito, Sacerdos
cœpit esse Dei Filius, & sibi nostræ onus redem-
tionis imposuit, promisitque se in sacrificium
oblatum iri: exinde Patri æterno obtulit, quod in
tempore suo pro hominis liberatione offerret.
Quod sacrificium Paternæ Maiestati tam gra-
tum acceptumque fuit, vt huic omnem iram
condonârit, miseris gratiam fecerit, maxi-
mis denique beneficijs afflictos cumulârit: id-
que in virtute sacrificij quod pro his offerretur,

quod-

quodque oblatum iam erat, & receptum acceptatione diuina.

Quamuis verò omnia beneficia, quæ hominibus Deus fecit, respectu sacrificij immolandi conferrentur; voluit tamen Deus, vt ijdem homines ad receptionem beneficiorum pignus darent, vnde certus esse posset, iustum redemptionis pretium posteà esse persoluendum: id autē fuit oblatio victimarum, & his similium, quæ figura erant huius diuini sacrificij & quasi protestatio ea tunc recipi beneficia, quòd postmodum excellentissimum munus offerretur.

§. II.

Hinc euenit, vt adhuc primâ mundi ætate homines sancti diuina inspiratione sacrificarint: sic innocens Abel, optima gregis sui immo-
Gen. 4. lauit: cuius victimam respexit Dominus, & ignem misit de cælo, qui eam deuoraret: vt affirmat
Hier. qu. Hebr. S. Hieronymus. Noë item iustus, post tempesta-
Gen. 8. tem diluuij sedatam, *ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare: odoratusq́; est Dominus odorem suauitatis*, & asseruit cum iuramento, quòd terram
Gen. 9. aquis vltrà non destrueret. ait enim: *Hoc est signum fœderis inter me & vos: arcum meum ponam in nubibus cæli, & erit signum fœderis inter me & inter terram: cumq́; obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum.* Huius filius, magnus ille Melchisedec Sacerdos, mysticum panis & vini obtulit sacrificium; cuius è stirpe Abraham, sæpius altaria stru-

xisse & sacrificasse legitur. quod & Isaac & Iacob & Iob, ac plures alij Patriarchæ fecerunt. Deniq; cùm vellet Deus legem populo scribere; varias in sacrificando cærimonias commendauit: quæ ex se, certum est, accepta non fuisse, sed in quantum figuræ erant huius sacrificij, quod Vnigenitus Dei oblaturus esset.

Vnde notandum, quòd non sine ratione, vbi de sacrificijs in lege agitur, toties dicantur fuisse Deo *in odorem suauitatis*. Etenim in se fragrantiam nullam habebant, imò odorem admodum ingratum, sanguinem animalium occisorum, ventres adustos, viscera cremata. quo sensu per Isaiam Deus loquitur: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum, & hircorum nolui. Incensum abominatio est mihi, laboraui sustinens.* Sed in *odorem suauitatis* Deo fuisse dicuntur, quia vnicum & verum Filij sui sacrificium referrent, vt testatur Apostolus: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.*

Cur sacrificia antiqua dicebantur esse Deo in odorem suauitatis

Isai. 1.

Ephes. 5.

§. III.

CVm ergo tempus gratiæ affulgeret, quod rectè *plenitudo temporis* appellatur, & sese in sacrificium Christus obtulisset in cruce (quo in libertatem asseruit genus humanum) fundassetque Ecclesiã & confirmasset; minimè erat conueniẽs, vt noua hæc Respubl. quæ cæteras longissimè antecellit, nulla haberet sacrificia, quibus Deo benè merito litaret. Porrò vetera illa offerre, dignitati

Ad Gal. 4.

nouæ legis non congruebat. vnde Christus pridie, quàm cruenta victima offerretur, cœna Sacerdotali munus obiens *secundùm ordinem Melchisedec* (vt notat Concilium Tridentinum) instituit, vt perpetim in Ecclesia idem sacrificium offerretur, quod ipse oblaturus esset in cruce: nec tamen, vt ibi, cruentum, aut mortali concretum accidente, sed incruentum sub panis & vini specie delitescens: ita tamen, vt idem prorsus in substantia & essentia, atque omni eo quod essentiam consequeretur.

Seß. 22. c. 1.

Enimuerò, ne Sacerdotum indignitas & reatus valorem tanti sacrificij vlla ex parte posset minuere, sibi nomen & officium Sacerdotis æternùm vindicauit, voluitque per se, tanquam principalis Sacerdos, verè & realiter omnia Ecclesiæ sacrificia offerre: reliqui verò tantùm essent instrumenta & ministri, qui exteriori actione fungerentur. nos ergo sic in Missa Patri æterno idem offerimus sacrificium, quod in cruce Filius immolauit.

§. IV.

Idem est sacrificiũ quod in Missa, & quod in cruce oblatum.

DVm dicimus *idem sacrificium*, immensam quandam gratiarum & excellentiæ dicimus infinitatem: cùm enim idem sit, eandem habeat virtutem, idem meritum, tam sit acceptum Patri, quàm tunc, necesse est. Idem verò reale & essentiale esse sacrificium constat certissimò, quia eadem sit hostia, idem Sacerdos principalis, idem Deus cui ab hoc illa offertur, eadem causa ob quam offertur. sic definit Conc. Tridentinum: *Vna enim eademq́ est*

Seß. 22. c. 2.

est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ ratione offerendi diuersa. Nempe in cruce oblatus est Christus plagis & doloribus afflictus; in altari offertur panis & vini specie tectus, sine dolore & vulnere, sine vllâ passione mortalitatis. ibi per manus carnificum improborum; hîc per manus sanctorum Sacerdotum: sed eadem est sacrificij substantia & essentia. Quod & Sancti Patres clarè asseruerunt. Differunt accidente & modo offerendi.

S. Ambrosius: *Vnum est hoc nostrum sacrificium, cum eo quod Christus obtulit: Pontifex enim noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit; ipsam offerrimus & nunc, quæ tunc oblata est. hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem: non aliud sacrificium, sicut Pontifex olim offerebat, sed ipsum semper offerimus.* Amb. sup. Hebr. 10.

Eandem ibidem sententiam habet Chrysostomus, qui & alibi sic ait: *Sacra ipsa oblatio, cuiusuis meritis illam Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit ipse Christus discipulis suis: nihil habet ista quàm illa minùs, quia non hanc sanctificant homines, sed ipse Christus qui illam antè sacrauerat.* Chrys. sup. Hebr. 10. Idē hom. 2 sup. 2. ad Timoth.

Hanc ob causam toties Apostolus asserit, quòd aliud in Ecclesiâ sacrificium non habemus, quàm illud quod in cruce obtulit Christus: atque ita verum est, quòd hoc sufficiens omninò fuerit, nec altero indigeamus: nam idem in altari offerimus in immortalem memoriam, & quasi lustrum meritorum, quod ipse Christus commendauit. Quin etiam offertur, docente Concilio Tridentino: *Vt illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicetur.* Tantùm indigemus sacrificio Christi. Cōc. Trid. sess. 22. c. 1.

CAPVT VI.

De quatuor titulis & rationibus principalibus Deo sacrificandi: ad quæ omnia sacrificia antiqua reducuntur.

EX dictis infertur, quòd rectè dixerimus Missam sacrificium excellentissimum acceptissimumque, quod aliquando posset offerri: etenim idem est essentialiter cum eo, quod in cruce oblatum est, in hoc tamen diuersum, quòd alio modo, alijsque accidentibus offeratur. Et quamuis hîc (si rectè æstimes) omnis Missæ excellentia dicatur; quia tamen id benè intelligere multum interest, paulò fusiùs pertractabimus.

Aduertendum ergo est, quòd præter rationem allatam, ob quam voluit Deus vt sacrificia offerrentur, videlicet vt repræsentarent verum & perfectissimum sacrificium, quod pro libertate humanâ pòst offerretur (quâ ratione Missâ cæteras oblationes in immensum excedit, cũ non tantùm repræsentatio sit, sed ipsum redemptionis nostræ opus mysterijs plenum, & actualiter exercitum, vt diximus capite præcedenti) præter hanc rationem plures aliæ fuerunt, quibus homines de iure & lege naturali Deo sacrificare tenebantur, cùm id lumen naturæ & ratio dictaret, præteerea singulari à Deo instinctu mouerentur. illæ autem licet variæ, ex S. Thoma ab auctoribus colligantur, ad quatuor tamen potissimas reduci possunt.

> S. Thom. 1. 2. q. 102. & 2. 2. q. 85. Cyrill. & Rupert. sup. Leuit. Philo lib. de Victimis. Ioseph. l. 3. Ant. c. 13.

Prima quidem fuit, vt Dei maiestatem, excellen-

ſentiam & vniuerſale dominium, ipſum Regem Regum, cæli ac terræ conditorem agnoſcerent, atque vt tali penderent vectigal, id eſt honores decernerent, & veneratione proſequerentur. Præ hoc titulo holocauſta inſtituta ſunt, genus ſacrificij, in quo victima tota cremebatur, & conſumebatur igni, vt daretur intelligi, omne quod habet creatura, eſſe Dei, & totum eius cultui & gloriæ offerri debere.

Prima ratio ſacrificandi eſt, vt Dei Maieſtas agnoſcatur.

Quod ſi id cum rigore Deus exigeret, nec res humanas tanto amore & clementia gubernaret, iuſtè noſtram aliquorum vitam ſibi poſtularet offerri, peteretque hoſtias filiorum, & ea quæ cariſſima nobis & deſideratiſſima ſunt: nam omne id tanquam Domino & Creatori debetur. Vnde & in lege præſcripſit, vt primogeniti tam hominum, quàm animantium, ſibi offerrentur; quo poteſtas ſua & dominium in veneratione eſſet. hûc etiam facit crebra illa repetitio: *Mea enim ſunt omnia.*

Exod. 13.

Nunquid Abrahæ mandauit, vt filium ſuum offerret vnigenitum, quem viſceribus præferebat, & ſummo amore complectebatur? Sed pijſſimus Deus, qui in nullius delectatur perditione aut exitio, tale ſibi offerretur ſacrificium, nunquam conſenſit. ſatis erat obedientia Patriarchę, & illa animi promptitudo, quâ nō tantum filium, ſed & ſe ipſe morti deuouiſſet: ideoque ſubmiſit arietem, quem in filij locum immolârit. Fuit etiã contentus illâ cærimoniâ, quam in primogenitorum oblatione populus exercebat: nimirum teſtando eos eſſe Dei, ipſique deberi; quorum

Gen. 22.

Deus nunquam voluit hominem cruentè offerri.

Deus capiebat dominium, iterumque hi ad parentes deuoluebantur: nec vnquam humanum aliquod sacrificium legitur adamasse.

Ita asserunt Nazian. de Machab. Amb. l. 3. Off. c. 12. Hier. sup. Ier. 7. Augus. l. 7. quaest. in l. Iudicum. Iud. 12. Coloss. 2. 2. Cor. 5.

Vnde Auctores grauissimi Iephten arguunt temeritatis, quòd filiam, licet religionis titulo, immolarit. Vnigenitum suum voluit Deus sic offerri, quia vnus hic sufficeret pro omnium noxa auferenda, nec aliorum aliqua oblatio requireretur. Hinc Apostolus: *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus.* quae in nullo consequentia haberet effectum, nisi in Christo, cuius vita quàm caeterorum omnium, maioris erat aestimationis.

Psal. 105.

Hanc etiam ob causam daemon (sicut maximè honoris ambitu inflatur, & superbia magis magisque tumet, qui in ea sit opinione, quam ab initio, vt Deus habeatur, concepit) ab his quos in suum traxerat cultum, filios sibi filiasque postulauit offerri: & cùm sit hominum hostis teterrimus, permisit ac voluit, vt quorum odio flagrabat, eorum vel innocentium magna sibi multitudo offerretur, teste Psalmista: *Immolauerunt filios suos & filias suas daemonijs: & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.*

Secunda ratio est ad gratiarum actionem.

Secunda ratio est, vt pro acceptis beneficijs Deo debitae gratiarum actiones redderentur, daretur que symbolum aliquod gratitudinis, & loco tributi eorum, quae accepimus, nonnulla pars offerretur. Ita Salomon: *Quae de manu tuâ accepimus, dedimus tibi.* Tale verò sacrificium appellabatur

hostia

hoſtia pacifica, & ſacrificium laudis. in quo licet totum animal offerretur, non tamen integrè conſumebatur flammis; ſed viſcera duntaxat, & partes craſſiores, Sacerdotibus reliquum ac miniſtris ſeruabatur. vt ſcilicet ſignificaretur, bona quæ nobis à Deo dantur, illi deberi: ſed cùm in noſtram dederit vtilitatem, ipſum affectu & voluntate eſſe contentum, cætero vteremur.

Tertia eſt, vt criminum reatu homines ſoluerentur: quod ſacrificium propitiatorium nominabatur & hoſtia pro peccatis. quod genus olim commune erat, ac pro cuiuſque delicti expiatione varia offerebantur ſacrificia, vt fusè in Leuitico ordinatur. *Tertia ad ſatisfactionem pro peccatis.*

Quarta eſt, vt à Deo, quæ peterent beneficia, impetrarent. Nam & ipſi acceptum erat, vt pro horum, quæ ab homine peterentur, conſecutione, aliquid offerretur. quod ſacrificium victima ſalutaris & impetratorium vocabatur. *Quarta ad beneficia impetranda.*

CAPVT VII.

In Miſſæ ſacrificio, omnes Deo ſacrificandi rationes excellentiori quodam modo concurrunt.

SI prædicta diligentiùs expendantur, clarè patebit, quàm multis numeris nouæ legis ſacrificium vetera omnia antecellat: nam excellentiori quodam, atque eminentiori modo, in illo omnes eæ rationes concurrunt, quin & aliæ innumeræ, quæ erui & conſiderari poſſent. Sic ſancta Mater

Ecclesia in quadam sentit oratione: *Deus qui legalium differentiam hostiarum vnius sacrificij perfectione sanxisti,* &c. vnde ostendere, quàm perfectè omnia prædicta nostro sacrificio conueniant, non abs re, nec ineptum videtur.

§. I.

Missa, est perfectissimum holocaustum.

QVoad primum, vt diuinæ amplitudinem Maiestatis agnosceremus, nullum potuit offerri holocaustum, quod æquè id significaret: oblatus enim est, & quotidie offertur *Primogenitus omnis creaturæ,* cuius vita cæterarum infinitè excedit. & per hoc sacrificium, excellenti quadam ratione testamur tantam esse Dei amplitudinem & Maiestatem, vt eidem offerri non posset, nisi quod immensæ sit virtutis & dignitatis.

Colossen. 1.

In sacrificio Missæ significatur Dei Maiestas,

Propheta Isaias hanc Dei exaggerans Maiestatem, ait: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi * momentum stateræ reputatæ sunt* (in conspectu illius:) *Ecce insulæ quasi puluis exiguus: omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane. imò Libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum.* Etenim rectè dicit, armenta & greges Libani non sufficere in sacrificium: nam nec totus orbis terrarum, nec omnis creatura, quæ illo continetur, ad hoc sufficerent: sanè nec omnes Angeli iuncti creaturis essent holocaustum, quod Dei Maiestatem adæquaret. Quapropter in hoc maximè Saluatoris nostri sapientia & potestas elucet: qui sciuit, & tale potuit dare sacri-

Isai. 40.

**puluisculus.*

Omnes creaturæ oblatæ nō æquarent Dei Maiestatem.

rificium, & de facto dedit, quod non tantùm re-
pondet, verùm etiam adæquat magnitudinem &
dignitatem omnipotentis Dei: adeò vt verè liceat
dicere, à nobis tam excellens sacrificium offerri,
quale, qui sibi id postulat, meretur: & quod ex-
cellentiam eius, cui offertur, abundè significet,
quod denique tantum sit, vt maius offerri nullo
modo possit.

Præter hanc agnitionem Maiestatis & excel-
lentiæ diuinæ, potentiam insuper, sapientiam &
bonitatem diuinam, in hoc sacrificio agnoscimus
& veneramur: quæ tria sunt attributa & perfe-
ctiones in Deo, ad quas cæteræ reducuntur. Po-
tentiam quidem & dominium vniuersale creatu-
rarum: cùm credimus & testamur omnia sine ter-
giuersatione eius subiacere voluntati, qui de his
ex beneplacito suo constituat, tã in cælo quàm in
terra. Nimirum vno voluntatis suæ actu, panis in
Christi Corpus, vinum in Sanguinem commuta-
tur: accidentia verò, quorum existere est in subie-
cto, & ab eo essentialiter dependere, se solis sub-
stantiæ instar absque subiecto consistunt: huma-
nitas porrò Christi, quæ in empyreo face lumi-
nosa resplendescit, cælo delabitur, & accidenti-
bus illi humilibus subesse lætatur, & in cibum fi-
delibus se erogari permittit. Hæc tam mirabilia
Dei voluntate perficiuntur, vt eum Dominum es-
se cunctorum nullus inficiari possit.

In Missa significatur potentia, sapiẽtia, & bonitas Dei.

Sapientia diuina manifestè se ostendit, cùm re-
medium adinuenit calamitati nostræ, quæ tam
ab hominibus quàm Angelis, æterna fore iudica-
batur: quis enim vel cogitasset, genus humanum

Deo reprobante & peroso, futurum hominem eadem ex stirpe, qui offerret tam gratum Deo sacrificium, tamque acceptabile, vt de rigore iustitiæ omnibus hominibus veniam mereretur, omni Deo cultum debitum & honorem deferret, miri quadam & excellenti ratione damnum omne resarciret, in quo denique conuenirent tantæ rationes commodorum, vt illas nequiremus imaginari, nedum explicare?

Diuina verò bonitas maiora sui testimonia dare non potuit: nam communicare se cum ei proprium sit, non potuit excogitari coniunctio, aut sui participatio magis vnita, quàm illa, quæ Deum homini copularet, qui factus homo sub panis & vini specie, in potum se & cibum propinaret singulis, eorumque visceribus inclusus sic iungeretur, vt comedenti cibus conglutinatur.

Vnde liquidò patet, quàm verum hîc holocaustum offeratur, quamque perfecta fiat testatio diuinæ Maiestatis, cæterorumque attributorum, & quàm rectè obsequia Deo debita impleantur.

§. II.

Missa est perfectissimum sacrificium, quo pro acceptis beneficijs grates Deo aguntur.

QVoad secundum, nempe gratiarum actionem, clarum est, multo præstantiùs hoc nostro sacrificio, quàm cæteris antiquæ legis gratias referri. in illis enim quantumcunque sumptuosa essent & magnifica, tantùm minima pars eorum

quæ

quæ receperant, ab hominibus litabatur: quod innuauit Patriarcha Iacob, vbi dixit: *De omnibus quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quantulum æstimatur, ei qui omnia concesserit, retentis nouem partibus, decimam offerri? sed illa gratiarum actio attendebatur ex gratitudinis affectu, in cuius testimonium talis fiebat oblatio. Nos verò in lege noua tale Deo offerimus sacrificium, quod beneficijs ab eo collatis longè maius sit & præstantiùs; quippe offerimus ipsi Vnigenitum, quem & nobis, vt offerremus, transmisit, vtque omni nos debito solueremus, pretium dedit: qui licet gratuitò nobis datus sit, nihilo tamē minùs satisfacit, quàm illud, quod è proprijs facultatibus, si quæ essent, conferretur. Quòd si internum affectum æstimare velimus, certum est omnem gratitudinem, qua impelli possint creaturæ, minorem esse quàm beneficia à Deo collata. Vnde, quæ nos deficit, à Christo gratiarum actionem quasi mutuamur, eamque offerimus: ille enim cùm inopiam nostram perspectam haberet, pro omnibus grates egit, & compensauit ea beneficia, quæ à Deo receperamus, & potissimùm quod nobis in diuino hoc sacrificio collatum est. Quapropter, cùm *accepit panem in sanctas & venerabiles manus*, dicunt Euangelistæ: *Eleuatis oculis in cælum gratias egit* Deo Patri, vt hoc modo nostram præueniret inopiam & egestatem: ac proinde quoties illa ipsa mysteria celebramus, eadem verba repetimus, tanquam æterno Patri nostram in agendis gratijs fateremur infirmitatem, vt earum, quas Christus pro nobis perfectissimas soluit.

Gen. 28.

In Missa offerimus id quod respōdeat beneficijs collatis.

In Canone.
Matth. 26.
Marc. 14.
Luc. 22.

Christus nostro nomine gratias egit Deo Patri.

soluit, meminisset, eæque supplerent, quod r
deficeret: ideò enim tale à nobis offerri sacri
cium, quod omne Deo debitum comprehend
quam etiam ob rationem Eucharistiam vocari, v
sacrificium Eucharisticum, perinde quasi dic
gratiarum actionem.

§. III.

Missa, est perfectissimum sacrificium propitiat rium pro peccatis.

QVOAD tertium, videlicet Missam facere p indulgentia peccatorum, manifesta est no uam inter & veterem legem differentia: oli enim nulla sacrificia per se poterant sufficere, vnius duntaxat criminis reatus auferetur: vt sæpiùs affirmat Apostolus, & præsertim cùm ai *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri pec cata.* Item ibidem: *Omnis Sacerdos præstò est, easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre pecca ta, hic autem vnam pro peccatis offerrens hostiam, in sem piternum sedet in dextera Dei.* idcircò etiam idem A postolus illa ipsa sacrificia, *infirma & egena elemen ta* appellat. Quinimò omnes simul creaturæ ex sese pro vnius peccati satisfactione non sufficie bant: verùm cælesti nouæ legis sacrificio, Christus pro omnium satisfecit peccatis, & si opus fuisset, vt mille mundi redimerentur, sufficiens erat victima & superabundans: idque de rigore iustitiæ, vt communiter sentiunt Theologi: *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Quam satisfactionem, quæ in se fuit sufficientissima, effi-

Hebr. 10.

ad Gal. 4.

In Missa nobis efficaciter Christi satisfactio applicatur.

Hebr. 10.

caci-

citer applicamus, quotiescunque à nobis san-
issimum hoc sacrificium offertur. Vnde *docet* *Sess. 22. c. 1.*
icta Synodus Tridentina, *sacrificium istud verè pro-*
iatorium esse: huius quippe oblatione placatus Domi-
s gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina &
cata etiam ingentia dimittit. Nam fructus oblationis
ientæ, quam in cruce obtulit Dominus, per hanc vber-
nè percipiuntur. Quo decreto satis liquet, quàm
opriè & verè diuinum nostrum sacrificium, vo-
tur *propitiatorium pro peccatis*, cùm in hoc tam
undanter peccata omnia remittantur. Hinc
usbrochius, auctor grauis admodum & pius, af- Vna Missa sufficit ex se pro innumeris peccatis.
mat, eum hominem, qui vel innumera flagitia
trarit, vna tantùm Missa, quantum est ex parte
crificij, si aliunde nihil obstet, posse perfectissi-
è absolui, & ea, qua prius, fruiturum innocentia,
eò vt statim ad cælos penetrare posset. Et in hoc
ritati testimonium præbet: nam virtus & effica-
a sacrificij nullo limite coarctatur, nisi eam no-
a affectio minùs composita determinârit.

Hinc etiam Concilium Tridentinum absolutè,
sine limitatione dicit, virtute huius oblationis
berrimam percipi remissionem peccatorum,
iamuis ea ingentia sint & grauissima. quin & in
rmâ suæ consecrationis dixit Christus, & idem *Matth. 26.*
petimus quotidiè: *Hic est sanguis meus noui Testa-* *c. Cũ omne crimen. de cons. dist. 2.*
enti, qui pro multis effundetur in remissionem pecca-
rum. & Iulius Papa in decreto: *Omne crimen atque*
ccatum, oblatis Deo sacrificijs deletur. Idem habet *Conc. Bracar. 3. c. 1.*
oncil. Bracarense: cui omnes DD. assentiuntur. *Greg. l. 4. Dial. c. 58.*
S. Gregorius: *Hæc namque singulariter victima ab*
erno interitu animam saluat, quæ illam nobis mor- *hom. 37. in Euang.*

tem

Exemplũ notabile.

tem Vnigeniti per mysterium reparat. Idem alibi: *Non longè à nostris fertur temporibus factum, quòd quidam a hostibus captus longè transductus est. Cumq́; diu teneretur in vinculis, eum vxor sua, cùm ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerri: cuius toties vincula soluebantur in captiuitate, quoties ab eius coniugi oblatæ fuissent hostiæ pro animæ eius absolutione. Non longo pòst tempore reuersus, admirans valdè, suæ indicauit vxori, quòd diebus certis, hebdomadibus singulis, eius vincula soluebantur. Quos videlicet dies, eius vxor, atque horas discutiens, tunc eum recognouit absolutum, cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, fratres carissimi, certâ consideratione colligite, oblata à nobis sacra hostia, quantum in nobis soluere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero, potuit in altero soluere vincula corporis.* Et in eâ Missâ, quam ordinauit Iacobus Apostolus, ita dicitur: *Vt ea deleantur peccata quæ admisimus, & vt toti populo tuo sis propitius, vt sibi grato & diuino oblato sacrificio, digni habeamur vita æterna.* & in ea quam instituit Basilius: *Vt hoc sacrificium fiat acceptabile pro peccatis nostris, & pro populi ignorantiâ.* & in ea quam Chrysostomus: *Fac nos dignos offerre tibi dona, & sacrificium speciale, pro nostris peccatis: & præsta vt inueniamus gratiam in conspectu tuo.* Denique, modò in Canone legimus: *Pro redemptione animarum nostrarum.* Ex quibus videre est, quanta excellentia sacrificium nostrum sit *propitiatorium pro peccatis.*



§. IV.

§. IV.

Missa est efficacissimum sacrificium, vt à Deo postulata impetremus.

QVoad quartum, Missam facere pro petitione qualibet audienda, satis magnam eminentiam hoc præ cæteris habere sacrificium declaratur: si enim Deo agnum aut vitulũ, aut eiusmodi animal immolare, efficax erat medium, vt eius petitionis effectu potirentur, & ad eum finem ista offerebant; quã non habebit efficaciam Filius Dei oblatus omni cum thesauro meritorum? Si Patriarchæ Abraham, ob filij sui solam offerendi voluntatem, asseruerit Deus se daturũ illi omnibusque nepotibus, præmium immensum; quam non mercedem persoluet, cùm sibi ab æterno Vnigenitus immoletur? quid petemus, quod non accipiemus? certè *qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non cum illo omnia nobis donabit?* Rom. 8.

Si leges cùm diuinæ tum humanæ, tam seuerè prohibeant, ne Prælati, aut Principes quicunque, quêis iudicare incumbit, & Rempub. gubernare, vllas largitiones accipiant: quòd ex naturæ instinctu bene meritis respondere teneantur (quia fieri non posse videtur, quin ingẽtia dona iudiciorum religionem veritatemque perfringant:) quis non videat præsumere, certa quadam ratione Deũ nobis obligari, cũ in Missa diuitiæ illi infinitę trãsmittuntur? Etenim si verè dicitur, quòd munera frangunt pœnas, sicut clarè docet experiẽtia: cùm nullũ

sit

sit cor tam asperum aut inhumanum, quod do-nis non molliatur, nec beneuolentia erga dator inclinetur; Deus, qui nec saxeum pectus, nec fer-reum habet, sed tenerrimum, & cum clementi maximè coniunctum, præceps denique ad omn muneratíonem, putamus, negabit quod petieri-mus, vbi tam diuinam tamque efficacem à nobi acceperit donationem?

Certissimum est & extra omnem controuer-siam, efficacius nihil esse ad postulata obtinen-da, quàm Missæ sacrificium: vnde ad hunc vsum semper Ecclesia Missas celebrauit, vt nimirum peteret salutem, pacem, prosperitatem, cætera-que beneficia, quâ publica, quâ priuata, quâ cor-poralia, quâ spiritualia, cumque id omnino cer-tum sit & indubitatum, vt hîc vltrà moremu non est necesse.

Cõsidera-tio nota-bilis. Tantùm hoc referam, quod doctè & piè con-siderat Theologus quidam huiusce ætatis, & ipsi tanquam verum existimo, tum Theologiæ, tum sacris Literis conforme. Christus nempe in cælo quamuis ibi non sit, velut iterum satisfaciat & mereatur; orat tamen, & noster apud Patrem ad-uocatus existit, & *interpellat pro nobis*. Alibi dicit eum Apostolus cælos ascendisse, *vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Ioannes item Apost. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*. Atque ita dicit Auctor præfatus, credi posse valdè pro-babiliter, quoties Missæ sacrificium offertur, to-ties Christum pro offerente, & pro quibus offer-tur, orare. Hæc consideratio pia admodum & mihi verisimilis videtur. Nam Christus cùm actu

Suarez to. 3 disp. 79. sect. 2.

Hom. 8. Hebr. 6.

1. Ioan. 2.

Christus orat Patrẽ pro his, pro quibus Missa offertur.

&

& verè ministerio Sacerdotis & Aduocati fungatur, cumque sit proprium Sacerdoti, orare pro populo & intercedere; non ineptum erit, si nobis persuadeamus, illum, qui in omni re est absolutissimus, non solùm benè suo munere functurum, offerendo sacrificium pro his qui priuatim offerunt, aut illis pro quibus offertur (quod certum est) verùm etiam intercedendo & patrocinando, vt ea quæ petierint, aut desiderarint, si pertineant ad ipsorum salutem, aut Dei gloriam, adipiscantur. quod significare videtur Apostolus, vbi tractat de Sacerdotio Christi, ad Hebræos, *Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis* & continuè addit: *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex,* &c. vbi sanè officium orandi, cum officio Sacerdotis coniungere videtur: vt enim id perfectè obeat, conuenit, vt pro his quos habet subditos, intercedat: & potissimùm pro his, pro quibus offert sacrificium: quod nihil ponit humanè in Christo, sed potiùs quid consentaneum rationi. ita sentit V. P. Dionysius Carthusianus super hæc verba Apostoli: *Qui etiam interpellat pro nobis.* Idemque Laurentius Iustinianus: *Cùm in altari Christus immolatur, clamat idem Redemptor ad Patrem, corporales suas cicatrices ostendens, quatenus ab æternis supplicijs, sua homines interpellatione custodiat.* *Hebr. 7.* *In serm. de Christ. corpore.*

Quæ cùm ita sint, (& ita esse firmiter credo) patet rem hanc esse dignissimam, & omni æstimatione maiorem. profectò si maximè gaudemus, cùm Sanctum aliquem intercessorem nacti sumus, qui nos sua apud Deum oratione commendet, nostris-

noſtriſque laboribus opituletur; quantò melior ratio exultandi, quòd pro nobis apud æternum Patrem Dei Vnigenitus patrocinetur? Confirmatum iam eſt ſatis, Miſſæ ſacrificium eſſe efficaciſſimum, vt ijs quibus indigemus, & quæ petierimus à Deo, potiamur. Patet etiam, idipſum in ſe continere omnem perfectionem & excellentiam, qua ſacrificia antiquæ legis commendabantur, omnem denique virtutem eorum & efficaciam longè eminentiſſimâ ratione. Quod idem Sanctus luculentè hiſce verbis confirmat & concludit: *Vides perſpicuè, nullum accèptabilius Deo offerri poſſe ſacrificium, ſiue ad exſoluendum laudes, ſiue ad exhibendum gratias, ſiue ad impetrandam indulgentiam, vel ad gloriam promerendam, quàm Corporis & Sanguinis Chriſti ſacroſanctum myſterium.*

Laur. Iuſtin. ibid.

CAPVT VIII.

De prima Miſſæ excellentia, quòd ſit res in Eccleſia maximè venerabilis.

EX dictis hactenus colligemus variam Miſſæ excellentiam, notabilem & dignam multa conſideratione. Sit ergo prima: Miſſa eſt res maximè venerabilis, tantâ grauitate, ſanctitate & reuerentiâ, vt ei nulla in Eccleſia par ſit, nedum comparari poſſit. Adeò vt nec benedictio Agni, quam magnâ ſolemnitate Pontifex exercet, nec cuiuſquam Epiſcopi conſecratio, ad quam tres alij debent conuenire, nec ipſa Eccleſiæ, tantis

æremonijs peragatur, aut aliud quiddam tanto erficiatur apparatu: imò ne quidem ista in comarationem trahi possint.

Hinc Missam Sancti exquisitis verborum tiulis venerantur, appellando eam mysterium *emendum, terribile, diuinum, Deificum, sacrosanctum, lenum diuinitate, honorificum, summum singulare,* & inumera huiusmodi, quibus plena sunt eorum moumenta. è quibus omnibus duo tantùm aut tria ecensebo, quæ Missæ excellentiam commenant, & quæ mihi notatu dignissima videntur.

Sancti de Missa magnificè loquuntur.

S. Chrysostomus: *Dum conspicis Dominum immotum, Sacerdotem sacrificio incumbentem, & turbam cirmfusam, pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, iamnè te inter mortales versari atque in terra consire censes? an non potiùs in cælum transferris, & carnis nagionem omnem abijciens mente purâ circumspicis, quæ cælo sunt? O miraculum, ô Dei benignitatem! qui cum atre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo hominum anibus pertractatur, ac seipsum tradit volentibus ipsum ccipere.*

S. Gregorius: *Quis enim fidelium habere dubium pos-, in ipsa immolationis hora, ad Sacerdotis vocem cælos periri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros desse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, numq; ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?* Etenim nirabile est, quòd in illo sacrificio Ecclesię triumhantis gloria iungatur cum militantis humiliate & inopiâ: cùm nempè Rex Regum & caput rincipum, innumerâ aulicorum cælestium turbâ omitante, cælo delabitur, & terrena iungit cæleibus, humilia excellentibus, ima summis: quæ ad

Greg. lib. 4. cap. 56. Cum Missa celebratur, de cælo Angeli descendunt.

eundem finem congregata idem adorant mysterium: vbi enim Sacerdos pronuciârit, circùm vndique millenæ Angelorum cohortes prono aspectu sanctissimo Sacramento aduoluuntur, & manus venerantur Sacerdotis, diuinam in hoc munere excellentiam agnoscendo, cùm sibi tanta auctoritas delata non sit: vnde & in Dei laudes prorumpunt, easque referunt grates, quas referre ipsi, præ negligentia, non curamus. O Angeli, ô cælestes spiritus, quoties pudore suffundor, cùm memini vos esse præsentes: quia nostram fortassis ingratitudinẽ aliquando arguetis, qui scilicet in altissima dignitate constituti, eam nescierimus æstimare, nec ritè eiusdem ministerio perfungi.

Angelos Missæ adsistere.

Porrò assistere Angelos tempore sacrificij, res est Sanctorum testimonijs comprobata. Ambrosius quidem id affirmat & Chrysostomus. hic verò addit ita dixisse duos testes sanctitate præditos, quibus id videndi gratiam Deus contulerat. Sanctus porrò Cyrillus in vita Euthymij refert de eo, quòd Missæ tempore immensam viderit turbam Angelorum, quorum alij Sacerdoti ministrarent, alij prostrati Deum venerarentur: quod & multis Sanctis euenisse tradunt Scriptores. Idem sanè videtur innuere Apostolus, vbi comparationem instituit inter mysteria noui & veteris Testamenti, & eam Dei Maiestatem, qua in montem Sinai descendit, & qua modo in sanctum altare, quamuis inuisibiliter, delabitur. ait enim: *Non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem & turbinem, & caliginem & procellam, & tubæ sonum,* &c. *sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem* Dei

Ambr. lib. de dignit. Sacerd.
Chrys. l. 6. de Sacerd.
Hebr. 12.

Dei viuentis, & Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel.

Et procul dubio si nobis oculi aperirentur, vt famulo Elisæi, videremus ibi exercitus cælestes, & disceremus reuerentiam eorum exemplo, qui Domino suo & Regi assistunt, intueremur denique, quàm ipsos offendat nostra irreuerentia & torpedo. vt verò concludamus ea, quæ Sancti copiosè de hac re disserunt, vnam tantùm sententiam Iustiniani adferemus : quæ ita se habet: *Sacrâ Missæ oblatione nulla maior, nulla vtilior, nulla oculis diuinæ Maiestatis est gratior: quæ Deo honorem, Angelis contubernium, exulibus cœlum, religioni cultum, iustitiæ debitum, normam sanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, lætitiam mundo, credentibus gaudium, vnitatem populis, Sacramentis legalibus finem, initium gratiæ, virtuti robur, hominibus pacem, lucem mentibus, spem laborantibus, & peruenientibus tribuit speciem. Nempe dolores Mediatoris nostri, irrigata conuicia, excepta flagella, aceti & fellis pocula, clauorum & lanceæ vulnera, ex diuini huius sacrificij celebratione memorantur. Offertur æterno Patri nati assumpta humanitas: quatenus agnoscat ipse quem genuit, quemq; pro salute hominum misit in terram, vt interuentione ipsius delinquentibus veniam, lapsis manum, & iustificatis præbeat vitam. In cuius oblationis hora, quantum fas est credere, aperiuntur cæli, mirantur Angeli sancti laudant, exultant iusti, captiui visitantur, compediti soluuntur, infernus luget, sanctaq; in spiritu lætatur Ecclesia. Quamobrem colligitur, quanta cum veneratione ibi debeat asta-*

4. Reg. 6.

Laur. Iust. serm. de Chri. corp.

Verba notatu dignissima.

re Sacerdos, cui consecrandi hostias, atque intercedendi pro populo, est impensa auctoritas. Huic expedit, vt diuinæ laudis amator, religiosus in se, humilis corde, & erga proximorum errata compassione compunctus. Verba sunt digna tanto sancto Auctore, quæ legentem possint reficere, & honorem cultumque erga diuinum hoc mysterium excitare.

CAPVT IX.

De secunda Missæ excellentia, quòd sit sacrificium quo maximus Deo honos defertur, adeò gratum acceptumque, vt tale à creaturis offerri nihil possit.

§. I.

SECVNDAM Missæ excellentiam, sic deducimus: Missa est sacrificium religionis & cultûs diuini, quo summum Deo obsequium & honor defertur, adeò gratum acceptumque, vt nihil ei in mundo comparari possit. Et hoc affirmat D. Laurent. Iustinianus, in hunc modum: *Sanè nullo alio sacrificio honorificentiùs laudatur Deus, quàm per altaris immaculatam hostiam: quam præcipuè, ob diuinæ laudis exhibitionem complendam, Ecclesiæ suæ Christus offerendam instituit: ipsius namque passionis & humanæ redemptionis in ea mysticè celebrantur mysteria. Vides igitur perspicuè nullum acceptabilius Deo posse offerri sacrificium.*

In hoc tract. c. 5. Hoc ita esse, & ex supradictis colligitur, vbi ostendimus in Missa offerri Vnigenitum Deo Patri,

tri, cum omni thesauro meritorum. quod tantæ dignitatis est & momenti, vt nec omnes creaturæ oblatæ, vllâ ex parte æquiualere possint: in quo summus Deo cultus exhibeatur, & in immensum maior oblatione totius vniuersi: in quo fiat agnitio maiestatis & amplitudinis diuinæ, quæ sibi infinitæ virtutis sacrificium postulat offerri: vt suprà declaratum est. *In hoc Tract. cap. 7. §. 1.*

Nec tantùm id maximè gratum acceptumque est; verùm etiam, vt magis propriè loquamur, nihil est quod gratum vnquam fuit, nec esse potest, nisi in virtute huius sacrificij: quod Pater æternus in Baptismo & Transfiguratione Filij sui voluit significare: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* quasi diceret: Hic per se vnus mihi placet, cætera verò per hunc, & per merita ipsius, & in quantum ei similia sunt, nec vllâ aliâ ratione. quod etiam dicit Apostolus: *Gratificauit nos in dilecto Filio suo.* Omnis gratia, quam nobis impertiuit, ex Filij copiosissima gratia tanquam fonte dimanauit. Et Euangelista postquam dixisset: *Vidimus gloriam eius,* (scilicet Verbi) *gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis;* statim adiunxit: *Et de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia;* id est omnis gratia cuiuscunque gradûs vel conditionis, nullâ exceptâ, è plenitudine Christi procedit. & est dicendi modus apud Hebræos, sicut & illud: *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Huic conforme est, quod Apostolus alibi dicit: *Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Etenim certissimum est, omnem

Nulla creatura, nisi per Christum, potest esse accepta.

Matth. 3. & 17.

Ephes. 1.

Ioan. 1.

Quid hoc sit gratia pro gratia.

Iob 2.

Ephes. 4.

gratiam tam in homine quàm in Angelis à Christo deductam esse, & deduci, nullamque fore creaturam Deo acceptabilem, nisi in illo & per illum. sequitur etiam nihil posse esse tam gratum & acceptum; quàm sacrificium Missæ, quo Christus cum omni cumulo meritorum immolatur. Vnde hoc paulò fusiùs excuti operæpretium videtur.

Missa gratior est omnibus Sanctorũ meritis.

Si caritas, qua omnes omnino Sancti iam inde ab orbis principio arserunt, & ex hoc in finem vsque ardebunt, si merita cunctorum, & præconia Deo facta cumulentur; si tormenta Martyrum & catastæ, qui heroica fortitudine vitam & sanguinem Christo profuderunt: si virtutes Confessorum, Patriarcharum, Prophetarum, Monachorum, Eremitarum, cæterorumq; omnium, qui alio genere martyrij magis prolixo, & certa quadam ratione magis difficili seipsos cruciauerunt, & ieiunijs, vigilijs, oratione, rebelles fregerunt appetitus: demque iungantur omnia obsequia Deo præstita, quamuis gratissima, præterita, præsentia, futura; non tam perfectam laudem & honorẽ complectentur, quàm vel ea sola Missa, quam Sacerdos humillimus & pauperrimus celebrârit.

Sciendum porrò, caritatem cuiuscunque Beati in cælis perfectiorem longè esse, & excellentiorem ea, qua sanctissimus quilibet in terra accẽditur, quia nimirum sit caritas illius, qui diuinam essentiam contemplatur. Hinc Christus Dominus cùm extulisset admodum sanctitatem gloriosi Baptistæ, quo maior natus de muliere non fuisset, addidit: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior*

Matth. 11.

est

ſt illo. quod ita cùm ſit, vt prædicta magis æſti-
nentur, hoc ſubnecto: Si cum meritis Sanctorum
n terra exiſtentium, coniungas caritatem omni-
ım Beatorum in cælis, tam hominum quàm
Angelorum, etiam ſacratiſſimæ Virginis, quæ cæ-
eros immaniter antecellit: hæc ſic in vnum col-
ecta, minimè exæquabunt honorem & reueren-
iam, quæ Deo per vnius Miſſæ ſacrificium exhi-
etur.

Ratio huius & dictorum eſt, quia (vt ſuprà ex-
licauimus) in omni Miſſa Chriſtus eſt principa-
is Sacerdos, qui vt talis actu ipſum offert ſacrifi-
ium: munus verò Sacerdotis eſt, colere Deum.
nde in Miſſa Chriſtus eſt, qui maximè colit &
ıonorat Patrem, vt defectum noſtrum ſuppleat:
pſe principaliter gratias agit. Et certum eſt omnes
imul creaturas non tantum poſſe deferre Deo,
quantum Filius Dei. adeò vt ſacrificium Miſſæ,
um ex parte eius qui offert, tum ex illius qui of-
ertur, excedat maximè omnem religionem &
ultum, qui à qualibet creatura poſſet vel con-
unctim exhiberi.

In hoc Tract. c. 4. §. 1. & 2.

In omni Miſſa Chriſtus maximè honorat Patrem.

Quapropter videant Sacerdotes, quàm ingen-
es diuitias manibus ſuis complectantur, quibus
efectum humanum ſupplere queant, & ſuam di-
are paupertatem. Pudor eſt, ignominia eſt, eſſe
os qui facillimè ob rem nihili tanta magnitudine
heſauri ſe exſpolient, quia ſcilicet negligunt ani
ni ſeruare puritatem. Sed hoc ſuo loco diligen-
ıùs, nam ſigillatim de eo tractabitur: nunc pro-
oſito inſiſtamus.

Tract 7. cap. 1. & ſeq.

§. II.


Frater Ioannes de los Angeles, Tract. 2. de la lucha espirit. ex la addicion al cap. 13.

ISta consideratio nobilissima est, & eam à vir docto iuxtà & religioso perscriptam esse, mul tum afficior. ille verò tali vtitur stylo & oration scribendi, vt facilè credam inspirationem fuisse& responsum, quod oranti redditum sit (nam sati liquet non esse de genere eorum, quæ in Scholi addiscuntur.) Vnde pro maiore dictorũ explica tione, & consolatione Sacerdotum, eam hîc in seremus ab Auctore suo posteris commendatam sic verò infit:

Cogitanti mihi sæpenumerò de Missæ altissimis mysterijs, (quæ Christus amore nostri cõmunicauit, Corporis & Sanguinis cõsecrandi faciens potestatem, contestatus nos vt secum ageremus familiariter, & quotidie seipso vesceremur) id, inquam, cogitanti, semper ea gloria & delectatio, quam Pater æternus in Filij sui oblatione sub velamine Sacramenti percipit, tam grandis & eximia videri solet, vt Angelorum chori, Beatorumque turmæ, nullam ferè præ hac conferant voluptatem. opera enim creaturæ, quantumuis nobilia & heroica, nihil faciunt ad opera Creatoris. Sacerdos etenim offerens Patri æterno, aut Sanctissimæ Trinitati, personam Filij in sacrificio Missæ, offert Deum Deo, & per consequens laudem, gloriam & gaudium infinitum, omne denique bonum & quod durabilem continet bonitatem. Angeli verò & curia cælestis quamuis præstent obsequia officiosissima, gloriam & laudes Deo perpetim decantent, cùm hoc aliud sit genus

nus oblationis, quæ tanti non valet; Deum Deo non offerunt, ac proinde respectu diuini huius sacrificij quasi nihilum reputatur.

Hanc considerationem, excepit altera non minore pondere & momento; videlicet de beneficijs summis, quæ Deus generi humano confert, & ratione diligentissima, quam habet, vt ab omnibus diligatur & ametur; nec vulgaris sibi honor deferatur aut gloria, sed quæ immanem & infinitam laudem complectatur. In hac cogitatione sensi animo quoddam illabi responsum, quod moneret si eò anhelarem, nihil id æquè posse, quàm si in gratia & debito apparatu sanctissimum altaris Sacramentum excipiatur: & postquam receptum sit, & in pectore reconditum, cuius tanquam rei propriæ dominus sim & dispensator, rursus idem à me offeratur Patri æterno: idque fiat quantocyùs in loco maximè apto deuotioni. Hæc autem oblatio cum intimis desiderijs, & amore voluntatis accenso, cum alta submissione & reuerentiâ peragi debet. Nam Deo cùm talis oblatio transmittitur, simul offertur gloria, laus, & gaudium infinitum ex parte eiusdem oblationis: quod nec Angeli nec Beati in cælis perficere vllâ ratione possunt.



CA-

CAPVT X.

Missam esse rem maximè acceptam Humanitati Christi, sacratissimæ Virgini, omnibusque Sanctis: cum varia insuper & grandi excellentia.

§. I.

TERTIAM Missæ excellentiam ita colligemus: Missa est res maximè accepta sacratissimæ Humanitati Saluatoris, in qua tantum ei præstamus obsequium, quantum in nulla alia prçstare possimus. Hoc tam̃ generaliter dictũ, ex eo quod immediatè retulimus, suam accipit veritatem.

Sicut enim voluntas Christi maximè conuenit cum voluntate Patris: & hic, vt explicauimus, summam ex Missa gloriam & honorem percipiat; certum est, quòd anima Christi eodem honore delectetur, cùm, vt ipsemet in viuis testatus est, ad hoc venerit in mundum, vt faceret voluntatem Patris: hunc autem suum esse cibum & voluptatem. Enimuerò rationem magis propriam inuenio, quòd in Missa repræsentatio fiat passionis ac mortis, omniumque mysteriorum Christi Saluatoris. Pro cuius declaratione.

Ioan. 4.

Aduertendum est, quòd Sancti in cælo valdè ex ijs afficiuntur, quibus se Deo gratos fuisse nouerunt, dum nobiscum in terris versarentur: & eo maior est lætitia, quo ea fuisse acceptiora cognoscunt. Adeoque id verum est, vt quilibet Sanctorum

Sancti vellent rursus pati, vt Deo, quæ grata sciunt, offerrent.

ctorum vltrò suæ cederet felicitati, vt iterum ite-
umque patraret, quæ Deo nouit acceptissima, &
ifficillima quæque pateretur. Martyres quidem
e suis tormentis & doloribus mirificè lætantur;
Monachi, Eremitæ, cęterique Confessores, de suis
iunijs, vigilijs, corporis castigatione, incredibili
ruuntur gaudio: quin optant, vt longè maiora
ro Dei honore pertulissent. cùm verò fieri non
ossit, vt rursum calamitatibus hisce subijciantur,
ætitiam quandam accidentalem percipiunt, cùm
orum memoriam agimus in terris, & martyria,
bores, merita omnia Deo offerimus, gratias dan-
o, quòd electos suos ita animârit, vt in obsequijs
ręstandis omnem laboris molestiam perpessi sint.

Quòd autem nulli Sanctorum, concessum est
lumanitati Saluatoris, quæ quia vnita Verbo
uino, quæ voluerit. potest efficere, etenim cùm
deret ex passione suâ & morte, summam Patri
titiam & honorem obtigisse, sciuit & potuit in-
enire medium, quo illa ipsa sæpiùs repeteretur:
ntaque illi gloria accresceret, quantam primâ
ce recepisset. quod hac ratione perfectum est.
citatus quippe Christus à mortuis, & in cælum
bleuatus, non poterat iterum moriendo pati:
uapropter antequam moreretur, sacrificiū Mis-
ordinauit, in quo tam realiter passionis ac mor-
exhibentur mysteria, vt maiori veritate, nec
ssus nec mortuus sit: nec tantùm exhibentur,
d & mirabiliter exercitantur, perficiuntur, repe-
ntur: offertur deniq; idem Deo Patri sacrificiū,
uod in cruce Filius obtulit, eodem quo tunc,
ondere, merito, valore: quod & sufficiens sit, vt
idem,

idem, qui tunc, honor & gloria accreſcat. Hoc & nos perficimus, dum Miſſam celebramus: vnde Christo Saluatori, quod dari poteſt, maximum obſequium exhibemus, & in hac nos magis oſtendimus ſeruos & familiares, quàm in quauis re, quæ mundo continetur.

§. II.

Æſtimare debemus id nobis eſſe, quo Deo grati eſſe poſſimus.

ETENIM, Patres, pro eximio munere, & optimà ſorte oportet, æſtimemus, nos habere id, vnde obſequium aliquod præſtare Chriſto, illumque reficere poſſimus, ac potiſſimùm cùm noſtris hoc laboribus non conſtet, ipſeque eà nos religione obſtrinxerit, quippe vtilitati noſtræ iſtud comparauit: vtq; foret omninò vtile & fructuoſum; nulla potuit miſeriâ frangi, nullâ incommoditate debilitari.

Deiparæ & Sanctis nihil Miſſa gratius offerri poteſt.

Quod de ſanctiſſima Christi humanitate dictum eſt, proportione de Virgine ſacratiſſima, & quolibet Sancto dici poteſt: nec enim ipſi ſeruitus gratiſſima exhibetur, niſi eorum nomine ſacrum Miſſæ officium Deo offeramus.

Non quòd vlli Sanctorum, aut Deiparæ, huiuſmodi ſacrificium liceat offerre (hoc enim per Concil. Trident. prohibetur) ſed memoriam habendo meritorum, & Deo grates referendo pro beneficijs in ipſos collatis, & ea gloria, qua in cælis perfruuntur, eorundem Sanctorum merita cum ipſo ſacrificio, licet offeramus Sanctiſſimæ Trinitati: vt defectus noſtri reparentur eâ ratione, qua ſupradictus Auctor hoc ipſum conſiderauit. ait enim:

Si

Si vellet aliquis, vt par est, Angelorum Principi Reginæ tantam gloriam tantumque honorem ferre, quantum ipsa promeretur, eodem ardore luntatis, eadem reuerentiâ & submissione, m Missa absoluitur, aut communio percipitur, ferat castissimæ Matris amplexibus dulcissi- um Filium, quem in sua tunc habet potestate: iam oblationem procul dubio recipiet maximâ m lætitiâ, & maiori gloriæ sibi ducet, quàm m, quæ ab hominibus aut Angelis qualiscun- ie offerretur. & hoc sæpiùs licebit facere quam- u species Sacramenti in stomacho non consu- untur.

Frater Ioannes de los Angeles, Vbi sup.

Eadem hæc oblatio, cuiuis alteri è Sanctis po- st offerri, seruatâ, quam diximus, cautione, eo- m scilicet nomine, & tum ad honorem ipsorũ, m Dei omnipotentis.

Quandoquidem igitur pateat clarissimè, quan- n Deo gloriam & honorem deferre possint Sa- rdotes, cæterique Christiani, quantam lætitiam ugustæ cælorum Principi, omnibusque ciui- s curiæ cælestis per sanctissimum altaris Sa- amentum; videant illi, quibus hæc innote- ent, quàm solidâ nitantur ratione, vt totis vi- bus conentur esse rectè dispositi, ne vel vna dies labatur, qua non celebrent, aut saltem diuinâ â communione pascantur. Ad quod excitari bent, quia minimè eos latet, quin tam gratâ diti oblatione omne id quod petierint ad salu- m, à Deo, à Virgine Matre, à Sanctis, adeptu- sint: nec enim aliud poterit impetrare, quod c factâ negabitur. porrò fiduciam istam opor-

tet

tet augeri, quia per eam oblationem, quam mo do iam dicto Sanctis offerimus, illos ipsos nobi constituimus intercessores & patronos. Hactenu Ioannes ab Angelis, cuius hæc doctrina, dubiun non est, quin futura sit legenti vtilis & iucunda.

§. II.

PLura hîc adferri possent magna & eximia quæ si pertractaremus, in immensum excur reret oratio: vnde sufficerit hæc sub breuitat transcurrere, vt alijs liceat diutiùs immorari.

Excellentiæ Missæ in compendio.

Dicimus ergo nihil esse, quod parem Beatis in cælo, tam Angelis quàm hominibus, afferat læti tiam quàm Missæ sacrificium; nihil tam fructuosum mortalibus: nihil efficacius, vt liberi sint, qu in Purgatorio cruciantur: nihil denique vtilius, v spiritales diuitiæ omnium animis procurentur idque tanta cum excellentia, vt nec illa, quæ interdiu & nocte opera bona, & cum eximijs virtutibus coniuncta, agimus, vnum habere momentum possint, respectu Missæ, quæ ritè fuerit oblata.

Adeò vt quamuis illa tantùm conferret, vt minori labore commodis nostris studeremus, humanamque ditaremus inopiam meritis Christi; sanè iusta satis superque esset ratio, vt omni diligentia & studio, purisque mentibus ad diuina accederemus.



CA.

CAPVT XI.

Cultum exteriorem in Missa esse necessarium, quia per hunc Deo obsequium præstamus: item de antiquitate & grauitate cærimoniarum Ecclesiæ, ac de magna religione, quâ ad illas præcisè obligamur.

§. I.

HActenus præcipuè tractatum est de sanctimonia vitæ, animi munditia, religione interna, varia denique conditione spiritali; quibus instructum decet esse Sacerdotem, vt ritè suo munere perfungatur.

Enimuerò, si ea quæ dicta sunt, ab aliquo obseruentur; dubium esse nō potest, quin idem grauiter, decorè, cultuque externo oblaturus sit: nā ex primo rectè sequitur secundum. Ne tamē huic doctrinæ desit aliquid, neuè non absoluta perfectaque sit instructio Sacerdotum; de secundo etiam nonnulla adferemus, præsertim hisce communium temporum periculis, quibus magna est religionis inopia, & quoad hoc punctum summus defectus: sunt enim rari Sacerdotes (quamuis numero multi) qui dignitatis suæ meminerint, & eà norint implere, quæ ipsis in hoc ab Ecclesiâ præscribuntur: vnde multam oriri offensionem, ipsámque dignitatem in contemptum adduci, ne-

Nō poteſt excuſari error in externo cultu.

ceſſe eſt. Qui reatus, aliquâ ratione maior eſt, ac proinde minùs poteſt excuſari quàm ille qui in defectu ſanctitatis & internæ affectionis committitur. in hoc enim aliqualis manet excuſatio, cùm non tam facilè ea acquiratur innocentia & puritas, quæ ſufficiat ad dignè celebrandum: eſt quippe ad id neceſſaria omnium virtutum exercitatio: homines verò peruerſâ naturæ libidine ducũtur, cuius non illicò domantur appetitus. Sed vt cultus exterior adhibeatur; nulla eſt tanta remora, quin potiùs facillimum habet conatum. ſunt nempe huic ſua inſtituta, quæ obſeruare difficile non ſit: & quibus obſeruatis in illo peccatum eſſe non poſſit, In quo, cùm res ſit ſine labore, meritò offenditur Deus, ſi viderit negligentes, maximè cùm hîc hæreat, quo minùs grata ſibi obſequia præſtentur, & nos ipſos reddamus indignos qui ad tantam dignitatem fuerimus ſublimati.

Qui deficit in externo cultu, deficiet & in interno.

Hinc fortè (quod mihi certiſſimum videtur) aſſerendum eſt, illum, qui exteriori cultu non celebrârit, interiori etiam cariturum; id eſt puritate, ſanctimoniâ, attentione, & cæteris, quæ ad id requiruntur. nam hîc videtur locum habere illud

Luc. 16.

Chriſti: *Qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus erit.* certè in re minimi laboris, quam ad Dei cultum nouit pertinere, qui ſuam oſtendit perfidiam, qualem hunc eſſe, in ijs quæ magis ardua ſunt, oportebit? vnde id ſemper mihi viſum eſt conſonũ rationi, facilia procurare, vt ad difficilia poſſis adſpirare: & ſi fuerint Sacerdotes in ſeruandis cærimonijs cultuque externo religioſi, opinor maiorem idcircò fore gratiam, qua ad difficiliora pe-

ne-

ietrare poſſint, & interna diſpoſitio correſpon-
leat externæ.

Huic rationi maior & efficacior ſubiungitur: hoc nimirum tempore decet maximè Sacerdotes & Eccleſiaſticos incumbere in cæremoniarum obſeruantiam, cultûſque diuini per has promotionem: ſunt enim nunc hæretici, qui illis bellum indicunt, atque incredibilem voluptatem ex oppreſſa illarum religione aucupantur. Atque ita valdè conſentaneum eſt, vt qui nos profitemur eſſe Catholicos, & Dei gratiâ filij ſumus eiuſdem Eccleſiæ vniuerſalis, conemur eorum obſiſtere conatibus, & turbulentos errores impedire: quantum verò hi linguis detrahunt, tantùm augeamus factis, & cùm temerè eas condemnant, nos cum laude extollamus. Cauendum vnicè ne noſtrâ torpedine & negligentiâ, ipſorum corroboretur audacia, & falſitas animetur.

Hæc ætate, cultuſ Miſſæ externo ſtudendum.

§. II.

PRo huius intelligentia & fundamento, notandum eſt, quòd cùm homo corpore conſtet & animâ, & Deus ſit vtriuſque architectus & Dominus; non tantùm homo teneatur anima, ſed & corpore omnem exhibere Deo reuerentiam & honorem: *Corde enim creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* nec ſufficit mente Deum colere, niſi eundem & externo cultu veneremur. Ita in mundi exordio, homines pij & ſancti Deum cœperunt colere cærimonijs externis, genua flectendo, manus oculoſque in cælos eleuando, altaria exſtruendo,

Quia Deus creator eſt corporis & animæ, debetur illi exterior & interior cultus.

Rom. 10.

sacrificia denique offerendo instinctu naturæ sicut de Abele constat, cuius exemplo & poster excitati sunt; quorum nobis Scriptura locupletestis exsistit. Profanis verò historijs idem docemur, multos fuisse Gentiles qui sacrilego cultu & varijs cærimonijs idola sua venerati sunt: dæmon enim, qui in his colebatur, pro fastu suo, quem habet singularem, & inuidia, quâ flagrat pertinaci & stultâ, vt diuinos sibi assumat honores, cùm sciret cultum exteriorem esse indicium latriæ interioris, voluit vt sibi varijs cærimonijs deferretur. & Scriptura testatur quòd Sacerdotes Baal eum inuocauerint sacrificijs & inconditâ vociferatione se prosternendo: quin & Barbarorum instar atque furentium se cultris lanceisque inciderunt, donec sanguine toti perfunderentur.

Genes. 4.

Cur dæmon voluerit honorari externo cultu.

3. Reg. 18.

Differentia verò sacrificandi, pro temporum varietate fuit, quòd primâ illâ ætate, quæ legis naturæ dicta est, cùm nulla esset lex scripta, ita nec præcisa esset ratio cærimoniarum, sed quilibet pro instinctu naturæ, seu afflatu diuino, offerret. At posteaquam Deus legem promulgauit, in ea maxima erat pars cæremonialis, vt ritu optimo sacrificia offerrentur, & debitus Deo cultus exhiberetur. quibus varij ministri præfecti sunt, Sacerdotes alij, alij Leuitæ, Cantores, Ostiarij, Exorcistæ, & similes: cuilibet verò, suum erat ministerium, quod diligenter exequeretur, nec alienis se immisceret: his porrò graues erant pœnæ propositæ, si vel in minimo defecissent, quod speciatim in Leuitico, & Deuteronomio, videre est.

In lege scripta, Deus multas cærimonias commendauit.

§. III.

§. III.

Etsi verò cærimonijs antiquis, Euangelica lege derogatum sit: adeò vt non tantùm necessariæ illæ non sint, sed neç adhibere vllo pacto liceat; alteræ tamen ijs subrogatæ sunt meliores, & legi, cui ferebantur, consentaneæ: quas auctor Spiritus sanctus sanciri voluit per Ecclesiam, quam suo regit afflatu, & quæ easdem, per manus Christi atque Apostolorum traditas, hactenus conseruat: quamuis verò nonnullæ pro conditione temporum mutatæ sint; in genere tamen constat satis Christum cærimonijs fuisse vsum tempori, loco, personæ accommodatis. legimus enim: *Positis genibus orabat*. Item: *Procidit in faciem suam*. Et iterum: *Subleuatis Iesus oculis dixit, Pater venit hora* &c. quando autem instituit sanctissimum Sacramentum, à cœnâ & cærimonijs legis antiquæ expletis, vt nouas edoceret, lauit pedes Discipulorum, mensæ accubuit, accepit panem in manus, in cælum oculos sustulit, gratias egit Patri, benedixit pani, consecrauit, & frangens Discipulis partitus est: quas cæremonias id temporis conuenisse, non est qui non videat.

Cærimoniæ in Ecclesia sunt ab Apostolis & Christo.

Luc. 22. Matth. 26. Ioan. 17.

Christo dein ad cælos eleuato, postquam impleti essent Spiritu sancto Apostoli, cærimonias, quibus in Missa vtendum esset, præscripserunt: vt constat ex Missis ab eisdem compositis, & ex S. Clemente, D. Petri successore, multisque decretis Pontificum & Conciliorum, quæ breuitatis causa omittimus: & quia plures de his in Missæ expositione tractatus reperiuntur: Apostolis qui-

Clem. l. 2. const. Apost. c. 61.

dem instituit vt capite velarentur mulieres, no
1. Cor. 11. item viri: & vbi nonnulla de sacrâ communion
ordinâsset, adiunxit: *Cætera, cùm venero disponam.*
Etenim certum est, quòd essentialia Sacramen
nunquam esset ordinaturus, quia id vni Christ
fuerat demandatum: sed quasdam duntaxat cæri-
monias, pro digniori eiusdem vsu & perception
vnde ritus, quos habemus, esse antiquissimos, &
maximam eorum partem à Christo & Apostolis
cæterisque Pontificibus & Concilijs ad nos vsqu
dimanâsse, constanter tenendum est.

§. IV.

Non decebat vt quilibet pro sua libidine cærimonias excogitaret.

RES erat certissima & rationi conformis, supposito, quod Deus nonnullos sibi ritus vellet impendi, idque ex hominum natura, qui corporales erant; minimè conueniebat, vt quilibet de his statuendi liberam haberet voluntatem: hinc nempe summa oriretur differentia & deformitas, caligo maxima errorum superstitionumque offunderetur. sed necesse erat, ferrentnr illi ab Ecclesia, & publica Prælatorum atque Principum eiusdem auctoritate. Quod Suarez doctè & sapienter his verbis annotauit: *Hi ritus, fundantur in illis verbis Pauli.* 1. Corinth. 14. *Omnia secundùm ordinem fiant in vobis: & ideò oportet in his omnibus etiam minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui. Tnm quia si hæc relinquerentur vniuscuiusque arbitrio, multa indecorè & imprudenter fierent. Tum etiam, quia existimauit Ecclesia, in tam alto & sacro ministerio, nihil esse leue existimandum, quo minùs maximâ decentiâ & grauitate fiat.* Vbi optimè quadrat

Suar. tom. 3. disp. 84. sect. 1.

illud

illud Cypriani in expositione Orationis Dominicæ: Placendum est diuinis oculis, etiam in habitu corporis. Denique quia hæc vniformitas, *quæ in his omnibus seruatur, ad splendorem officij Ecclesiastici spectat, & vnitatem Ecclesiæ commendat, & pastorum eius curam ac solicitudinem.*

Etenim iustum videbatur, vt qui antiquitus ipse legem & cærimonias sanxerat; legem gratiæ iisdem adornaret, sed talibus, quæ cum mysterijs eiusdem legis conuenirent. quas dicimus esse eas regulas & instituta, quæ in Missa, & cæteris ad Dei cultum spectantibus, obseruamus ad quas ita obligantur omnes, vt earum omissio vel minima, peccati, saltem venialis, reatum infligat. dico, *saltem venialis*, nam, vt vtamur terminis Theologicis, culpa, quæ in his committitur, de genere suo est mortalis: sed venialis erit aut leuitate materiæ, aut alia ex causa, quæ peccatum de genere suo, aut specie mortale, efficit veniale.

Error in quacunq; Missæ cærimonia, saltem est culpa venialis.

§. V.

AT fortè dicet aliquis, nimiam esse seueritatem, asserere quòd Deus ob errorem in cærimonijs vel minutis, & omissionem, immutationẽ, ac vitiosam verbi prolationem offendatur. Enimuerò hîc nulla est exaggeratio, sed nuda conclusio veritatis. quod vt meliùs intelligatur, Aduertendum est, etiam à re minima induci veniale peccatum. Et hoc facilè patebit ex eo, quòd illud, quod sine vtilitate dicimus, quantumuis leue, est verbum otiosum, aut inutilis cogitatio, si vana cogitamus: ac licet id sæpiùs & facilè contingat; non

Matth. 12. effugit tamen rationem peccati, & in hoc rei coram iudice sistemur. Porrò grauius est peccare negligenter, vel omissione, in quauis cærimonia quamuis minuta, quæ ad cultum spectat diuinum, quàm verbum aliquod proferre otiosum. multoque id amplius, cùm in hac materia nihil pro leui æstimandum sit, quòd mysteria altissima omnem requirant sedulitatem & diligentiam. Idem dici potest de qualibet omissionis culpa & peccatis occultis; quorum tamen ratione reddituri sumus, quamuis dubium non sit minora esse, quàm illa quæ in defectu cærimoniarum committũtur.

Verùm si hæc resolutio nimis appareat rigorosa, ne mihi fortè velut auctori adscribatur, dabimus testimonia Theologorum, qui de his accuratè scripserunt: & quorum sententia omnibus amplectenda est. inter cæteros de Missæ cærimonijs doctè disputat Franciscus Suarez; hic interroganti quo modo teneantur Sacerdotes ad ea, quæ in Missali & Ordinario præcipiuntur, ita respondet: *Dico primò, teneri Sacerdotes ad seruandum integrum ritum Missæ, prout in Missali statutum ac definitum est. Probatur primò, ex Concil. Tridentino, sess. 22 cap. de obseruandis in celebratione Missæ. Secundò ex Bulla Pij Quinti, præfixa in principio Missalis, vbi sic dicit: Mandantes, ac districtè omnibus & singulis personis, in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, vt Missam iuxta ritum, modum, & normam, quæ per Missale hoc à nobis traditur, decantent ac legant: neque in Missæ celebratione alias cærimonias, vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumant. Quod intelligendum est seclusis priuilegijs: tamen qui illis gaudent, tene-*

Suarez, to. 3. disp. 83. sect. 3.

Doctrina Theologorum circa cæremonias.

Disp. 84. sect. 2.

nebuntur *seruatâ proportione ea dicere, quæ in Missali* *ui permisso continentur. Tertiò, accedit ratio huius præ-* *pti, quia hæc res grauis est, & ad debitum cultum diui-* *um spectat, vtque tantum ministerium ordinatè fiat:* *uando verò, hæc omissio sit peccatum veniale, quando ve-* *ò mortale, ex materiæ grauitate, & ex contemptu vel* *egligentiâ iudicandum est.* & paulò post: *Tertiò di-* *endum est, hoc peccatum, ex genere suo, esse mortale; ta-* *men ex leuitate materiæ, vel inaduertentiâ, esse posse ve-* *iale.* Et magis particulariter tractans de hac missione, id est, si omittas, aut alia recites ab his, uæ præcipiuntur, dicit: *Quapropter, in hoc genere* *eccandi facillimè erit culpa grauis, si materia sit alicu-* *us momenti.* Ita Suarez, cuius mihi opinio certa idetur, & digna quæ ab omni Sacerdote expen-datur. Magni etiam sunt ponderis & momenti, uæ circa hoc Concilij Tridentini verba allegan-ur, & sic se habent: *Quanta cura adhibenda sit, vt sa-* *rosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac* *eneratione celebretur, quiuis facilè existimare poterit,* *ui cogitârit, maledictum in sacris Literis eum vocari* *ui facit opus Dei negligenter. Quòd si necessariò fate-* *nur, nullum aliud opus adeò sanctum ac diuinum à* *Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremen-* *um mysterium, quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri* *econciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie im-* *nolatur; satis etiam apparet, omnem operam & diligen-* *iam in eo ponendam esse, vt quanta maxima fieri potest* *ordis munditiâ & puritate, atque exteriori deuotione* *c pietatis specie peragatur.* & infrà: *Ne superstitioni lo-* *us aliquis detur, edictis & pœnis propositis caueatur, ne* *acerdotes alijs, quàm debitis horis celebrent, neuè ritus*

Sess. 22. c. de obseruandis in Missa.
Ierem. 48.

aut alias cærimonias & preces in Missarum celebrati- ne adhibeant, præter eas quæ ab Ecclesia probatæ, frequenti & laudabili vsu receptæ fuerint. Hactenu Concilium.

CAPVT XII.

Quantâ curâ Deus olim commendârit ob- seruantiam cærimoniarum, & quàm seuerè earum puniuerit transgressores. item nouæ legis maiori esse dignas ve- neratione.

NE videatur Sacerdotibus nimis strictum, quòd obligentur præcisè ad eos ritus, qu in Missa & Officio diuino adhibendi sunt; consi- derent, quanta Deus curâ olim cærimoniarum ob- seruantiam commendârit. Innumeris quasi vici- bus, tanquam rem grauissimam, ne obliuisceren- tur, præcepit. pluribus verò omissis, nonnulla hîc loca inseremus.

§. I.

Loca quædam Scripturæ, in quibus commenda- tur obseruantia cærimoniarum. Et de non- nullis pœnis transgressorum.

IN Deuteronomio, Moyses moriturus repetit le- gem, quam Dominus sanxerat, & cærimonia- rum obseruantiam sæpenumerò inculcat. Cap. 7. ita

ta monet: *Custodi ergo præcepta & cærimonias atque iudicia, quæ ego mando tibi, vt facias.* Et 8. *Obserua & caue, ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius, & cærimonias, quæ præcipio tibi.* Item 10. *Et nunc Israël, quid Dominus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, custodiasq́ mandata Domini, & cærimonias eius?* Et 11. *Videte ergò vt impleatis cærimonias atque iudicia, quæ ego ponam in conspectu vestro.* vix vlla est pagina quæ tale monitum non comprehendat. Denique cap. 28. maledictionis fulmen delinquenti prædicit: *Quòd si audire nolueris vocem Domini tui, vt custodias & facias omnia mandata eius & cærimonias: venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te.* & plurima maledicta in eos congerit, qui cærimoniarum legem fuerint præuaricati. Hinc certum est, quia toties idem Deus repetendo commendauit, rem esse magni momenti, & ad cuius obseruantiam cura & studium requiratur. Deut. 7.

Confirmatur id ex eo, quòd vbi decursu temporum, & Babylonici exilij incommodo, cærimoniarum vsus pænè defecisset, voluerit Deus per Ezechielem eas renouari: quem his verbis Ezech. huic muneri destinauit: *Fili hominis pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi, omnia quæ ego loquar ad te, de vniuersis cærimonijs domus Domini, & de cunctis legibus eius.* Et infrà: *Sacerdotes autem & Leuitæ filij Sadoc, qui custodierunt cærimonias sanctuarij mei, cùm errarent filij Israel à me, ipsi accedent ad me, vt ministrent mihi, & stabunt in conspectu meo.* 44.

Clarum est, quanti Deus cærimoniarum æstimârit obseruantiam: quod & inde constat, quia

minimum in hac defectum atrociter castigârit.

Leuit. 5. In Leuitico mandatur: *Anima, si præuaricans cærimonias per errorem peccauerit, offerret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus.* Quæ lex digna est cónsideratione, vt, quod dicimus, pondus habeat & momentum. Præterea in sacris Literis reperias pœnas & supplicia, quæ ob errorem in cærimonijs quamuis leuis videretur, inflixit Deus; sed cùm alteri proposito relata sint, hîc minimè referẽtur.

§. II.

Cærimonias Ecclesiæ, magis esse venerabiles, quàm veteris Testamenti.

SI fortè cui videatur, id temporis benè quidem, cùm cærimoniæ maiori erant numero & auctoritate; nunc verò non item: quia lex gratiæ tam cærimonialis non sit; aduertat ille mecum diligenter rationem hanc retorqueri posse, & retorquendã esse. Nam si tunc, cùm tanta erat multitudo cærimoniarum, & quidem in rebus leuissimis, punita sit tam acriter vel vnius transgressio: quid modò fiet, cùm pauciores numero cærimoniæ sint, eæque grauiores, ac proinde maioris auctoritatis? si enim illæ in tanto essent honore, quia significationem quandam figuratã præ se ferrent, vmbram certè futurorum mysteriorum: quanto maiori erunt in veneratione quibus mysteria iam præsentia & impleta conficiuntur, adorantur? illarum erat vsus, vt ritè aut agnus, aut vitulus, aut eiusmodi offerretur, vt arca fœderis, panes propositionis tractarentur cum honore & reue-

Cærimoniarum Ecclesiæ excellentia.

ren-

entia : nostrarum verò omnis est vsus in conse-
rando & offerendo Corpus & Sanguinem Chri-
i, in tractando & colendo ea viua & vera myste-
a, quę per figuras illas & vmbras significabantur.
Etenim secundùm hoc ea excellentia, quam
abet veritas ad figuram, corpus naturale ad vm-
ram, homo viuus ad pictum, mysteria noua ad
etera; eandem habent nostræ cærimoniæ ad an-
quas. vnde elicitur argumentum: Si istas Deus
antum æstimauit; quid dicendum de nostris, quæ
naximè antecellunt? Vna est differentia, quòd id
empus erat timoris & iustitiæ, ac proinde nulla
rat mora supplicij: vt sic peccatis abstinerent,
os suo malo instruerent. Nunc autem tempus
st gratiæ & misericordiæ: hinc Deus tam patien-
er differt emendationem, & expectat vt ipsi nos
d frugem bonam conuertamus. sed procul dubio
rauior his pœna infligetur, qui Dei benignitatem
uerint aspernati.

§. III.

Cærimonias cultûs diuini ritè exercendas esse: id doceri eorum exemplo, qui magnâ humanitate & obseruantiâ Regibus terræ famulantur.

PRædicta, ô Patres, consideremus, operæpre- **Sacerdotes, Deo seruiant amore.**
tium est: videbimus enim, quantâ Deus curâ
ærimoniarum obseruantiam commendet, quan-
ique seueritate puniat delinquentes. Cogitemus
ui simus, Sacerdotes nempe, cuius muneris di-
nitas hoc postulat vt cogitemus. id verò munus
curiosè,

curiosè, grauiter, omnique decoro, quantum fragilitas permittit humana, exequamur, non timore pœnæ: (quamuis is etiam salutaris sit, & eo carere foret temerariū) nec enim tam excellenti munere fungemur præ hoc timore, qui seruilis est, cùm ad illam nos Dominus extulerit amplitudinē status, vt dixerit nos non seruos sed amicos, quibus misteriorum omniū secreta communicauit. Proinde de tanto nobis titulo gratulari possumus & debemus, respondere magis summæ erga nos beneuolentiæ officiorum gratiâ, tamque diuinis mysterijs cultu & religione: vt nos nihil deficiat, quo minùs amorē, licet impari, amore compensemus.

Porrò res humanæ, quamuis humiles, ad tam alta tamq; cælestia nobis calcar subijciunt. Quanti non æstimatur Regi esse a cubiculis? quàm non de eiusmodi officio sibi gratulâtur Duces ac Principes? clauem auratam gestant in cingulo, vt ab omnibus conspiciatur, & eâ visâ honor crescat & æstimatio dignitatis: Rex enim hac illos claue donat, vt fidem eorū esse testatam omnibus constet, quos in familiares quibuscum versaretur, elegit: qui comedenti assisterent, dormientis atque surgentis haberent curã. Tale sibi pluris æstimant officiū, quàm relictam à maioribus hereditatem.

Quàm Deus Sacerdotibus confidat.

O Rex gloriæ, Princeps vniuersi, tu caliginem nostris oculis offusam discute, vt ex hisce nugis magnitudinem tuam eruamus, & meritorum tuorum agnoscamus multitudinē, maximè fiduciam, quam de nobis benè merendo concepisti. etenim non clauem palatij regalis, sed clauem nobis credidisti cælorum, plenissima & aperiendi & clau-

ndi auctoritate: nos elegisti non in seruos, sed familiares & amicos, quibus de summis negotijs communicares: vnde omnino voluisti, vt nūquam uo latere aut conspectu discederemus, non vt nquam famulares assistamus comedenti, sed tem mensæ accumbamus, vt eadem ex lance, eo- calice reficiamur. Sancte Deus, quis iste cibus, quæ nā ista amicitia & necessitudo, quis Princeps, quæ curia, de quibus nobis est sermo? O Patres, mentem eleuemus, eleuemus, inquam, & cogitationes ad tam alta, tam sublimia: ab his quæ mira parent, oculos paulisper deflectamus.

Dico igitur, esse mirabile supra modum, videre licos, qui ritus palatij calleant optimè, eosque diosè admodum obseruent: adeò, vt nihil vnquam desiderari possit. Omnia ordinata sunt, & is quæque regulis continentur: scitur enim, cui gere caput liceat rege præsente, quem oporteat manere aperto, quis modus inseruiendi & tractā-, mille denique huiusmodi minuta adhibentur: quibus colligere nobis est, quam reuerenter cærimonias cultûs diuini conueniat exercere. Etenim Regem discumbentem magnâ veneratione nobilium turba circumstat: & bibituro è Primatibus vnus scyphū porrigit, quo in actu cernuus incinat genu tam profundè, vt sub mensam velle subrepere videatur. Fortunâ id mihi semel contigit videre, maximèque sum compunctus animo, ituens tantum exhiberi honorem homini mortali (qui, verè loquendo, vermis est putredini noxius, qui, sicut & cæteri, eâ lege tenetur, vt suaque morti debeat: certè vna potest fe-

In aula quantæ cærimoniæ.

bris

bris, vt occupet moriturum) ex alterâ verò parte, quod ipsi agimus, considerans, aut veriùs quod non agimus. Quæ nobis negligentiæ nota non inuretur, cùm Deo & Regi sæculorum, cultum suum & ministerium tam ignauiter exequamur quin non tantùm in vestimento, sed & in femore scriptum habet, *Rex Regum, & Dominus dominantium?* cui seruiunt millia millium, ac decies millies centena Angelorum millia assistunt magno respectu & veneratione? nimirum ante Creatorem & Dominum totius vniuersi: illum laudant & glorificant, tam nobiles creaturæ: nostram tamen ille vel humillimam laudem ambit; quia tā sublimia nobis mysteria communicauit.

Apoc. 19.

Dan. 7.

CAPVT XIII.

De spatio essentiali & necessario, vt ritè Missa celebretur: sine quo absque reatu dici non potest.

TAntus est error, tamque apud vniuersos hodie inualuit, vt qui festinanter celebrârit, videatur sibi gratulari; cùm tamen id non sine audientium offensione sæpenumerò contingat: vident enim illi tam paruam grauitatem, tantam in diuinis accelerationem, & quasi fugam, vt non tātùm ritus Ecclesiæ nequeant obseruari, sed ne quidem legi aut pronuntiari ea, quæ necessariò in Missa legenda sunt. Quod verò pessimum est, error hic tam altis est defixus radicibus, vt nō so-

lùm

ùm eius vſus ſit in praxi & exercitio, ſed & palàm
lefendatur tanquam virtus & dignum laude, quod
omnem meretur vituperationem, & in ſe deteſta-
bile eſt atque vitioſum. Porrò qui hanc tuentur
opinionem, eos allegant auctores, qui, ſi viuerent,
citari ſe falsò quererentur. quia autem legerunt
vbi? neſcio) Sacerdotem procurare debere ne tæ-
lio ſit Miſſam audientibus, & ſectandam eſſe me-
liocritatem quandam; inferunt omninò conue-
niens eſſe, vt Sacerdos audientiũ ſe cõformet de-
ſiderio, & hoc præponat rationi, legibus Eccleſiæ,
decoro cultûs diuini, nullaq; moueatur religione.
Vnde vt hic abuſus tollatur, non ſufficit gene-
ratim dixiſſe, obligationem, qua Sacerdotes tenẽ-
tur ad cærimonias Miſſæ ritè exercendas: ſed ad-
dendum eſt aliquid de ſpatio temporis neceſſa-
rio, vt debitè ſacrificium iſtud offeratur. Hoc er-
go tractabimus eâ proprietate & rigore, quo
Theologicæ quæſtiones deciduntur. cùm enim
in colloquijs frequenter incidat diſputatio, ſæpè
etiam temerè de hoc multa dicuntur, & ſine fun-
damento: proinde radix ipſa inſpicienda eſt, ac
veritas aſſerenda Theologicè, & Sanctorum au-
ctoritate atque doctrinâ; vt ſic bonum à meliori,
malum à bono, diſtinguatur.

§. I.

Proponitur dubium, & ratio dubitandi.

DVbium igitur eſt: *Vtrum melius, citò Miſſam di-
cere; an tardè & cunctanter?*

Rationes, quæ hoc in dubium vocare poſſint,

tam mihi ſunt friuolæ & ridiculæ, vt exſcribi vix mereantur. etenim qui eas patienter audiſſet, nollet ſanè vlteriùs veritatem inquirere. Vna tantùm eſt quæ aliquam habeat apparentiam, & quam iſti magno in pretio habent. Nempe, caritas vbique, tanquam virtutum Regina, debet præualere: illi verò qui Miſſas audiunt, graui afficiuntur tædio, ſi largæ ſint; patiuntur etiam hoc detrimenti, quòd ſuis ſe negotijs applicare citò non poſſint: quin imò non caret ratione ſcandali, ſi Sacerdos diu immoretur, quia anſa datur populo murmurandi. His ergo attentis, videtur caritati eſſe cōſentaneum, vt Sacerdos ſibi aliquid detrahat, quo proximi leuet neceſſitatem.

Ratio dubitandi.

Pro huius reſolutione, & vt certa ab incertis diuidantur, præſuppono tanquam verum, quòd Miſſa habeat moram & ſpatium eſſentiale, ac ſibi intrinſecum, cui nihil poſſis ſubtrahere ſine culpâ. quod mirum non eſt, cùm quælibet res humana, limite ſuo & termino circumſcribatur: certum quippe eſt, non poſſe Pſalterium recitari eo tempore, quo vnus Pſalmus: nec Miſſa abſolui poteſt tam breui ſpatio, quàm Pater noſter; ſed neceſſe eſt aliquis habeatur terminus, & ſpatium, cui demi nihil poſſit. Quodnã ſit illud, ponamus controuerti: lucem & claritatem ſequens dabit Concluſio.

Fundamẽtum valdè certum.

§. II.

Concluſio generalis, quâ dubium reſoluitur.

OMnes Sacerdotes tenētur Miſſam dicere cū morâ & ſpatio, quod ad tria poſſit ſufficere

Primò, vt pronuncietur aptè omne id, quod in Missa legitur & recitarur. Secundò, vt decenter & ritè omnes cærimoniæ compleantur. Tertiò, vt attentionem habeant, & intelligentiam actualem omnium eorum quæ loquuntur & exercent.

Singula declaremus: Quoad primum, quæ est pronuntiatio, certum est omne, quod recitatur in Missa, debere aptè pronuntiari. si quis verò festinanter verba quædam aut syllabas confundat, carere id non potest irreuerentiâ, nec excusationem habet peccati: vt supra c.11. explicatum est. Et dico debere aptè pronuntiari & conuenienter, id est cum proportione ad dignitatem eorum quæ in Missa leguntur: alio enim tono controuersia aliqua recitatur, alioq; Rex conuenitur: in illâ quidem lectione sufficit percipere substantiam rei, & quæ ad eandem concurrunt: at si aliquis cum Rege loqueretur de negotijs grauissimis eâ celeritate, qua suam amanuensis legit scripturam, procul dubio ignarus & idiota diceretur, quia non seruasset decorem, qui tantæ personæ tantisque negotijs conueniebat.

Eandem omninò præscribunt legem Theologi & Summistæ, vt ritè legantur & recitentur, quæ in Missa legenda & recitanda sunt: sic nempe legi debent, tanquam coram Rege aut Principe legantur. omne verò quod hîc deficiet, censebitur vitiosum, & peccatum erit saltem veniale.

Regula quoad pronuntiationem.

Pro quo, ad Sacerdotum maiorem instructionem, exemplumque virtutis, hîc admonere statui quantam legendi grauitatem, Ordinariū nostrum Carthusiense commendet: præsertim vbi ad Canonem

Commendatur Carthusianis debita pronuntiatio.

1. p. statutor. Carth. c. 27. nonem peruentum est: dicit enim: *Sacerdos totus in se recollectus, quantum fieri potest, profert sacratissima Canonis verba, quam deuotissimè.* & infrà: *Cum omni attentione, reuerentia & deuotione proferat verba.* Quæ digna sunt vt ponderentur, quò intelligi possit quæ pronunciatio verbis sacris diuinisque debeatur.

Secunda conditio, eadem ratione declaranda est. Certum enim cùm sit obligatum esse quemlibet Sacerdotem ad cærimonias ritè complendas iuxta præscriptum Missalis (quod suprà ostendimus) euidenter sequitur, eandem fore obligationem, vt celebret cum spatio & morâ essentiali. *In hoc Tract. cap. 11. §. 5.* Atque ita quod de pronunciatione, & de cærimonijs dicẽdum est, quæ grauiter & decorè sunt perficiendæ postulat enim rerum natura, vt cum proportione ad suum finem media ordinentur. Cùm verò omnes illi ritus instituti sint ad significandũ altissima mysteria, & actus sint latriæ cultûsque diuini, quibus immediatè Dei veneramur Maiestatem; liquidò patet, illos exercendos esse omni cum decoro & reuerentia, adeò vt fines isti consequantur, & non contrarij: qui sequuntur certò, cùm festinanter, sine maturitate & grauitate debitâ exercentur. quid enim aliud causant præter irreuerentiam & irrisionem in his, qui testes sunt & arbitri? profectò de adstantibus plures offenduntur; ac proinde nullo Deus colitur obsequio, sed ad iracundiam magis inflammatur.

Item in Ordinario. Hîc etiam pietas & prudentia Ordinarij Carthusiensis elucet: quod maximam in cærimonijs commendat reuerentiam & grauitatem: quotiescunque scilicet de inclinationibus est sermo, sic ait:

it: *Reuerenter & cum grauitate inclinat.* Atque iterum: *Inclinat profunde & reuerenter.* Et: *Facta profundá inclinatione.* Et: *Sensim, & cum magná grauitate.* Denique: *Profundè inclinatus, sanctum Sacramentum veneratur.* Imò ad quodlibet vestigium, ad quodlibet verbum, & cærimonias quasl bet, sexcenties horum aliquod repetit, *Reuerenter, cum grauitate, profundè,* &c. Quibus monemur non esse distracti, nec aliquando negligere grauitatem, quæ diuinis hisce mysterijs debetur.

In Ordinario etiam Romano sæpiùs legas, *Reuerenter.* præscribitur nimirùm hac particulâ, vt cærimonias omnes ritè impleamus; id est, cũ reuerentiâ & grauitate, sine quibus culpa deesse nõ potest.

Tertia conditio, vt Missa celebretur eo temporis spatio, quod sufficere possit moraliter, vt habeatur attentio actualis eorum quæ leguntur & fiunt, nimis fortè videbitur rigorosa. Sed & hoc tandem cum cæteris habet veritatem. Porrò ratio ipsa euidenter concludit; dubium quippe esse non potest, quin teneatur Sacerdos attentionem sibi procurare in his, quæ dicit & agit: quòd si eam vltrò negligeret, graue esse peccatum nullus dubitaret: eadem etiam culpa contrahitur, si ponas obicem quo minùs tenere possis. Ergo eadem ratione peccabit ille, qui minori spatio celebrauit, quàm moraliter requiritur, vt eorum, quæ dicuntur & aguntur, attentio habeatur; quâ iste qui voluntariè distrahitur: cùm attentio haberi actualis, tam paruo tempore, nullo modo possit.

Quæ hactenus diximus, certissima sunt, & extra omnem controuersiam, quæ vniuersos obli-

gent Sacerdotes cuiuscunque statûs & conditionis, semper & vbique: adeò vt nullo casu aut titulo licitum sit prædicto spatio aliquid detrahere, cùm essentiale sit & intrinsecum, vt ista actio ritè exerceatur. Atque ita hoc positum sit firmum & stabile fundamentum.

§. III.

OPINOR, quemlibet qui hæc legerit, iamdudum anhelare vt sciat, quodnã sit illud spatium, quod satis longum putamus & necessarium, ad rem sacram transigendam? at à me hoc non decidetur, cùm mei non fuerit consilij id tradere, sed ea tantùm quæ velut certa & Theologicè scita affirmare possem: quod verò à me petitur, ipse nescio, nec dari potest certa regula, quæ sit generalis & vniuersos complectatur: vni enim plus temporis, alteri minus opus erit. Id solum generatim dici potest, conditiones allatas omninò requiri, & in illis nullum esse defectum oportere; vnusquisque ad hoc tantum sumat temporis, quantum sufficere videbitur: quo impenso nihil vltrà necessum esse dicimus. Tantùm hoc monitos esse velim Sacerdotes, & obtestor amore Christi, quicunque legerint, considerent sine prauo affectu, quomodo compleant doctrinam, quam attulimus, præsupposito eam veram esse & certã, & quòd in hac deficere periculum sit peccandi sæpiùs in hoc religionis exercitio, vnde innumera possint virtutum merita dimanare. Moneo item Prælatos, qui in Ecclesiæ principatu constituti, subditos & fratres suo debent regere consilio,

Non est certa regula de spatio Missæ necessario.

atque

atque auctoritate, diligentes sint, vt doctrina allata strictè obseruetur; quod si neglexerint, reatum se nouerint incursuros, & difficilem à Deo rationem exigendam esse.

Peccatum, quod hîc ab istis committitur, esse enorme probatur, cùm ex parte obiecti, quia contra virtutem religionis, quæ inter Morales excellit, tum ex parte materiæ: quamuis enim in priuato haberi possit materia non grauis, si in aliqua cærimoniarum Missæ sit defectus, aut compleatur cum minori grauitate & morâ, quàm necesse; in Prælatis tamen materia grauior censenda est, quia ansam præbent cæteris imitandi, vnde detrimentum incurrat communitas, abusus confirmetur, pessima consuetudo radices agat: quæ fauore superiorum aut dissimulatione vires capit, & quandam præfert auctoritatem: ac ob multas alias circumstantias, quæ culpam aggrauant, quãuis tantùm omissio sit & negligentia in procurando, vt doctrina, quam velut stabile fundamentum posuimus, in praxim deducatur.

CAPVT XIV.

De spatio voluntario, quo Missa celebrari potest: quod vt ritè fiat, satius esse multum, quàm parum, temporis insumere.

ILlud spatium, de quo hactenus sermo fuit, est Missæ intrinsecũ & essẽtiale, si legatur vt debet,

& per consequens necessarium atque obligatorium. Verùm præter hoc, alterum est, quo liberè ac arbitrariè vti quis potest: quia non tenetur Sacerdos ad eam se componere breuitatē, quæ summa sit, adeò vt, si absoluat citiùs, peccet: sed latitudinem quamdam habet, vt quisque pro deuotionis affectu, temporis, loci, alijsq; circumstantijs, bono iudicio seruatis, magis minusuè hærere possit. Et hæc mora siue spatium controuertitur, sitne meliùs tractim, an festinanter, diuina celebrare. cui Respondetur per conclusionem sequentem.

§. I.

Conclusio & Responsio.

Mora magis est rebus grauibus accōmodata.

EXceptis *nonnullis casibus bono, iudicio obseruandis, (de quibus infrà) penè semper præstat, & securius, prudentius, & laudabilius est, Missæ multum temporis quàm parum insumere.*

Probemus quoad singulas partes. Quòd præstet ac melius sit, Probatur. Nam certa res est, spatium atque maturitatem magis conuenire amplitudini eorum quæ dicuntur in Missa & aguntur. naturâ enim res grandes & seriæ meliùs perficiūtur actione moderatâ, quæ maius habeat temporis interuallum: mora etiam magis est accommodata pronuntiationi, & vt quæ dicuntur & aguntur, attentè ac ritè impleantur: ergo maioris erit virtutis, in Missa multum temporis quàm parum insumere. certè quæ locum habent antecedentis, per se euidētia sunt, nec alia indigent probatione.

Vnde dicere, vt quidam aiunt, maiorē à se haberi

beri attentionem meliusque pronuntiare, cùm celebrãt festinanter; id ei dicatur, qui velit assentiri, mihi quidem credibile non videtur: credo potiùs rectissimè, eos qui hæc dicant, ipsos non credere, sed loqui vel vt adulatores, vel vt pertinaces, quo hoc pacto pessimum morem se posse stabilire cõfidunt. verum hoc nec est, nec esse potest: pugnat enim cum eorum, quæ tractantur, naturâ. Atque ita ille, qui mihi dixerit se magis attendere, cùm Missam dicit properanter, hoc sibi habeat respõsum (quod certum videtur) nec, cùm celeriter aut tractim celebrat, à se haberi attentionem. nam moraliter fieri non posse credo, vt ille, qui velit intelligere & actu attendere his, quæ dicit & agit (quod velle omnes & procurare debent) non videat clarè impedimentum, quod ponit festinatio & propositum citò absoluendi, quamuis etiã intra limites necessarios consistat. sic opinor, licet is in habendâ attentione se putet exercitatum.

Non est credibile in celeritate maiorem esse attentionem.

Si quispiam dixerit, se, cùm celebrat festinanter, minùs distrahi quàm aliàs vbi tractim, credam equidem: habet quippe minus temporis, aut dicam, non habet, vt distrahatur. Sed hoc singulare est vitium in illo, qui, nullâ pænè experientiâ & vsu, intellectui legẽ præscripsit, memoriæ neglexit exercitium, non didicit affectus regere, sed eosdem liberos, sine freno, dimisit: vnde quanto plus habet temporis, tanto diutiùs mente diuagatur. sed hoc minimè excusat, quin potiùs ad obtinendam attentionem obstringit, & vt sensus, qui malâ consuetudine velut indomiti liberique diuertunt, iugo iterum subdantur: quod non fit ac-

celerando ſed immorando, & quantò minùs eſt exercitium attentionis, tantò maius ſit ſpatium eidem renouandæ.

Tractim celebrare eſt maximè ſecurũ. Secundò, eſſe magis ſecurum, Miſſam dicere grauiter & cunctanter, patet clariſſimè: nam feſtinando peccari poteſt, imò facilè peccatur, vbi aliqua dictarum conditionum deficit. ſed cùm tra-*Suprà cap. 13. §. 12.* ctim res agitur, eius nullũ eſt periculũ: quia difficulter peccabit Sacerdos cunctando, quamuis plurimum temporis inſumat. poterit quidem culpari vt imprudens in nonnullis caſibus (qui multi non ſunt, nec ordinarij) quòd non conformarit ſe temporis & loci, atque eiuſmodi circumſtantijs: ſed nullum erit peccatum contra regulas Miſſæ, nec miniſterium Sacerdotis, aut religionem quæ debetur, vbi facilè peccare poteſt is, qui feſtinat. ergo hoc magis, imò maximè eſt ſecurum.

Tertiò, prudenter id fieri, ex dictis infertur: magnam enim prudentiæ laudem meretur, in rebus grauiſſimis ſequi, quod magis eſt ſecurũ: ſicut is quidem merebitur, qui aliquò proficiſcens, non ſubibit rupes aſperas atque difficiles vbi vel ſemel pedem torquendo cum periculo concidat; ſed viam regiam certo fixoque greſſu ſectabitur.

Laudabilius eſt. Quartò addidi, rem eſſe maiori laude dignam: quia ad hoc me induxit quædam conſideratio ad rem faciens, & in qua ſæpenumerò ſum verſatus. Nimirum ſancti Patres & Eccleſiæ Doctores, cùm ſuo tempore vitiũ aliquod ſeu error prævaleret, eum conati ſunt euellere doctrinâ, prædicatione, conſuetudine contrariâ, vt ſic virtutem à vitio, veritatem ab errore vindicarent. plurima ſuppetunt

sunt exempla in eorum monumentis: vnum duntaxat apponemus.

Viuente magno Augustino, error Pelagianorum inualescebat, quo tantum homini conferebatur potentiæ, vt dicerent ei sufficere vires naturæ & liberæ voluntatis, ad virtutes sibi parandas sine particulari Dei gratia & auxilio: hinc S. Doctor tanto conatu contrariam opinionem asseruit, probando necessitatem, quam habemus, gratiæ, & parum aut nihil, quod habemus, virium nostrarum; vt in huius confirmationem multa dixerit, quæ si hodie dicerentur, plus explicationis indigerent, ne studere videremur errori contrario, quo hæc tempora hæretici labefactant. Quod & plures fecerunt in simili occasione, tam in doctrina, quàm in consuetudine & praxi.

Etenim huic conformiter iudico, hisce communium temporum casibus, cùm præualeat abusus admodum vitiosus, vt Missæ irreuerenter, & summâ festinatione absoluantur; iudico, inquam, rem fore omni laude dignam, si error iste, per sibi contrarium, exstirpetur. Vnde quibus Dei cultus & religio est cordi, pro viribus suis conabuntur hanc pessimam consuetudinem eradicare: quod vt fiat, non tantùm persuadeant sibi tolerari debere, vt Missæ satis longâ & prolixâ morâ dicantur; sed dici etiam & clamari oportere, hanc rem esse, quæ veram & solidam laudem mereatur. Pium est exstirpare abusum accelerandi.

§. II.

QVæ dicta sunt præcedenti conclusione, intelligas seruatis prudentiæ legibus, ad quam perti- Prædicta prudenter sunt implenda.

pertinet loci & temporis, atq; eiuſmodi circun-ſtantias dijudicare, & cum ijſdem, quantum res feret, ſine detrimento ſe componere. Dicamus exempli cauſa, Paſtor aut Beneficiatus, qui ex obligatione Miſſam dicit coram ſubditis ſuis, quam illi audire tenentur aliàs non audituri: ſi talis nouerit ob ſuam tarditatem & moram, magnum excitari tædium, & poſſe eſſe cauſam, quo minus illi ſacrum audiant; ſingularem guſtum & religionem ſuam, audientium debet poſtponere vtilitati: modò in ſupradictis conditionibus nullus adſit defectus. Religioſi verò, quibus ex obedientia commune onus leuare incumbit, ita ſe debent conformare, vt obligationi ſuæ reſpondeant, & normam ſequantur communitatis, ne in iſto deficiant: loquimur enim de mora voluntaria: voluntarium verò ei, quod obligat, ſemper debet poſtponi. Hi, ſimileſq; caſus, à Concluſione poſita generatim excipiuntur, qui cum prudentia iudicandi ſunt: nam hæc eſt norma bonarum actionum: quæ, illa deficiente, de genere malarum, ſeu mauis vitioſæ eſſe poſſunt.

In publico Miſſis extremè longis abſtinendũ.

Vniuerſum prudentia eſt, vt ij, qui publicè eo loco celebrant, quò cateruatim populus confluit, moras extremas non trahant, & audientibus inuſitatas. Verùm id accipi debet, de mora verè extremâ & nimiùm excedente, quam aliqui, quos ipſe etiam audiui, trahunt per duas horas, horamúe cum media, aut plùs minùs: nec debet intelligi de ea, quæ vulgo, cum tamen nõ ſit, extrema dicitur: id enim contingit præ abuſu & reſpectu Miſſarũ, quæ nimiùm accelerantur: nam & ſic Miſſæ mo-

deratæ

deratæ quamuis breues ſatis ſint, appellantur longæ & extremæ ab his, qui ſi mediâ horulâ ſacro interſint, maximam ſentiunt difficultatem; cùm nullo afficiantur tædio, ſi totos dies luſibus & voluptatbus abſumant.

Vt verò declarem ex animi ſententia, quam moram iudicem extremam, dico, Miſſam illam, quæ tres horæ quadrantes durat, quin & hora integra, modò vltrà non trahatur, minimè pro extrema tenendam eſſe. Quamuis enim minore ſpatio dici poſſit, non tamen adſtringatur Sacerdos neceſſe eſt ad eam breuitatem, quam, ſi conetur, ſeruare & ritè poteſt; ſed ipſi latitudo quædam relinquenda eſt, vt modeſtè & grauiter id queat perficere, quòd maximè ſeriũ Eccleſia veneratur. *Quæ mora vocetur extrema.*

Profectò res eſt intolerabilis, & clariſſima dæmonis tentatio, videri plurimos, qui nullis negotijs diſtinentur, & horas quaſi innumeras fabulis, luſibus, murmurationibus, ac peioribus fortè peccatis terunt: qui ſi ad ſacrum audituri veniant, tempus non per horas, nec quadrantes, ſed per inſtantia & momenta, dimetiantur. quid aliud videntur indicare, quàm non vt audituros ſe adeſſe, ſed vt cum cæteris debitum videantur exſoluere, & quia hominibus probis, & honeſto loco natis, probro ducitur non quotidiè Miſſarum ſolemnibus intereſſe? quod quidem valdè laudabile eſt, ſed ita audire cum tædio, admodum vitioſum. Et hoc redarguit Auguſtinus (vnde vitij huius antiquitatem licet æſtimare) hiſce verbis: *Adhuc quoque (quod valdè dolendum eſt) conqueri vobiſcum volo, quòd ſunt aliqui, & maximè potentes iſtius mundi, qui dum veniunt* *Auguſtin. ſerm. 251. de Temp.*

veniunt ad Ecclesiam, non sunt deuoti ad laudes Dei, sed cogunt Presbyterum, vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam & auaritiam, quatenus vnus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium, simul cum nocte, ad eorum deputetur voluptates.

Sacerdotes magis sunt culpandi quàm seculares.

Enimuerò si seculares tantâ reprehensione digni videntur; quid dicendum de Ecclesiasticis, si eodem vitio, & peiori fortassis, laborent? certè aperiant oculos, & temporis videant, vbi collocent, interualla: considerent vtrum illud ipsum tempus, quod tam est pretiosum, in altero quàm in hoc meliùs possit impendi. Vbi verò nihil esse adeò graue, adeò religiosum & tantâ dignum veneratione deprehendent (quòd supra satis superque declaratum est;) tunc aliquando desinant parcere tempori in re amplissimâ, & summæ vtilitatis, cùm in rebus nihili, vanis, ijsdemq; sæpè vitiosis tempus prodigant: ac fateantur meram dæmonis esse vexationem, citò eo munere velle perfungi, quod ipsis proprium & essentiale incumbit.

In hoc Tract. c. 8.

CAPVT XV.

Vtrum Sacerdotes abbreuiare Missam debeant, vt conforment se audientium voluntati, ne tædio afficiantur.

VT nemo Sacerdotum se excusare possit, quòd se audientium conformet voluntati, ne tædio afficiantur, (quæ erat aduersariorum ratio) respondebitur huic, & radicem expendemus, qua-

In hoc tract. c. 13.

nam ſit iſta obligatio, quâ Sacerdos teneatur audientium parêre voluntati, & ſuam eorum poſtponere deuotioni. quod intellige de mora voluntaria: nam ea, quæ neceſſariò adhibenda eſt, nullo modo poteſt omitti aut abbreuiari: neque etiam Miſſas intellige, quæ verè extremæ ſunt & exceſſiuæ: quippe & has in publico celebrare imprudentiæ foret. Sed loquimur de iſtis, quæ mediocres ſunt & moderatæ, quamuis magis ad extremum moræ quàm breuitatis accedant: de quibus proinde, quæ ſequuntur, intelligenda ſunt.

Dico igitur primò, quòd Sacerdos non debeat præſumere, audientes tædio affici, ſi tractim celebret & cunctâter: nec enim temerè licet iudicare de proximo: hic verò peccat, ſi tædio afficiatur: ergo illud nec debet præſumi. Quòd autē ille peccet clarum eſt, quia tædet eius rei, quæ per ſe bona eſt, & laude digna, vt oſtendimus. Ac magis id clarè conſtat ex eo quòd ille, qui temporis huius iacturâ putat ſe priuari, alia diei interualla liberrimè nugis & illicitis ſæpè abſumat: ergo vitiosè agit, quòd ideò tædium concipiat, cùm nullum temporis momentum meliùs vnquam collocatum ſit, aut collocari poſſit. ergo Sacerdos id non debet præſumere: potiùs opinetur, ſicut ipſe accedit vt Miſſam dicat reuerenter & tractim; ita eandem omnes audituros.

Præſumi non debet auditores cum tædio intereſſe.

Cap. præced.

Dices, huic piæ opinioni locum non eſſe, cùm id ab omnibus ſatis apertè dicatur. Agnoſco ſine fronte mundum, agnoſco & fateor omnē religionem adeò perditam eſſe & proſcriptam, vt vbi Sacerdos abſoluit, det Deus, ne priuſquam abſol-

uat,

uat, dicant illi in faciem esse hominem tristem & molestum, quodque aliàs eum facilè sint cogituri. Sed ad hoc

Sacerdos non omittat suam deuotionem, propter audientes.

Dico secundò: etsi constet Sacerdoti quòd auditores ob Missam tardiorem, tædio & molestiâ afficiantur: non tamen idcirco tenetur festinare, sed eâ quiete & morâ pergat, quâ Deus dederit feruorem pietatis. Hæc conclusio obiter attenti, dura videbitur & nimis tristis: sed ratione suâ ita figitur, vt tanquam euidens à Theologis habeatur. S. Thomas in materia de caritate, ex proposito quæstionem instituit, *De ordine diligendorum in caritate.* Multum nempe interest scire, in caritate ordinem quemdam esse, atque alia præ alijs obtinere locum, & anteponi debere: secundùm hoc quod dicit sponsa Ecclesia, seu anima sancta: *Ordinauit in me caritatem.* Resolutio autem quam ponit S. Doctor, cuius mentem Theologi omnes in hoc sequuntur, ista est: *Cùm Deus sit obiectum, ac beatitudinis causa: ipse quoque magis ac priùs diligendus est.* adeò vt illa, quæ spectant ad honorem cultumque diuinum, cæteris omnibus longè ante ponenda sint. post Dei amorem, sese ipse plus amare debet homo quoad animam, & ea quæ spiritalia sunt: plus inquam, quàm omnes proximos: & hoc sensu verum est adagium, *Caritas benè ordinata, incipit à seipso.* inde amare tenetur animas & bonum spiritale proximorum: cui succedit amor erga bona corporis propria & proximorum: in quo liberum est alienas proprijs anteponere vtilitates. quod tamen in bonis spiritalibus locum non habet. Nam de his ait Christus, quamuis & spiritalia esse

2. 2. q. 26.

Cant. 2.

Ordo in caritate.

Art. 2.

Art. 4.

ai-

animorum: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* *Matt. 16.*

Hæc Theologia cùm sit certissima; sequitur etiam Sacerdotem non rectè facturum si propter tædium, quod auditores patiuntur, indebitè, quodque est externum quid & corporale, omittat eo modo celebrare quem iudicat optimum, cùm in hoc cultui diuino detrahatur. An ob exiguũ proximi damnum, quod adfert ista molestia, emolumentum animi negligemus, quod percipitur maximum reuerenter & deuotè celebrando?

Rationis huius efficacia magis intelligetur hoc pacto: Certum est peccare eum, qui non castigârit siue admonuerit proximum de hac re, quam coniecturâ probabili intelligit fore eidem ad salutem mentis, quamuis illum putet afficiẽdum esse molestia ex hoc monito seu correctione: bonum enim spiritale huic fastidio debet anteponi. Ergo turpius aget ille, qui propter idem incommodũ, quod fortè incurret, proprium sibi damnum patietur omissione eius rei, quæ animo potest magnam vtilitatem adferre, quandoquidem spiritale bonum tibi proprium, pluris quàm proximi debeat æstimari.

Sed contradicet aliquis, auditores non tantùm tædio affici & fastidire; verùm etiam offendi & scandalum sumere: capiunt enim ansam murmuris & impatienter stomachandi, aliorumque peccatorum; adeò vt iam animis incommoda impendeant: quæ vt euitentur, consequenter dicendũ est, Sacerdoti conuenire, singularem suam deuotionem proximis condonare. Hæc est replica

Non est credendū auditores scandalizari ex Missa tardiore.

quæ in hac difficultate maximè vrget, ad quam

Dico primò, mihi non videri credibile, vnde nec concedendum, quòd auditores scandalum accipiāt, si Sacerdos tractim celebret, licet tædio & molestiâ afficiantur. quod ex hoc facilè colligitur. Nam si eos, qui hunc Sacerdotem tardum fugiunt, & quærunt magis expeditum, si hos, inquam, percuncteris, vter illorum meliùs suo munere fungatur, & dicant ex animi religione & conscientiâ, procul dubio erit, vt iudicent pro illo, quem fugiunt: licet tamen contrarium dicerent, profectò sequerentur libidinis suæ affectum, cùm illud afferat dictamen rationis. ergo hic verum dabit scandalum, non iste qui ritè & religiosè munus suum obit.

Imò scandalizentur, non idcirco accelerer.

Verùm ita sit, & nouerit Sacerdos scandalum accipi, quid facere tenetur? Respondeo, quamuis sciat Sacerdos, quia moratur, ab audientibus ansam arripi murmuris & stomachandi, ac similium peccatorum: non idcirco desinat celebrare eo modo, quem putat optimū, qui conformis suæ deuotioni, & maximā vtilitatem animo est allaturus.

Hæc responsio durior videri posset, quàm reliqua antè dicta: sed si examinetur, prout suo nititur fundamento, certa est æquè, & eandem cum alijs habet veritatem.

S. Thom. 2.2. q. 43. art. 7.

S. Thomas, vbi tractat de materia scandali, hāc proprijs terminis mouet quæstionem.

Vtrùm bona spiritualia, sint propter scandalum dimittenda? & de his ipsis, vt patet, sermonem habemus. Respondet ille cum distinctione. Si scandalum procedit ex infirmitate vel ignorantia (si putet m

art. 7. in corpore.

v.g. aliquis malè agere, cùm fallatur:) propter hoc bona spiritualia sunt vel occultanda, vel etiam interdum differenda: vbi periculum non imminet, quousque redditâ ratione huiusmodi scandalum cesset. Si autem post redditam rationem scandalum duret; iam videtur ex malitia esse, nec ea sunt omittenda, quæ ad virtutis incrementa spectant. Vnde si scandalum quod ex eis oritur, ex malitia procedit & peruersa libidine, *cùm volunt impedire huiusmodi spiritualia bona*, nihil id curandum est, nec vel hilum à re optima discedendum. Hoc docet Christus Discipulos: interrogantibus enim, *Magister, scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* Respondet: *Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum.* Et generatim sciebat ille, quòd plures ex doctrinâ suâ offenderentur, & occasionem arriperent grauiùs delinquendi. quod & testatur: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* additque pro re admodum singulari: *Beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* fuerunt enim pauci, qui scandalum non acceperunt: sed nec ideò conciones, miracula, aut bona virtutum exempla omisit: cùm tamẽ solâ omissione, omne id damnum potuisset euitari. Alia esset ratio in ijs rebus, quæ corporales sunt, & ad bonum vel malum indifferentes: possunt nempe illæ sine aliquo detrimento omitti. Et quamuis ad hoc nemo obligetur, maioris tamen est virtutis, non facere, vt scandalum proximi vel purè passiuum euitetur. sic consulit Apostolus, cùm ait: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Vbi aduertit

Matth. 15.

Ex Christi doctrina & miraculis, multi scandalizati.

Ioan. 15.

Matth. 11.

1. Cor. 8.

S. Thomas in explicatione huius: *Perfectionis illa abstinentia est, non necessitatis.* Et vlteriùs aduertit, abstinendum sic esse à carnibus, quæ superfluæ esse possunt, & quas si non comedam, nihil patiar: sed hanc rationem non militare vt abstineam pane & vino, quamuis sciam scandalum certò oriturum: multò igitur minùs abstinendum erit à prædicatione, à literarum omissione, alijsque rebus spiritalibus & fructuosis, quamuis hinc multi offendantur. quod & factum fuit, teste eodem Apostolo: *Prædicamus Iesum Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*

Probatur ex dictis conclusio.

Porrò secundùm hanc veram communemque Theologiam, clarè videbitur veritas responsionis. Certũ quippe est, quòd ij qui offenduntur ex eo, quòd Missa tardiùs absoluitur, non peccent ex ignorantia nec ex infirmitate, quòd existiment malè agere Sacerdotem; quod inde patet, quia nulla ratione reddita ipsis satisfiet: vnde superuacaneum erit, dare rationem eius rei, de qua tamen animo imbibêre opinionem, vt eam perdito affectu & inueterata pertinacia nunquam sint depos
ituri; cùm omnem spiritalium rerum amiserint saporem. ergo ipsorum scandalum minimè curandum est; quòd si offendantur, sibi imputent: & si fastidiant, aliam Missam vestigent. sed hoc ita videat Deus, vt nullam reperire possint, quæ placeat: omnesque Sacerdotes ita sint religiosi & prudentes, vt officio suo fungantur, ea, qua conuenit, grauitate & reuerentia; nec æstiment allatrantes impios, quorum clamoribus obedire, est rem nullam velle terminare.

CA-

CAPVT XVI.

De honore & reuerentiâ, quæ templis locisq; sacratis debetur, vbi sanctissimum Sacrificium offertur.

PRo huius complemento doctrinæ, quæ pertinet ad cultum Missæ externum, duo principaliter supersunt tractanda. Vnum de reuerentiâ, quæ templis locisque sacratis, in quibus Missæ fiunt, debetur. Alterum de munditiâ & nitore, qui in ornamentis, vasis, sindonibus, cæteraq; Ecclesię supellectili, seruandus est. Quæ duo, hoc præsertim tempore, omninò curanda sunt: quamuis autem cunctis Christianis necessaria sint; maximè tamen Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris: qui ad hæc magis præcisè obligantur, & quibus ea ex officio incumbunt, tum vt seruent ipsi, tum vt curent seruari. Ita affirmat S. Ambrosius hisce verbis: *Maximè Sacerdoti conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.* *Ambr. lib. 2. de offic. c. 21.*

§. I.

Ecclesias, verè & propriè Dei domos appellari & esse.

QVOAD primum, sufficeret aperire oculos fidei, & considerare eas esse domos Dei: sic enim in sacris frequenter appellantur, vt à Christo apud Ioannem: *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Et apud Matthæum, ab eodem adferun- *Christus templum vocat domum Patris. Ioan. 2. Matth. 21.*

Isai. 56. runtur verba Prophetæ: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Factum verò, quod in duobus istis Euangelij locis memoratur, notatu dignum est, & magnâ ad hoc propositū consideratione. tanta enim fuit Christi modestia & mansuetudo, tamque admirabilis, vt in toto vitæ decursu nullum crimen hoc excepto, proprijs ipse manibus castigârit, cùm plures tamen occasiones fuissent oblatæ: semel enim præcipitem dare voluerunt, sæpiùs lapidare, sæpiùs calumnijs obruerunt: at nihil de sua benignitate aut mansuetudine remisit, & maximâ semper vsus est erga peccatores benignitate, adeo vt nunquam contra eos argumentum dederit iracundiæ, nedum vindictæ aut seueritatis. imò redarguit Discipulos, qui ignem volebant excitare in Samaritanos, quòd fuissent tam inhumani, vt Christum cum suis prohiberent ciuitate. Nihil his omnibus commotus, cùm primùm Hierosolymam intrâsset, vbi vidit aliquorum impudentiam, qui in templo negotiari auderent (quamui in ijs quæ pertinebant ad sacrificiorū oblationes) tanta fuit iracundiâ inflammatus, vt vendentium mensas subuertens pecuniaque effusa, additisque verbis asperis & vehementibus, è templo omnes flagellando expulerit. ferebat nempe hoc tam grauiter vt latrones eos esse increpitaret: ait enim *Fecistis illam* (domum meam) *speluncam latronum.* nec tūc solùm initio prædicationis, sed & in fine eiusdem cùm postridiè Palmarum templum esset ingressus. Quo facinore indicauit, quanto ferretur zelo, vt decor & religio domi suę seruaretur: nam vt diximus, tantùm hîc indignatione commotus est,

Luca 9.

Matth. 21. Bis eiecit vendentes & ementes.

est, eaque singulari: & ita incipere prædicationem voluit & terminare. Quod monet Euangelista, vbi dicit, memoratos fuisse Discipulos eius, quod scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Psalm 68.

Aduerte porrò, nō solùm Ecclesias nostras vocari domos Dei ea de causa, qua templū Hierosolymorū, quod toties & tam absolutè sic appellatur, quia ibi esset Arca Dei, & Deus ipse ibidme coleretur, sacrificia offerrentur, orationes petitionesq; fierent; sed etiam longè maiori proprietate, & ob rationem magis principalē, quæ vna templis Christianis potest conuenire: nimirum quia idem Deus in his habitet realiter & personaliter in Sā̃ctissimo Sacramento: in quo persona est Verbi diuini, eiusdemq; Vnigeniti Filij Dei, magis singulari modo, quā in cunctis partibus vniuersi: nam non solū diuinitate præsens existit, quā toti mūdo æqualiter per essentiam, præsentiam, & potentiam; sed etiā sacratissimâ humanitate Saluatoris, quæ in cælo tantū empyreo sedet ad dexteram Patris, & eâdē omnino maiestate & gloria in altari sistitur, quāuis sub tegumento specierum. Hoc promisit Christus Discipulis, cùm expleto redemptionis opere ad Patrem esset transiturus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

In Ecclesia peculiari ratione est Christus præsens.

Matth. vlt.

Quod sanè priuilegium est maximum populi Christiani, & vnde meritò gloriari possit. Habet nempe Iesum Dei Filium pro vicino & velut ciue in omni Ecclesiâ, adeò vt non sit gens tam humilis, tam abiecta, in cuius ditione, si modò Christum nouit, hanc non colat habitationem, & in-

Magnum est, Christum esse incolam Ecclesiæ.

ſtar aliorum incolarum haberi velit: ſi enim duo decim ſint; illâ accedente iam eſſe tredecim negare non poſſumus; quo beneficio ac fauore ſuos ſibi voluit obſtringere ac demereri.

Rem profectò dignam omni æſtimatione, dignam ampliori reuerentiâ, quàm quâ illam nos ingrati veneramur. Proinde dixi, vt excuſemur ab huius plenâ doctrinâ & explicatione, ſufficere, vt apertis fidei oculis conſideremus, vnumquodque templum eſſe domum Dei, & in ſingulis verè & perſonaliter Ieſum Chriſtum Saluatorem exiſtere. Etenim cùm dicitur Maieſtatem ibi eſſe diuinam; res eſt, citra dubitationem, certiſſima ibidem congregatos eſſe innumeros Angelos, qui palatium quoddam vallando exſtruant, & Dei Maieſtatem laudibus proſequantur. Sic affirmant communiter Sancti: & in noſtro Breuiario Carthuſienſi, quod in Eccleſia eſt antiquiſſimum, tanquam certum hoc præſupponitur: vnde in oratione ad Completorium ſic precamur: *Viſita, quæſumus, Domine, habitationem iſtam, & Angeli tui ſancti habitantes in ea, nos in pace cuſtodiant.* & Apoſtolus videtur aſſerere ad Hebræos, vbi dicit: *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & acceſſibilem ignem: ſed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum.*

In noſtris templis multitudo Angelorum.

Hebr. 12.

Hoc cùm verè ita ſit; tantū opus eſt aperiamus oculos, & expēdamus id diligēter, certè nulla alia inſtructione egemus, vt loca ſacra proſequamur honore & reuerētiâ: vtpote ſunt domus Dei, quas ipſe colit, & in quibus beati ſpiritus commorātur.

§. II.

§. II.

De honore & reuerentiâ, quæ templis & locis sacris debetur: quia antiquitus in magna sunt habita veneratione.

ANtiquum est, exploratumque, mentem fuisse Dei, vt ijs locis, in quibus ipse esset, aut se aliquando manifestâsset, magnus honos haberetur. Iacob fugientem à furore Esau, nox in ericeto deprehendit: qui somnians vidit scalam, quæ à terra cælum vsque pertingeret, quâ Angeli & descenderent & ascenderent, & Deus in summitate illius. experrectus ille, tantam erga hunc locum concepit venerationem, vt dixerit timore sancto perculsus: *Quàm terribilis est locus iste! verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Atque in huius testimonium consecrauit locum istum, erexitque lapidem, quo fuerat vsus ceruicali, in titulum, oleoque inunxit vt locus ob Dei visionem coleretur, & sanctitate haberetur conspicuus: ciuitas verò adiacens, Luza nomine, ab eo vocata est Bethel, id est, domus Dei: quod exinde nomen illi permansit. *Gen. 21.* Iacob locum, in quo Deum viderat, honorauit.

Cùm pasceret Moyses gregem soceri sui, eumque ageret per loca maximè opaca & solitaria montis Horeb, apparuit illi Deus mirabiliter in rubo ardente & tamen incombusto. hîc ad tam grande mysterium volentem accedere, prohibuit Angelus dicens: *Non appropies huc: locus enim in quo stas, terra sancta est. solue* tamen *calceamentum de pedibus tuis*, & sic veni cum reuerentia & timore. Quod *Exod. 3.*

Item Moyses. vbi percepit Moyses, territus *abscondit faciem suam, non enim audebat adspicere contra Deum.* & ex hoc mons iste magnâ in veneratione est habitus, appellatusque est mons Sanctus, siue mons Dei, vt patet 3. *Regum*, vbi vocatur mons Dei. Sic etiam montem Thabor appellat Petrus Apostolus, in quo semel tantùm transfiguratione Christus gloriam suam & maiestatem ostenderat: ait enim: *Cùm essemus cum ipso in monte sancto.*

3. *Reg.* 19.

Nostra tẽpla potiùs honoranda. Enimuerò si loca ista culta sint tanto honore, quòd vnis vicibus se Deus ibi manifestâsset; quæ non reuerentia nostris templis debetur, quæ Deus ipse inhabitat, & vbi velut in domo propria moratur: vbi tam mirabilia conficit, & hominem innumeris beneficijs obstringit?

Si verò sancti illi Patriarchæ tantum honorem ijs locis detulerunt, in quibus semel atque iterum Deum conspexere, aut certè Angelum eius nomine loquentem; quem non cultum nostris Ecclesijs exhibuissent, si tempore vixissent tam beato quo nos viuimus, nostram tamen felicitatem æstimare nescimus? Si Iacob tanto fuit timore perculsus & reuerentiâ, quòd vidisset scalam, cuius fastigium cælo ferebatur; quo non timore sancto percelleretur, si videret (quod ipsi in dies fidei oculis intuemur) descendentem à Patre Filiũ Dei, & ponentem se in manibus Sacerdotum? nec verò in somnis, sed visione magis certâ, quàm sit oculorum, magis certâ quàm tactûs manuum. Potiori iure hîc exclamâsset: *Quàm terribilis est locus iste! verè Dominus est in loco isto. non est hîc aliud, nisi domus Dei & porta cæli!* Sanctus item Moyses si faciem

ciem auertit, nec rubum ex quo Angelus loquebatur, ausus est intueri; quid faceret ad aspectum Sanctissimi Sacramenti, præsertim vbi de fide nosset, ibi esse Deum in persona, hominem factum, nostrâ carne circumdatum, qui sic agit cum hominibus, vt ab his tractetur, & in cibum excipiatur? nihil est quod huic possit comparari. O sancti Patriarchæ, sicut è cælo cum pudore nostras intuemini sordes & rusticitatem, qui templis honorem deferre nescimus, nec ea intrare & ibidem assistere, quâ par est, reuerentiâ curamus; ita procul dubio iudices nostri eritis, arguendo nos fuisse ignaros vrbanitatis, rudes in imitanda virtute, qui ne quidem vestro exemplo Ecclesias & loca sanctissima, longeque excellentiora antiquis, honore fuerimus prosecuti.

CAPVT XVII.

De munditia & nitore, qui in templis adhibendus est, atque in ijs quæ ad Missæ sacrificium apparantur.

§. I.

PRÆASSERTO templa esse Dei domos, quæ ipse inhabitet, & in quibus suum velit cultum promoueri; satis etiam constat quid requiri possit quantum ad ornatum, compositionem, & excellentiam loci, omniumque rerum, quæ ad cultum summi Monarchæ deputantur. Porrò videmus quantâ id curâ, quantoque studio in Regum pa-

latijs

latijs obseruetur; quantâ sedulitate, ea quæ ad ipsum Regem, ad mensam regiam & ad quodlibet aulæ obsequium spectant, curentur: quâ non diligentiâ efficitur, vt omnia ditia sint, omnia pretiosa? nihil insit, quod sordium aliquid contineat, nec munditiâ singulari commendetur? qui verò Principi assistunt promptissimi ad quemlibet nutum, tunicis incedant præstantibus adornati, & distinctis ab habitu reliquorum? omnia denique regiæ domus ornamenta, & quidquid illa continetur, tantæ respondeant Maiestati? O Domine, & Rex sæculorum immortalis, cuius infinita est Maiestas, cuique millia millium Angelorum famulantur, nonne pudor est conferre terrenum aliquod reptile, vermem vilissimum, cum tuâ immensâ dignitate & potentiâ? numquid dolendum est maximè, cultum tuum quasi neglectum iacere, respectu eius qui huius mundi Principibus exhibetur, domum tuam, in qua præsens realiter existis, ita esse incultam, vt pænè nihil sit, quod Maiestatis tuæ amplitudinem testetur? Tibi templa nostra inhabitanti, maxima Angelorum multitudo assistit, ministri cælestes: Nos, qui in terris versamur, ita immemores sumus officiorum, tam rudes humanitatis, vt ea, quæ obsequijs tuis mancipata sunt, tractare nesciamus reuerenter, nec debitâ veneratione, ne quidem illa quæ mortalibus conuenit maximè. Profectò neminem esse arbitror, qui aliquo zelo moueatur, si hæc inspexerit, quin pectus ei dolore rumpatur, & turpitudinem nostram ac immunditiã nullatenus excusandam putet.

Comparãtur palatia Regum & templa.

Etenim

Etenim quamuis multa ſint delicta, quæ communiter hac negligentiâ committuntur; omiſſis iis in quibus tam ſeculares quam Eccleſiaſtici offendunt, ſpeciatim Sacerdotes admonemus, in iſtis ſint diligentes, quæ ſibi ex muneris obligatione incumbunt. Nam ſi in his defecerint, cùm ipſi exemplo ſint, id etiam à ſe iure poſſe fieri ſeculares exiſtimabunt.

Dici non poteſt ſine lacrymis: quis enim ſibi ab his temperet? cùm Eccleſias viderit, quæ nec apparentiam templorum aut domûs Dei præſeferunt, nec alicuius nobilis, ne quidem pauperis alicuius miniſtri videntur eſſe (quiuis enim confunderetur eas tantis ſordibus obſoleſcere:) adeò vt potiùs caſa ruſtica dici poſſit, aut hara pecorum, quàm domus Dei. licet verò pudor ſit hiſce verbis vti; maior tamen eſt ignominia, rem ita ſe habere. Ornamenta altaris tam ſunt abiecta, tam lacroſa, tam nuda omni ornatu: Sacerdotum † tunicæ tam viles & contaminatæ: ac, quod præ cæteris deplorandum eſt, ipſa altaria, in quibus tremenda myſteria celebrantur, tam craſſo ſunt oblita puluere, tam ab omni nitore aliena: ſindones, quæ ad vſum pertinent Miſſarum, tam ſunt ſordidæ & ſitu quodam iniucundæ, vt nauſeam excitent & faſtidio adhæreant: nec enim clericus eſt, quantumuis pauper & humilis, quem non puderet huiuſmodi mantilia ad menſæ vſum adhibere. Quin & ipſe calix ſordibus oppletus: Corporalia, vt vocant; maculoſa, immunda: quidquid denique diuino cultui & ſacris miniſterijs deputatum eſt, tam procul ab omni abeſt decoro ac mun-

Dolendũ eſt templa & ornamenta eſſe tam ſordida & immunda.

† *Al.* albæ & amictus.

mun-

munditia, vt non sit apparentia maiestatis aut venerationis, imò videantur omnia deuotionis impedire affectum, omnem honorem & reuerentiam eliminare. Quæ si intuerentur hæretici, pagani conspicerent, cui esse dubium potest, quin ludibrio haberent Christianos, & fidei nostræ mysteria deriderent?

Hîc ita deficiunt verba (atque adeò nulla est exaggeratio) vt veritas longè excedat ea, quæ dicuntur: nec enim dici potest aut credi, quod in hoc oculis datur videre. Porrò nihil dixi ampliter, cùm in multis id esse Ecclesijs affirmaui: certè omnibus commune ferè est. demptis quippe Religiosorum, qui diligentiorem nauant operam, & nonnullis Cathedralibus, nonnullisque alijs, quæ paucæ admodum sunt; res est maximè deflenda, cæteras omnes in pagis & apud eos incolas & ciues qui paruo numero sunt, ita negligi & incultas iacere. quin & in maioribus & ditioribus nonnunquam tantus est defectus, vt meritò pudeat Ecclesiasticos, quòd tam parum illa curent & æstiment, quæ in obsequium cultumque diuinum sunt adhibenda.

§. II.

QVÆ vt excusentur, non sufficit dicere, Ecclesias pauperes esse: quod in omnibus fere locum habet. Nam ad hoc, quod commendamus, non opes Crœsi, sed Dei amor & timor, ac zelus ad cultum eiusdem promouendum requiruntur. Nec petimus vt magnificè templa exstruantur, ornamenta cæteraq; ex auro gemmisque sint diti-

ditissima. quod si procurari posset, rectè quidem: diuitiæ enim meliùs nunquam applicantur, quàm in obsequium illius qui vniuersa vt Dominus moderatur. nimirum agnoscit homo, se à Deo quæ acceperit, eidem referre accepta, cùm optima quæque in seruitium creatoris effundit. Et hæc reuera ita sunt exposita & impensa, vt cum vsura recepturus sit: rumpatur inuidiâ hæreticus, quem excæcauit auaritia, maceretur sus Bœotica & grunniat dissipari opes, quæ sic expenduntur. Profectò quisquis id dixerit, Iudæ hunc esse similem negare non possum, qui vnguentum in Christi pedes effundi ægrè tulit & murmurauit. Vtinam daretur materia hîc copiosa, vnde stomachandi ansam arripere possent hæretici! parum aut nihil damni istorum adferunt murmura, qui, vt solent, res iustissimas & optimâ cũ ratione coniunctas arguunt sine fundamento, cùm sanè errores ipsi grauissimos tueantur. Contrà verò homines religiosi, iure queri possunt, & deflere paupertatem Ecclesiarum, omniumq; eorum quæ ad cultum pertinent diuinum. eatenus causam habent maiorem plorandi, quatenus mortales excedunt in cultu corporis, & domuũ apparatu: datur enim videre Ecclesias ornamentis reliquisq; ad sacra ministeria spectantibus inanes & vacuas; hominum verò domicilia sericis aureisq; tapetibus exornata, arcas & conclauia vestibus referta pretiosis, armaria diuitibus plena vasis, ipsos denique torquibus Indicis Attalicoque vestitu rutilantes. Nec is regum dumtaxat est amictus, & eorum qui principes sunt ciuitatis (quod magis

Optimè applicantur diuitiæ cultui diuino.

Ioan. 12.

Homines in ornatu excedũt.

magis tolerari posset) verùm etiam sic incedunt i triuio nati, & proletariæ multitudinis plebecula cùm ergo hîc profusa intemperantia cernatur maior excitatur luctus, vbi paupertas templorun & ornatus penuria consideratur.

Enimuerò, vt dixi, aliquam habere posset ap parentiā excusatio, quòd Ecclesiæ pauperes sunt nec habent vnde comparari ornamenta possint & omnis apparatus, qui diues & pretiosus cultu diuino sacrisque mysterijs debetur: quapropter il lud iam non vrgebimus, cùm aliquâ ratione ni videatur. Sed id tantùm, quod nullo pacto negl gendum est, admonebimus; cùm istæ pauperc sint, saltem nitor aliquis & munditia adhibeatur omniaque, quæ ad Dei cultum pertinent, decor sint, & nullis obsoleta sordibus: adeò vt verè ap pareāt domus Dei, si non in diuitijs & supellectil copiosâ, saltem in nitore & religiosâ compositi ne. Quòd si acquiri non possint, antependia a taris argento auroque intexta; quæ tamen habe ri poterunt, munda habeantur, & suo nitore con cinna: altaria item decentia, sint ab omni puluer emundata: ornamenta tractentur benè, & su quæque armarijs recludantur: calices inuoluti sin velisque suis cooperti, ne, exceptis Sacerdotibu aut initiatis, quispiam eos attingat. Et quòd max mè commendatum esse velim; corporalia, purif catoria, cæteraque ad Missæ vsum deputata, pu & nitida habeantur: nam ad hoc nullis opus e diuitijs, sed tantùm, vt diximus, amore Dei & t more, ac zelo promouendi cultûs diuini: quæ adsint, sine dubio, & absque difficultate, prædict

Non tam necessariæ sunt diuitiæ quam mūditia.

seru

seruabuntur; sin minùs, clarum est argumentum, non tam defectum diuitiarum, quàm amoris & religionis penuriam, in causa esse.

§. III.

Pro exemplo & instructione Sacerdotum addam hîc, quantâ diligentiâ Ordo Carthusiensis hanc munditiam & nitorem in rebus Ecclesiæ commendârit: vbi enim in Statutis mentio facta est, de omnibus ad sacrum Missæ & altaris ministerium pertinentibus, sequentia verba subnectuntur: *Omnia autem prædicta, munda sint, & honesta ac religiosa, & præsertim corporale & palla altaris quàm purißima sint, & quoties opus fuerit mutentur, quemadmodum & alia quæque tam Sacerdotis quàm altaris paramenta: & in his curandis, volumus sacristam cum omni diligentia inuigilare, ne quid aut vile, aut ruptum, vel sordidum, in sacrosancto altaris mysterio appareat.* Et eodem cap. mandant, vt cuncta lintea, quæ Ecclesiæ & diuino cultui deseruiunt, intra claustrum monachorum lauentur manibus eorumdem Sacerdotum, nec alijs quibuscunque foris lauanda mittantur: quin & ipsam aquam, siue lixiuium, in locum mundum & decentem iubet effundi. cùm verò trita fuerint vetustate, non proijciantur de Ecclesia, nec alteri vsui deputentur, sed consumantur & crementur ibidem, ac cineres in piscinã altaris dispergantur. Et hæc ipsi ita certis diebus exequimur, totam supellectilem lineam lauando, vt nullus exterorum manus apponat.

Carthusianis commendatur munditia in templo

Ex quâ religiosâ consuetudine decet haurire Sacerdotes, quanta curiositate & decoro res Ec-

cleſiæ cultuſque diuini debeant attrectari, cùm ad myſteria maxima condenda pertineant, & quibus fructus immortalis poſſit exſpectari. Vnde omnes obteſtor in viſceribus & amore Chriſti, cuius hîc honos periclitatur, omnem negligentiam nouâ corrigant ſedulitate, & agnoſcant multum ſe obſtringi ea, quam eſſe oſtendimus, religione. Porrò nouerint ſtrictam à Deo rationem exigendam eſſe, & grauiter pœnas ſe daturos, ſi in hoc non ea, quâ par eſt, diligentia vigilârint.

Secerdotes ob peccata ſecularium iudicandi.

Nec ſanè perſoluent tantùm quod ipſi deliquerint; ſed & peccata ſecularium, quæ nec minima, nec parua portione continentur. Nam exigua illa cura, quam Sacerdotes habent in rebus Eccleſiæ, & paruus decor, qui in iiſdem cernitur, cauſa ſine dubio, aut ſaltem occaſio eſt, cur iſti erga eaſdem res ſacras omnem exuant reuerentiam & venerationem. Obteſtor verò maiorem in modum, omnes Prælatos & Viſitatores, quibus hæc cura, hoc onus incumbit; obteſtor, inquam, ſingulorum veſtigijs aduolutus, per amorem & reuerentiam Dei noſtri, per viſcera miſericordiæ, & per immenſam caritatem, quâ nobis Corporis & Sanguinis ſui communicauit Sacramentum, attendant diligenter ſingulari curâ, vt negligentia circa hæc omnis corrigatur; aduigilent & leges ferant, vt in cunctis Eccleſijs & altaribus nitor appareat atque munditia, quæ non ſolùm in ſecularibus deuotionis excitet affectum, ſed etiam Eccleſiaſticos ad maiorem prouocet ſanctitatem.

§. IV.

NEc æstiment hanc rem parui momenti, cùm maximè referat, & Deus ipse ferat acerbissimè, si contrà peccetur. Quòd si hanc nihili fecerint, spero in tempore rationis (*est qui quærat & iudicet*) videbunt, & intelligent, fuerintne res nullo in pretio habendæ. Nec velim, persuadeant sibi, non decere Episcopum aut Vicarium, vt de Ecclesiarum nitore & munditia quærat, num calices, ornamenta, sindones habeantur nitidè & decorè: num sufficiens eorum sit numerus, vt mutari sæpiùs possint & diligenter adseruari: ac plura his similia, quæ parua videntur, cùm magna sint, & eiusmodi, quæ digna sunt omninò, vt in his Prælati & Pastores cultum Dei promoueant exteriorem.

Prælatis conuenit procurare munditiā & nitorem.

Quòd si illis hoc minimè videatur, meminerint nec indignum Deo reputatum fuisse, si ipse qui in omnia dominabatur, præscriberet singulatim quod in rebus minutissimis, quoad decorem & munditiam templi seruandum esset. Mandauit enim quondam, ne lampadas aliquis emungeret digito, sed emunctoria ad hoc essent, eaque ex auro fabrefacta, iuxtaque ponerentur lebetes item ex auro, aquâ pleni, in quos continuò ellychnia proijcerentur, ne ingratos excitarent odores, aut solum macularent. Ne vasa Tabernaculi cultusque diuini tangerentur, nisi à Sacerdotibus: cumque illa Leuitis darentur, non essent aperta, sed suis inuolutâ sindonibus. Neuè tunc quidem ea aliquis attingeret, aut curru vehenda imponeret,

Deus instituit minutissima.

ret, sed ipsi Leuitæ humeris suis deportarent: va-
riaque essent aromata, pastilli, pulueres pigmen-
tarij, vt iucunda esset in templo suauitas. imò mo-
mentum ac pondus singularum rerum, Deus ipse
minutatim ordinauit: aliaque his similia: quibus
ostendit, quanti æstimet ea, quæ ad cultum perti-
nent diuinum, sibique valdè acceptum esse, si mi-
nistri in hoc curiosi forent.

Abusus potest extirpari.

Aduertant præterea: quamuis apud vniuerso
obtinuerit abusus; non idcircò desperandum e
remedium inueniri posse, quod sine vllâ pen
difficultate potest adhiberi. Tantùm amor sit &
zelus cultûs diuini: hic enim media facilia suppe-
ditabit: quòd si ille deficiat, nec tantus sit, vt e
quæ hîc monemus, efficiantur; timorem salten
concipiant ob rationem, quæ strictissima a
omnibus, vt suprà ostensum est, exigetur.

CAPVT XVIII.

Deus magni facit, si res ad suum cultum dedicatæ, ornatæ sint & præstantes. D magnâ item obligatione, quâ Ecclesia stici huic obstringuntur.

§. I.

PRo maiori dictorum confirmatione, & vt con-
stet maximi à Deo æstimari, quòd res Ecclesi
præstantes sint, & nullis sordibus contaminata
dignum erit considerare ea, quæ in lege Domin
ordinauit. in illâ enim normam præscripsit c

mniu

mnium eorum quæ agenda sunt, & quomodo sacra munera sint obeunda.

Statim, vbi è seruitute Ægypti de gentibus idololatris populum suum asseruit, iussitque vt Rep. constituta cærimonias & ritus singulares exerceret, mandauit, vt sibi exstrueretur Tabernaculum, in quo ipse solus coleretur, & sibi decernerentur honores diuini. Quamuis verò domus ista tantùm duratura esset eo tempore, quo populus peregrinaretur in deserto, donec ad terram venisset promissionis, in quâ fixum erat habiturus templum, ac perpetuò stabilitum (vnde & ista portatilis necessariò erat, & quæ varijs partibus huc illuc posset circumferri) nihilominùs mirabilis fuit opulentia, magnificus ornatus, polities denique, qua facta est, mirabilis. Sanè tam singulari dispositione minutissimarum partium ipsemet distribuit officia, vt & Mosen docuerit formam, & typum dederit ac mensuram, ad quam singula deberent præparari. Sic habes Exodi 25. vbi postquàm Dominus Moysen oretenus instruxisset, subiunxit: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Enimuerò vt hæc omnia perficerentur decorè & summâ curiositate, noluit operam qnorumcunque impendi; sed artifices ipse elegit, quibus scientiam eorum quæ facienda essent, infudit: adeoque id verum est, vt istorum ingenium, in hoc duntaxat opere eluceret. quod latè ibidem tractatur, vbi & referuntur diuitiæ, quæ tanto operi insumptæ fuerunt, immensa auri argentique vis, lapides pretiosissimi, vestes ac telæ sericæ,

Diuitiæ Tabernaculi.

Deus formam eius præscripsit.

Exod. 25.

purpurâ ac hyacintho contextæ, ornamenta Sacerdotum admodum opulenta (vt ſuprà declaratum eſt,) tot cortinæ, tot vela & inuolucra, auro & ſerico ditiſſima; liquor verò in lampadibus *Aromata & oleum ad luminaria concinnanda*. Denique, quæcunque fuerunt ordinata, maieſtatem & amplitudinem Dei repræſentabant, & eum habebant ornatum atque excellentiam, quæ ad cultum diuinum maximè pertinebat.

Tract. 1. cap. 3. & Tract. 2. cap. 3.

Templū Salomonis ditiſſimum.

Poſtquam autem terram promiſſionis obtinuit Iſraël, templum ſibi voluit Deus ædificari fixum & ſtabilitum. Etenim res eſt admiratione digna, conſiderare omnes diuitias, apparatus & ſumptus, qui in hac æde magnificâ ſunt impenſi. Nam ſi hiſtorici illius ætatis aſſererent omnia quæ Scriptura teſtatur, nemini ſuam fidem probarent, nec credi hæc ab aliquo potuiſſent vnquam, niſi à Spiritu ſancto forent dicta & propalata ſacris monumentis: vnde totum credimus magis certò, quam id quod oculis intuemur, & manibus attrectamus.

Mira igitur commemorantur de huius ædificij ſtructurâ, diuitijs & maieſtate. Artificum, qui continuò per ſeptem annos huic operi intenderunt, ſcribuntur vltra ducenta millia, quibus adde præfectorum tria millia & ſexcentos: cumque ædificium tam eſſet excellens & ſuperbum, & tot in eo occuparentur, incredibili tamen ſilentio & quiete, quia Dei templum, perfectum eſt: adeò vt nec malleorum ictus audirentur: nam foris extra vrbem ita aptabantur lapides, ligna, omneſque cælaturæ, vt

opus

opus tantùm esset, vnumquodque suo loco poneretur. Totum ædificium marmoreum erat eatenus affabrè elaboratum, quatenus architectura vnquam posset. quin & ipsum cæmentum lapides erant quadrati, quorum cælatura erat admirabilis: cumque hæc essent admodum pretiosa, cooperta tamen sunt tabulis cedrinis: quarum figuræ artificiosè erant effictæ; ipsæ verò ita compactæ, *vt lapis omninò non appareret.* his iterum laminæ superadditæ ex auro purissimo: *Porrò aurum erat probatissimum, de cuius laminis texit domum, & trabes eius, & postes, & parietes, & ostia, sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent. Nihilq; erat in templo, quod non auro tegeretur. Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus.* Hæc breuiter dicta sint de opulentiâ & maiestate templi: quis verò præditus tantâ facultate dicendi, qui efferre se posse confidat numerum, varietatem, opes, pretium, elegantiam, pulcritudinemque vasorum? quis exprimat candelabra, mensas ex auro purissimo, quid, & † emunctoria & vasa in quæ ellychnia conijciebantur? dicit enim Scriptura: *Erat multitudo vasorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus æris.* quod & de auri copia intelligendum est. Nam si numeres id solùm, quod Dauid Rex huic operi implendo reliquit, inuenies *tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi.* Porrò vnumquodque talentum templi secundùm magis probabilem opinionem plus minùs 62. pondo auri æquabat: in quo innumerabilis thesaurus comprehenditur, excepto eo quem Salomon amplio-

2. Paral. cap. 3.

† *Al.* forcipes.

Ibid. c. 4.

Dauid quantum reliquerit tẽplo exstruendo.

1. Paral. 29.

pliorem & ditiorem adiecit. Quid dicemus de balsamo, quod olei instar lampades accendebat, quid de cæteris aromatibus, quæ in arâ thymiamatis perpetim adolebantur? meâ quidem sententiâ nihil potest expeti aut intelligi, quod maiorem præ se ferat opulentiam & maiestatem. quæ licet tam magnifica essent, videbatur tamen Salomoni rem esse humilem & abiectam, casam esse rusticam præ diuinâ magnitudine, quam se in habitare velle Deus prædixerat, aiebat enim: *Ergone credibile est, quòd habitet Deus cum hominibus super terram? si cælum & cæli cælorum te capere non possunt quanto magis domus hæc quam ædificaui?*

3. Reg. 8.

O Domine Deus noster, Rex totius vniuersi, meritò Sapiens ille tuus iudicauit, omnes diuitias hominum in cultũ & obsequium tuũ optimè impendi, & quodcunque offerimus nihil esse præ eo quod debemus. sine dubio ita est, & dignum ita cõsideremus & intelligamus, rem esse scilicet consonam rationi & voluntati diuinæ, vt quæcunque eius cultui applicantur, ditia sint, ornata & polita, quoad in hominis situm erit potestate: contrà, Deum grauiter offendi, si notabilis fuerit defectus & negligentia. Sic iudicârunt omnes Sancti: vnde & in nascẽtis Ecclesiæ exordio, quãuis Christiani maximam colerent paupertatem in ijs quæ ad proprios vsus pertinerent; in templis tamen cultuque diuino opes ponebant maximas, & omnem facultatem. quo factum vt & tunc plurima haberent vasa aurea atque argentea, ornamenta admodum pretiosa, thesauros Ecclesiæ satis luculentos. & hos commendasse Papam

In Ecclesiæ exordio templa opulenta.

pam Sixtum D. Laurentio, vt in pauperes erogaret (ne manibus impiorum dissiparentur) grauissimi Auctores affirmant. Quin etiam SS. DD. Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Optatus Mileuitanus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, testantur suâ ætate in Ecclesijs fuisse aurea vasa atque argentea, apparatum diuitem & opulentum. Nostro autem tempore, prô dolor! crescente magis magisque hominum cupiditate & auaritiâ, imò prodigalitate in sumptibus priuatis & profanis, templa omni sunt nuda ornatu, prorsus ad pauperratem redacta: in quibus non thesauros inuenias; sed eorum, quæ maximè necessaria sunt, penuriam & defectum.

Ath. apol. 2. cont. Arrian. Naz. orat. de seipso. Opt. Mil. l. 6. cont. Parmen. Ambros. l. 2. de off. cap. 28 Aug. in Psal. 113. Chrys. hô. 4 in Math. & l. de S. Babyla.

§. II.

GRauissimo doloris aculeo conficiatur hîc necesse est, quem zelus honoris diuini apprehendit, vbi viderit hinc maiestatem, opes, magnificentiam templi Salomonis, quod ædificatum est vt animalia mortua offerrentur; illinc Ecclesias Christianas, pauperes omnino, & nudas pænè necessario ornatu: quodque magis deplorandum occurrit, illud ipsum quod habent, præter hoc quòd pauperes sunt, ita esse turpe & immundum, vt, quod excitare debebat ad studium virtutis, ad nauseam exciret, & rerum diuinarum contemptum. Profectò culpâ id vacare non potest, cùm argumentum sit euidens, deficere in multis timorem & amorem erga Deum, quem bonus quilibet habere tenetur.

Quia verò rem hanc magni momenti æstimē, censeoque correctionem inducendam esse, n ratio contra omnes Principes Ecclesiæ, quibu hoc onus incumbit, strictissima subducatur; ad hortor singulos, meminerint obligationis su quà tenentur, & excutiant diligenter, num su ficiat dicere, vbi templorum negligunt deco rem & ornatum, ea esse prorsus indiga, nullis re ditibus locupletata, quæ proinde ex eleemosyni debeant reparari. Quantum ego firmissimâ opi nione auguror, hæc excusatio nulla erit ad tribu nal iudicantis. quod vt multis persuadeam, ha vtar aptissimâ comparatione.

Ecclesias esse pauperes, non excusabit Episcopos & beneficiatos.

Quis consentaneum dicet rationi, imò tole randum putet, vt aliquis de grege nobilium, cu decem millia ducatorũ annui census obtingunt quibus se & familiam suam tractat lautissimè, v ille, inquam, coniugem legitimo nexu sibi copulatam induat vilissimâ veste, aut saltem ita vestitam esse dissimulet, nec necessaria victui procuret, adeoque miseræ curam nullam gerat, vt ipsa stipem cogatur emendicare: ille verò hanc suam impietatem excuset, quòd pauper sit, nec habeat vnde viuere commodè possit, nisi ex mendicitate: sanè tolerari id posse nullo modo videretur, & ab omni ratione foret alienum, ac barbarum esset, maximè, si totum, quo frueretur maritus, eidem ex dote coniugis obtigisset: quia autem nupta sit, huic videri, se posse omnia dissipare & effundere, illam verò subditam esse mendicitati, qua scilicet comparet victum & amictum.

Comparatio notabilis.

Supposito neminem fore, qui hoc intelligeret,

ret, quin Dei & hominum fidem iudicaret implorandam, ius & fas æquitatis perfringi testaretur; certum est, Dominos Episcopos, Ecclesiæ suæ sponsos esse, vnde & annulum gerant, in fidem matrimonij quod in sua consecratione inuerunt. Porrò nomine Ecclesiæ, accipiuntur etiam Ecclesiæ Parochiales per totam Diœcesim, cùm earum etiam curam habeant. certum etiam est, omnes eorum census, quibus fruuntur, esse dotem sponsæ: nam illi dantur ratione huius matrimonij: quippe nec patrum testamento, nec propriâ industriâ eos Episcopi comparauêre. Etenim, cùm hæc ita sint, quis existimet rationi aut iustitiæ esse consentaneum, vt omnes illæ pensiones in familia alenda priuatisque vsibus absumantur: Ecclesiæ verò maneant ita pauperes, vt vix necessario potiantur apparatu, nullum sit altaris antependium, vt aiunt, nisi ex vilissima materia, nullus calix argenteus, nulla corporalia, nisi trita, sordida, abiecta? Quis erit tam perfrictæ frontis qui audeat asserere Ecclesias pauperes esse cùm dote illarum gaudeant Episcopi, gaudeant quotquot beneficijs cumulantur? Item, quis credat è dictamine rationis, aut è lance æquitatis fluere, vt in congruâ Episcopi sustentatione includantur ædificia sumptuosa, tapetes Attalici, supellex copiosa, & huiusmodi superflui apparatus; atq; ista omninò esse necessaria ad vindicandam apud subditos auctoritatem, & ex altera parte ad destructionem aut saltem indigentiam Ecclesiarum, quam in pluribus modò intuemur?

Episcopus, est sponsus Ecclesiæ.

Cer-

Auctoritas Ecclesiæ asserenda.

Certè videtur iustum, vt si tanto studio auctoritas Episcopalis asseratur, pari ratione auctoritas Ecclesiæ procuretur: quæ minor non est, imò magis necessaria, & vnde Episcopus maximè periclitatur. Nam hîc sanctimoniâ vitæ, spiritali suâ potestate, munerisque quo fungitur, excellentiâ, facilè obtinebit eam auctoritatem, quæ sufficere possit, quæque illi futura sit magis propria, tunc etiam, cùm nullis circumfluet diuitijs, atque omni externo apparatu carebit. Sic SS. Basilius, Martinus, Nicolaus, & sexcenti alij, quamuis nullis opibus abundarent; non minore auctoritate, quàm hodierni Præsules, quin & maiore pollebant, quandoquidem à Regibus & Imperatoribus colerentur. Verùm in Ecclesijs hæc non concurrunt: vbi enim ab omnibus videntur desertæ, & ornamentis nudatæ, contemnuntur, nullaque ipsis inesse religio existimatur, quod nos ipsi ob scelerum nostrorum grauitatem quotidianâ experientiâ docemur: iacent enim templa prorsus inculta, quæ fide & affectu fidelium debent instaurari. sed pietas in his vt pluribus est tam frigida, imò tepida, vt fructum sperare nullum possis.

Iis, quæ diximus, quæ solutio adferri queat, nescio: neque enim auguror posse esse responsum aliquod apparens, aut verisimile, nedum quod satisfacere vllo modo possit. Quòd si aliquod nonnulli fortè excogitabunt, optarem vehementer, vt Sacerdotes, qui iam sententiam iudicis excepe-runt, ad nos mitterentur, dicturi, quænam esset veritas aut falsitas solutionis excogitatæ. illuc re-

mitto

mitto architectos vanarum rationum, qui eas modò scrutantur, vt libidinis suæ expleant appetitum: vellem tamen prauas deponerent affectiones, (quibus inueteratis difficilè paratur remedium) &, dum tempus est, fidos se præberent dispensatores diuitiarum Dei.

Quæ dicta sunt de Episcopis, cum proportione intelligas etiam de Pastoribus, cæterisque qui redditibus Ecclesiasticis potiuntur: nam omnibus sua obligatio incumbit, vt Ecclesiæ necessitatibus subueniant, cùm ex parte eiusdem ipsi facultatibus abundent.

§. III.

Hoc vt meliùs confirmetur, aduerte, quod suprà dictum est, antiquitus omnes census Ecclesiasticos in quatuor partes æquales diuisos fuisse: quarum vna Episcopo, altera Beneficiatis, tertia pauperibus, quarta fabricæ & cuilibet Ecclesiæ necessitati, obtingebat. vnde constat fuisse mentem Pontificum & Conciliorum, vt Ecclesiæ abundanter de omnibus prouideretur (fieret enim sic, vt cultus diuinus perageretur ornatè & decenter) quandoquidem ad id parem reliquis portionem ordinârint. Cùm verò nunc, sua Ecclesiæ pars non applicetur (quæ data quasi olim fuit pro alimento comparando) quod moraliter ferè certum est (aut probabiliori coniecturâ, dicitur, partem illam in Episcoporum & Beneficiatorum portione esse inclusam, quia illi omnes Ecclesiæ facultates inter se partiuntur;) clarum est, præcisè omnes cum proportione ad cultus diuini

Tract. 2. cap. 16.


Census Ecclesiastici, in quatuor partes diuisi.

Prælati & Beneficiati, qui Ecclesiæ non prouident, iniusti sunt.

uini & templorum amplificationem obligari; quod si facere neglexerint, non tantùm ratio contrarios esse, sed etiam reos æquitatis & iustitiæ; quandoquidem Ecclesiam pauperem & afflictam, suis alimentis & propria dote frustrentur; simili prorsus modo, quo suprà diximus, illos teneri ad pauperum egestatem leniendam. Porro obligatio quam nunc ponimus, certâ quadam ratione strictior est & magis præcisa.

Tract. 2. cap. 10.

Suscitet Dominus in Ministris suis spiritum Pontificum sanctissimorum ac Sacerdotum, qui olim floruerunt innocentiâ vitæ, & zelo clarue-runt cultûs diuini, vt per hunc adferatur remedium ei rei, quæ plenissimâ indiget reformatione. Enimuerò si medicina absolutissima, quam consulimus, adhiberi non possit (difficiliùs enim modò reparatur, quod pecunia reparandum est) saltem procuretur, vt diligentia & studium aliquod reuiuiscat, id est Ecclesiæ, cùm pauperes sint, mundæ habeantur & nitidæ, & omne quod in ipsis est, ex se natiuum quemdam effundat decorem atque honestatem, quæ maximè conuenit ministerio cultûs diuini.



APPEN

APPENDIX,

TRACTATVS III.

IN QVA REGVLÆ QVÆDAM indicantur, quibus attentè & religiosè Officium Diuinum recitetur.

CAPVT I.

Quàm sit necessarium, & quanti momenti recitare Officium diuinum cum attentione.

SEpositâ Missa, maiorem debet ponere diligentiam & studium quilibet Sacerdos in persoluendo Officio diuino, eâ quâ conuenit, attentione, spiritu & reuerentiâ: idque ob luas præcipuas rationes. Prima, quòd ipsum sit pus proprium religionis cultûsque diuini, & per onsequens proprium munus Sacerdotis. vnde onstanter tenendum est, rem esse Deo gratissinam, hoc debitum cum perfectione exsoluere: ec vllum exercitium virtutis æquè esse acceptũ, uia non sit aliud, quod tantâ soluendi religione bstringat. Etenim quod obstringit siue obligat, x omnium sententia, præponendum est ei quod oluntariè quis persoluit. in quo notanda sunt erba quædam statuti Carthusiensis, quæ ita loquun-

A Missa proximè obligatur Sacerdos ad Officium diuinum.

1. p. Stat. Carth. c. 18. quuntur: *Ex regula nostra nihil operi Dei præponere licet, quo quidem nomine laudum solemnia quæ Deo quotidie persoluuntur, voluimus appellare, vt ex hoc clariùs appareat, quàm nos operi illi oporteat esse intentos. Spiritus enim sanctus gratum non recipit, quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.*

Notandum etiam, quod ad omnes Clericos dicit Innocentius Tertius in quadam Decretali: *In c. Dolentes. de celeb. Missarum.* *Strictè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent & deuotè.* Et aduertit acutissimus Caietanus, hoc præceptum non esse de Officio persoluendo, quod iam antiquitùs erat ordinatum; sed de modo recitandi, studiosè & deuotè, quantum Deus dederit, id est, secundùm conditionem & qualitatem cuiusque. quapropter videtur in nulla re alia tantum diligentiæ & stud ponendum esse.

Facilè peccatur in Officio diuino. Secunda ratio est, quia facillimè in recitatione Officij diuini variæ oriuntur distractiones cogitationum: & quatenùs id facilius est, eatenus maiori virtute incumbendum ne istud detrimentum accipiatur. Nam omnes illæ mentis euagationes, si proueniant culpâ aut negligentiâ orantis, quamuis per solam omissionem quòd tardius eas conatus sit excutere, semper peccati venialis reatum annexum habent. Ac dolendum est grauiter, vt, quâ ex re grati esse Deo debebamus, fructus iucundissimos decerpere, ex illa ipsa peccatorum in animo tribuli succrescant.

2. 2. q. 83. art. 13. Pro quo audiamus D. Thomam, vbi tractat de oratione in hunc modum; *Non est absque pecca*

qu

quòd aliquis orando euagationem mentis patiatur: videtur enim deridere Deum: sicut si alicui homini loqueretur, & non attenderet ad ea quæ ipse profert. Vnde Basilius in sermone de orando Deum, dicit, quòd diuinum auxilium est implorandum non remissè, nec mente huc vel illac euagante: eò quòd talis non solùm non impetrabit, quod petit, sed magis Deum irritabit. Si verò debilitatus fixè nequis orare, quantumcunque potes teipsum cohibeas, & Deus ignoscit, eò quòd non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, vt oportet, assistere coram eo. & Gregorius ait: Illam orationem Deus non audit, cui, qui orat, non intendit. & vlteriùs adfert verba Apostoli sic dicentis: *Si orem linguâ, mens mea sine fructu est. Quid ergo? orabo spiritu, orabo & mente.* atque iterum: *Malo in Ecclesia quinque verba sensu meo loqui, quàm decem millia verborum in lingua.* Huc etiam videtur alludere S. Hieronymus in Decreto: *Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, serenitate, & spiritali alacritate, quàm totius Psalterij modulatio cum anxietate cordis & distractione.*

1. Corinth. 14.

In c. Non mediocriter, de cons. dist. 1.

Vt igitur hoc Officium attentè & reuerenter exsoluatur, & multa excusentur peccata, quæ huius defectu committuntur, opus est diligentia & exercitio sedulæ præparationis. quod Spiritus sanctus videtur postulare, dum ait: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* minùs enim non facit iste imparatus, cùm ad orandum, sicut ad aliud quoduis opus profanum accedat. nunquid insanum illum & dementem vocaris, qui finem velit assequi, sine vsu aut operatione mediorum? quin etiam moraliter non potest euadere sine reatu, tale opus inchoan-

choando. Vt verò ad hanc præparationem & diligentiam incitemus, quæ sequuntur, consideranda sunt.

CAPVT II.

Quandocunque recitabit aliquis Officium diuinum, se corporis mystici, quod est Ecclesia, membrum esse cogitabit.

QVoties se accinget aliquis ad recitandum, siue publicè in choro, siue priuatim, consideret se esse membrum Ecclesiæ vniuersalis, cùm huius, quam militantem, tum illius, quam triumphantem appellamus. vna scilicet est, quamuis in diuersa dignitate constituta. sicut enim vnus erat populus, qui per mare rubrum transibat, licet iam vna pars transisset, & secura maneret in littore, altera per mare adhuc graderetur, subiecta periculis vndarum, nisi eas potenter Deus repressisset: ita vna est Ecclesia, quamuis alij in portu versentur, alij mille casibus pugnantes, turbulentum hoc mundi fretum nauigemus. Etenim considerandum est, quemadmodum in cælo Beati omnes, tam homines quàm Angeli, Deum ardentissimo amore complectuntur, eidemque maximas sine fine laudes decantant: sic in terra multi sunt sanctitate præditi, qui Deum immensa caritate diligunt, amant, laudibus prosequuntur: vi publicè in aliqua communitate, alteri priuatim & generaliter omnes creaturæ ea, qua possunt ratione, Deo benedicunt.

Ecclesia militans & triumphans vna est.

Secun

Secundùm hoc, cùm ad orandum se homo accingit, existimet se positum in vna sede immensi cuiusdam chori, totius nimirum vniuersitatis, in omnium oculis & conspectu, vt suas laudes cunctorum laudibus coniungat, iisdemque communem Dominum prosequatur: hic necesse est, gaudeat omnes esse intentos in laudes diuinas, & conetur vnus cunctorum æquare affectum, vnus tantam caritatem expetat, quanta reliqui omnes potiuntur. si autem hanc in se aduertat deficere, inuitet tamen omnes creaturas, vt operam suam pariter ad diuina præconia conferant. quod aptè fiet per Inuitatorium in Matutinis, vt infrà dicetur. breuiter verò sæpiùs hic versus repetendus est: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.* Item crebrò toto affectu dicēdum: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.* Consideret etiam, quamuis omnes res creatæ hoc quàm maximè intendant, non posse tantum laudare, quantum ipse meretur: *Quia maior est omni laude.* vnde optare debet vehementer, vt seipsum Deus celebret & extollat: his etiam verbis, quibus D. Franciscus sæpè vtebatur, est compellandus: *Dignus es Domine Deus noster, accipere laudem, & gloriam, & virtutem, & benedictionem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam creata sunt.* Item ad Christum Saluatorem: *Dignus es Agnus, qui occisus es accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & honorem, & gloriam, & fortitudinem, & benedictionem, & gratiarum actionem ab omnibus creaturis: quia redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.*

Omnes creaturæ vnū chorum constituunt.

Apoc. 4.

Apoc. 5.

CAPVT III.

Multùm refert aliqua vti præparation ante diuini Officij recitationem.

ADuertendum præterea, quòd iuxta Consi lium Spiritus sancti (*ante orationem præpar animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum* valdè conueniens sit & necessarium, vt attent Officium diuinum persoluatur, priusquam nos a ipsum accingamus, aliqua vtamur præparatione quod debet fieri semel atque iterum vt minù quotidie; ante Matutinum, aut Missam, aut Ve speras, aut similem Horam, vbi fuerit commodi tas maior, vt in cæteris magis compendiosè fier possit, remittendo se ad præparationem magi prolixam & copiosam.

Hæc præparatio multis modis posset institui sed quem hîc ponimus, tum facilis, tum vtilis vi detur.

Primò considerare me oportet præsentiam Dei, ad cuius laudes me accingo: Secundò excel lentiam ipsius & Maiestatem, quàm digna sit im mortali præconio & laudatione. propriam dein de humilitatem & indignitatem, illiusq; immen sam dignationem, qui laudari velit à vilissim creatura. Denique consideranda est præcipuè re lis præsentia & personalis assistentia Domini Sa uatoris in sanctissimo Altaris Sacramento. C multùm proderit, memoria tenere sequentia n mina cum sua declaratione, atque ijsdem vti sa

pi

piùs, tam antè quàm in Officio, aut alio quocunque interuallo temporis aut loci.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, & sacratissimæ Virginis Mariæ: Deus verè & homo perfectè, vnice & fidelissime amator nostri, qui es in hoc sanctissimo Sacramento

Præsentissimus, realiter & personaliter, sicut I.
vnusquisque nostrûm.

Attentissimus, considerans quæ agimus & dicimus, II.
quanta attentione perficiamus.

Promptissimus, vt precibus nostris indulgeas, & III.
pauperum tuorum augeas facultates.

Sapientissimus, qui quidquid rectum est, meliùs IV.
quàm nos intueris, qui intima scrutaris cordium, & cogitationes deprehendis.

Potentissimus, vt tribuas, quidquid petimus, V.
quodque nobis mage necessarium est: quem in hoc nemo impedire possit.

Amantissimus, qui nos arctissimè infinita carita- VI.
te complecteris, arctiori, inquam, quàm ea qua nos ipsos amplexamur.

Beneficentissimus, assertor noster & munerator: VII.
ex cuius liberalitate profluxit omne quodcunque habemus, qui nunquam desinis beneficia beneficijs cumulare.

Amabilissimus, quem decet creaturæ immenso VIII.
amore atque immortali prosequantur: quem super omnia quærere, cui inhiare debemus.

Laudabilissimus, cui ad infinitas laudes & præ- IX.
conia res creatæ tenentur: cuius ad celebrationem nominis maxima omnes contentione ferri debemus.

X. *Reuerendißimus*, quem omnis decet honor & veneratio: tibi enim aſſiſtunt Angeli & Seraphim, altiſſima cum ſubmiſſione & reuerentia.

Hæc ſi viua apud omnes memoria reponantur & eorum fuerit vſus in Officio diuino, ac alio quocunque tempore, dubitari non poteſt, quin vbertima meſſis naſcitura ſit, mentis in Deum aſſidua eleuatio, & iucundiſſima cum eodem familiaritas, & conſuetudo.

Qui verò maiori ſtudio & diligentia, ad Officium diuinum ſe comparare volet, in ſequentibus poterit ſe exercere.

CAPVT IV.

Præparatio ante Officij diuini recitationem.

FIxis animi oculis in Chriſtum, qui in ſanctiſſimo Sacramento præſens aſſiſtit, quamuis ipſe in ſuo conclaui repoſitus ſit; ita tamen hoc debet perfici exercitiũ, tanquam omnium oculis publicè videretur. quod hac poterit ratione inchoari.

Amantiſſime Domine IESV Chriſte, infinitas tibi ago gratias pro immenſa illa caritate, qua Deus cũ eſſes, humanã pro hominis ſalute induiſti naturam, nec hoc contentus eidem te cõmunicare voluiſti, & nobiſcum familiariter & amice conuerſari, nobis aſſiſtere in hoc SS. Sacramẽto. Item pro vniuerſis beneficijs, quæ toti Eccleſiæ præſtitiſti. Infinitas etiam tibi gratias ago pro ijs quæ in me ſolo peccatore declaraſti. nempe à te crea

creatus, redemptus sum: tu me in Christianam adoptare societatem, & huic Religioso cœtui sociare dignatus es, vt pariter cũ multis tuo sacer obsequio diuinis laudibus insudarem: refero tibi grates, ô dator munerum, quòd me ad tantam extulisti dignitatem, & in illa me hactenus conseruasti. Confiteor vilitatem meam & enorme demeritum: propter quod indignus sum, qui vltrà spiritum traham, dignus sum, quem absorbeat terra, infernus accipiat cum dæmonibus cruciandum. Sed quoniam in me ostendis clementiæ tuæ abyssum, meq; eligis, vt sistar tibi, & laudes tuas decantem; ego voluntati tuæ morem gessurus, & vt soluam me religione, qua teneor, vt intelligãt omnes te ita velle & præcipere. venio nomẽ tuũ celebraturus. at quia ipse vnus quasi elinguis sum & insufficiens, desidero vniri cæteris creaturis, laudes, quas tibi dicam exiguas, ipsarum omnium laudibus coniungi. Offero tibi, Domine Deus, fidem, caritatem, feruorem cũctorum, qui hac hora toto orbe te collaudant: & cùm membrum sim Ecclesiæ, offero tibi vniuersas laudes, quas in ea per omnia templa viri sanctitate illustres, vterque Religiosorum sexus, & quilibet priuatim decantant. Item tibi offero amorem immensum, quo in cælis te Filium complectitur Mater sanctissima, totus Angelorum exercitus, Sanctorumque infinitus numerus, cui addo sempiterna eorum præconia & laudationes. Denique omnes omnium creaturarum, quarum particeps esse velim, quarumque ardentissimo affectu etiam atque etiam exopto tibi hasce laudes offerre, quas ex Ecclesiæ

præſcripto recitamus, eadẽ, qua ipſa inſtituit, intentione, & multiplici ſenſu, quem his verbis Spiritus ſanctus voluit ineſſe. Supplico tibi, benigniſſime mundi Saluator, recipe, quod offertur, munus laudum tuarum, corde illo, quod amore noſtri ſauciatum eſt, in eoque valere incipiat, & ſpiritum ducere in coniunctione precum piiſſimarum, quas fudiſti dum in terra viueres, in coniunctione, inquam, omnium præconiorum, quæ æterno Patri attribuis, omniumque meritorum tuorũ: quæ ſic coniuncta & vnita Deo trino & vni à te offerantur: *Vt iucundum ſit ei obſequium noſtrum.*

Porrò obteſtor, vt ritè hoc exequar, numinis tui largire ſubſidium. *Illumina* intellectum meũ lucis tuæ radio, vt percipiam mente, quod pronuntio ore. *Recipe* memoriam & cogitationes omnes in te, nihil vt meminiſſe extra te, nihil v cogitare poſſit. *Inflamma* & incende voluntatem meam, vt amore tuo ardeat, nec ab alio vnquam igne corripiatur. *Purifica* & rege affectiones meas & deſideria, omneſque animæ vires tuo vigore roborentur. *Dirige* & perfice intentionem meam ex beneplacito voluntatis tuæ: vt omne obſequiũ noſtrum integrè ad gloriam laudemque tuam dirigatur: qui cum Patre & Spiritu ſancto in Trinitate perfecta, verus es Deus. Atque ad honorem & reuerentiam ſacratiſſimæ tuæ Humanitatis, in memoriam & venerationem omnium eorum, quæ hac hora egiſti & ſuſtinuiſti, omnibus diebus vitæ tuæ: in memoriam omnium beneficiorum, quæ hac hora mihi contuliſti cunctis diebus vitæ meæ: in memoriam denique diuini huius myſte-

myſterij, & fructuoſam eiuſdem commemorationem.

Hic repeti debet myſterium particulare, cui talem Horam applicare velis, ſecundùm diſtinctionem, quæ infrà ponetur.

Reſultet etiam ad honorem ſacratiſſimæ Virginis Mariæ, matris tuæ caſtiſſimæ, & ſancti Ioſeph Virginalis Sponſi, Angeli mei Cuſtodis, omniumque Spirituum beatorum: Sanctorum et ã Sanctarumque, qui hodie ad cæleſtem gloriam euecti ſunt, quorumque feſtiuitatem colimus & ſolemnitatem: eorum denique & illarum Sanctarum, qui ſingulares apud Deum ſe patronos mihi profitentur, N. aut N. ac generatim omniũ electorum tuorum: *Vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem: & illi pro nobis intercedant in cælis, quorum memoriam agimus in terris.*

Ad augmentum item Eccleſiæ, & refrigerium pœnarum, quibus in igne purgatorio animæ cruciantur: atque ad omnes fines, ad quos hoc placuerit ordinare. de quibus & reliquis ex tuæ voluntatis beneplacito diſponere digneris. *Amen.*

Si retineantur memoria, quæ in hac præparatione diximus, & præcipua aliquando puncta, quod facilè eſt, mentaliter excutiantur: maximum inde emolumentum naſcetur.

In cæteris Horis hoc præuium exercitium cõpendioſiùs poterit exerceri: prout ſequenti forma declaratur.

CAPVT V.

Præparatio magis compendiosa ad principium cuiusque Horæ.

PRimo reuoluet breuiter mysteria, quibus talis Hora applicatur: secũdùm distinctionem quæ infrà. Deinde hãc subnectet orationẽ: Benignissime Domine IESV Christe, infinitas tibi ago gratias pro eo, quod egisti & sustinuisti hac hora in die passionis tuæ. Et pro omni, quod eadẽ hac hora fecisti & sustinuisti cunctis diebus vitæ tuæ: ac pro omnibus beneficijs quæ in hac hora mihi cõtulisti omnibus diebus vitæ meæ. In huius memoriã & agnitionẽ tibi offero Officium hoc laudũ tuarum, nomine: & secundùm intẽtionẽ, Ecclesiæ tuæ: in coniunctione quarumcunque laudum quæ in hac hora toto orbe à viris religiosis tibi deferuntur: earum etiam quas in cælis sacratissima Virgo, omnes Spiritus beati, omnes denique Sancti decantant: præcipuè tamen in tuarũ coniunctione precum atque meritorum. Supplico tibi, recipe has laudes suauissimo & dulcissimo corde, in quo viuere incipiant, & valere me insuper gratiæ tuæ rore ita foueas, vt in illis versari attẽtè & reuerenter possim: sic enim gratæ aliquando & acceptæ erunt oculis tuæ diuinæ Maiestatis. *Amen.*

Sacratissima Virgo Maria, S. Angele mi Custos, omnes Spiritus beati, omnes Sancti cælorum, & iusti quotcunque in terra, omnes denique creaturæ, *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.*

Hæc

Hæc & ſimilia exercitia præuia, quibus vnuſquiſque vti poteſt, ſunt facilia, vt principio Horarum recitentur: & quamuis id vtile admodum ſit, vt attentionem quis obtineat; præcipua tamen difficultas ſupereſt, vt mentem habeas præſentē durante eodem Officio, in cogitationibus, & ijs quæ ibidem offeruntur: tum etiam attendas actu ad ea, quæ recitantur, & ſpiritus conſeruetur, quem initio concepiſti; *Hoc opus, hic labor eſt*, vnde in hoc laborandum maximè: cùm omne ſtudium quantumuis vehemens in hac re collocatum, ſuo nec fructu nec laude carere poſſit.

CAPVT VI.

Vt quis Horas attentè perſoluat, neceſſariam eſſe recollectionem præuiam, & compoſitionem exteriorem.

VT incipiamus ab eo, quod facillimum eſt; quoad primum, componat ſe homo externè, ſecundùm id officium quo eſt functurus. Si in choro ſit, premat oculos & reliquorum ſenſuū affectus, caueatque vel verbum efferre, niſi quod præcisè videbitur neceſſarium ad eiuſdem muneris functionem: multò autem magis à riſu, alijſque actionibus, quæ dedecent, & tempore & loco conetur abſtinere: quidquid verò ibi fiet, decentiſſimè agatur, atque honeſtate ſingulari. Si enim in externa compoſitione, quæ admodum facilis eſt, fuerit defectus, nulla ſpes relinquitur, qua expecta-

pectare possimus internam vigilantiam, quæ plu habet difficultatis. Similiter, si priuatim recitabi ad oratorium, vt vocant, siue conclaue aliquod ab omni rumore tutum & alienum se conferet inque illo se componet decorè, tanquam omnium expositus oculis in choro versaretur; caue atque, dum recitat, diuertere ad cuiuscunque re vel minimæ operationem; & certus sit vexationem esse à dæmone immissam. quamuis enim sint res nullius momenti, quæ attentioni necessariæ non contradicant, nec infringere possin præceptum; sunt tamen eiusmodi, quæ obicem ponant, quò minùs reuerentia debita Officium diuinum queat persolui. Immò firmiter sibi persuadeat vel minimam distractionem externam quæ fieri potest oculum semel extollendo, aut aliquid oppositum intuendo, sufficere, vt rumpantur ea, quæ velut quodam considerationis filo deducta nectebas & pereat attentio, quæ in optima oratione viuebat: adeò vt corde semel ab alienato à diuinis, arduū sit & difficile, quod amiseris, recuperare, vt omnis, qui hoc voluerit exquirere, experientiâ magistrâ deprehendet.

Præiacto fundamento hoc faciliori, videamus id quod maiorem continet difficultatem.

CAPVT VII.

De triplici attentione, quæ seruari potest in Officio diuino.

QVantum ad magis principale, quod est custodia mentis & cogitationum, aduerte

secun.

secundùm doctrinam S. Thomæ, Caietani, atque omnium Theologorum, quòd attentio in oratione triplex esse possit. Prima quidem, qua cū proposito soluendi attenditur ad verba, ne quid in eis erretur: secunda, qua attenditur ad sensum verborum; adeò vt quod ore pronunciatur, versetur in mente. tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur. ad Deum, inquam, qui obiectum orationis est, & ad quem Officium integrè dirigitur, vt à nobis laudes debitas referat, & egentibus infundat gratiam copiosam. De singulis aliquid paulò enucleatiùs dicamus.

S. Thom. 2.2.q.83. art.13. Caiet. ibi & insum Verbo Hora Canonica.

Prima necessaria est omnibus, qui ad Officium diuinum obligantur, neque ab ista idiotæ sese excusare possunt. sufficit verò vt mandati religione te soluas, nec repetere teneris, nisi studiosè ad aliàs cogitationes conuerteris mentem: sed sufficiens minimè est, vt ritè fungaris Officio: nec carebis culpa peccati, nisi è duabus alteram conatus fueris procurare.

Secunda non ita necessaria est omnibus: qui enim illiterati sunt, nec intelligunt quæ recitantur, ad sensum attendere non possunt: his etiam qui intelligunt, non est omnino necessaria. quippe licet dum in Deo, aut in fine eius rei pro qua oratur, fixas habeant cogitationes, non attendant ad sensum verborum. vt postea dicetur.

Verùm hæc attentio, ijs qui eam tenere possunt, magnæ est vtilitati. & hoc propriè est attendere ei quod recitatur. quomodo præcisè complectur, quod in regula consulit Augustinus, vbi

ait:

ait: *Cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Vnde rectè faciet quilibet, vt secundum suam capacitatem & intellectum, quem Deus dederit, si non intelligat omnẽ sensum Psalmorum aliorumque quæ in Officio dicuntur, procuret tamen applicare intellectum & attentionẽ ad ea quæ intelligit, cuiusmodi maxima pars est eorum quæ recitantur. adeò, vt quicunque Latinus est, conceptum aliquem de his formare possit: quod iustum est, fiat. Nam carere nequit irreuerentia, quòd verba Spiritus sancti, plenissima mysterijs & vario sensu, pronuntientur ore, profanæ verò cogitationes dominentur in corde. Pro cuius attentionis exercitio, quædam vtilia subiungemus.

CAPVT VIII.

Admonita, vt attendat quis ad sensum eius, quod recitatur.

§. I.

Declaratur Pater noster. PRimo, afficiatur maximè erga orationem Dominicam, quam accepimus ex ore Saluatoris, & conetur intelligere sensum verborum, variasque de his formet, ac memoriæ tradat commentationes, quarum hîc nulla adducitur, vt vitemus prolixa, & quia multi pulcras sanè attulerunt. At minùs intelligat literalem sensum, & id quod verbis illis postulatur, memineritque orationem esse, quam, vt vteremur, instituit Filius Dei, ac proprio illam nomine signatam dedit, vt æterno Patri offerremus. Hac animi affectione & confidenti

Pater noster, est oratio nomine Christi firmata.

dentia semper recitanda est: cùm enim in Officij contextu frequenter occurrat, magnam habet vim, vt excitet attentionem, feruoremque orationis intendat.

§. II.

De versu, Deus in adiutorium, &c.

SEcundo, vbi dicitur, *Deus in adiutorium*, &c. Aduertendum est, hîc peti fauorem & gratiã, qua præsentes esse possimus in Officio diuino: vnde dum Sacerdos intonat, *Deus in adiutorium*, & respondet Chorus, *Domine ad adiuuandum*, &c. cogitationes & affectus excitandi sunt hac consideratione & discursu mentis: *Domine adiuua me*, vt coram tua maiestate præsens sim, & te ritè collaudem in tuorum societate Angelorum: animam meam ab omni expúrga peccato, intellectum illumina, memoriam refoue, voluntatem accende, omnes denique cogitationes meas, affectus & desideria, transfer in te, appetitus rege effrenatos, & me interiùs exteriùsque compone ac tuere. Hæc & eiusmodi alia, si nos exerceamus, in mente versari possunt vbi cantatur, *Deus in adiutorium*. quòd si in hanc consuetudinem venerimus, facilè erit, cùm submissè recitabimus Officium, remittere cogitationem ad ea quæ tunc solemus ruminare.

Quomodo in principio Horarum Deus inuocandus

§. III.

De Gloria Patri, & Alleluia.

TErtio, cùm dicitur *Gloria Patri*, post *Deus in adiutorium*, considerandum est tunc proponi

thema

thema eorum, quæ in Officio diuino agenda & dicenda sunt: hæc enim tantùm commentaria sunt & glossa huius versiculi: vnde toties post quemlibet Psalmũ alijsque in partibus repetitur ea ratione, qua Musici in suis modulis & cantu, ad quamlibet copulam in literam principalem voluuntur. Proinde prima repetitio, sicut & cæteræ omnes, excitare debet affectum, attentionem renouare; vt consideretur omne, quod ibi agitur aliud nihil esse quàm laudem & gloriam SS. Trinitatis. cùm vero inclinatio fit ad hunc versum imaginari oportet eum qui inclinat, se habere in vertice omnes creaturas, quæ simul Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, reuerenter honorent & dum dicit, siue audit versiculum illum, hos poterit formare conceptus, scilicet in τὸ *Gloria* includi & intelligi omnem magnitudinem & maiestatem diuinam, hoc pacto: *Benedictio, & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo, Domino Deo nostro Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Omnes creaturæ cæli & terræ dent gloriã honorem & laudem Patri, Filio, & Spiritui sancto. *Domine Iesu Christe per piissimum cor tuum sit gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* His & similibus incendi debet affectus, quotiescunque *Gloria Patri* recitatur: adeò vt officium gerat excitantis ad id, quod facere omnes tenemur.

Quo affectu dicẽdum Gloria Patri.

Porrò *Alleluia* interpretes reddunt, *Lauda Deum.* Vnde cùm dicitur *Alleluia* post *Gloria Patri* considerandum est, hac vnica voce inuitari omnes creaturas ad laudem Dei omnipotentis.

Quid significet *Alleluia*.

§. IV

§. IV.

De Inuitatorio.

QVarto: In Inuitatorio ad Matutinas, aduerte similiter inuitari omnes creaturas, vt operam suam ad Dei laudes conferant. Et hoc modo poterit ordinari.

Versu primo inuitetur sacratissima Humanitas Saluatoris, rogando, vt haice laudes coniungat ijs, quas æterno Patri obtulit dum viueret, & quæ modò in gloria ab eadem offeruntur, vt illarum perfectio nostrarum suppleat defectum: pariter inuitetur sacratissima Virgo Maria, & Ioseph spõsus Virginalis, qui tres numero vnam in hac vita familiam constituebant, & nunc in cælis procul dubio vnicè coniunguntur. sic ipsis dicatur: *Venite exultemus Domino, &c.* Quo modo applicandi versus Inuitatorij.

Versu secundo inuitetur Angelus Custos, cæterique Angeli eorum, qui in choro versantur: quos certò credat assistere cuilibet nostrûm in sede propria. rogentur illi, vt laudes nostras suis iuuent laudibus, suppleant quod nos deficit, excitent & impellant, vt alacriter Dei præconia persoluamus: quin & omnes Ordines atque Hierarchiæ Spirituum beatorum, Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubini atque Seraphini laudent pariter: *Quoniam Deus magnus Dominus. &c.* vnde dignus est omni laude, non tantùm humana, sed etiam Angelica: & cùm tantus sit, nos tamen aspicere non dedignatur: *Quoniam non repellit Dominus plebem suam, &c.*

Tertio versu inuitentur Sancti de cælis, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & Discipuli Domini, gloriosi Martyres, Confessores & Virgines: omnibus his dicendum est: *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, &c.

Versu quarto, *Hodie si vocem eius audieritis*, inuitentur omnes Sancti & Sanctæ, qui die tali è terra sublati sunt, aut quorum festiuitatem agimus, aut commemorationem, obtestando per gloriæ istius immensitatem, qua frui tunc cœperunt, iuuent laudantes Dominum in terra, & gratiam nobis adipiscantur, qua laudare illum huius diei curriculo dignè possimus.

Quinto versu inuitentur omnes Sancti & Sanctæ, quos pro singularibus patronis habemus, aut quorũ gaudemus reliquijs, siue etiam ij, quorum isto die singulatim celebrare laudes proposuimus vniuersi denique iustorum cœtus, qui in mundo versantur, omnesque omnino creaturæ, vt ad gloriam Omnipotentis suam conferant laudationem, & suppleant penuriam deuotionis, qua peccatores laboramus: vt enim tales sumus, excludimur à laudibus diuinis: *Quia non est speciosa laus in ore peccatoris.* optemus ergo, vt simul omnes ad diuinarum laudum præconia se conuertant.

In *Gloria Patri* affectum suum hoc voto extendat, vt, cùm omnes creaturæ sufficere non possint ad laudem, Deo ac Domino nostro dignè persoluendam, ipsa beatissima Trinitas se ipsa amet & collaudet, atque inde creaturarum suppleatur defectus. Hæc sunt quæ in Inuitatorio manent consideranda.

§. V.

§. V.

De benedictionibus & conclusionibus lectionum.

QVINTO nota, benedictiones lectionum esse breues quasdam aspirationes, & velut preces iaculatorias, faciles admodum & accommodatas, vt excitetur attentio: quæ, quòd claræ sunt, à nobis non explicantur: tantùm ad has aduertere debemus, & de ijs formare conceptum. Similiter conclusio earundem lectionum pulcherrima est aspiratio. nimirum, vbi non intelleximus ea, quæ lecta sunt, optimè concludimus, *Tu autem Domine miserere nostri*. cùm verò intellecta fuerint & considerata, nihilominùs benè digredimur, mentemque conuertimus in Deum, dicendo: *Tu autem Domine*, &c. & per hoc gratiam petimus, vt de his quæ audita sunt & intellecta, proficiamus.

§. VI.

De Orationibus, & Psalmis.

SEXTO nota, quia longum esset nimis, & fortè tædiosum, si de omnibus, pertinentibus ad Officium diuinum, ageremus; generaliter admonitos omnes velim, quilibet, secundùm has considerationes, quas hîc deductas habet, studium ponat, diligentiamque, vt in alijs rebus eiusdem Officij, quæ faciles sunt & perspicuæ, similes commentationes ruminetur. In Orationibus id facile est, præsertim ijs quæ ordinariè dicuntur: cuiusmodi sunt, ad *Primam* cum suis precibus, & in

Pretiosa, & ad *Completorium* cæterisque Horis: adeò vt, cùm recitabit, applicet sensum verbis & affectum: nec persoluat id oneris, sicut quidam, ex consuetudine duntaxat. Idem procurandum in Psalmodia: sunt enim plurimi versus & Psalmi integri, qui sensum habent religione plenum, facilem intellectu, qui ad virtutem erudiat, quem denique percipere possit omnis, qui intendere volet cogitationem. Quod verò aliquis non intelliget, ad intentionem remittat Ecclesiæ, & putet seriò verba ista, quæ eloquitur, dictata esse afflante Spiritu sancto, atque in se includere mysteria immensa, quæ velit Ecclesia à fidelibus proferantur, vt diuina & vna Trinitas collaudetur. Etenim si hac ratione id fiat, vel non intelligenti nascitur fructus & emolumentum. sicut contrà, quamuis intelligat, si nulla consideratione curet recitare, sola consuetudine ad hoc adductus, caret ista vtilitate & profectu. Atque hæc sufficit aduertisse, quoad secundum modum attentionis.

CAPVT IX.

De tertia attentione, & modo quo illa procuranda est.

QVantum ad tertium modum attentionis quo attendimus ad obiectum, & finem orationis; aduertendum est, hanc attentionem esse optimam & maximè generalem. Optima est, quia magis immediatè Deum contemplatur: maximè

vero

verò generalis, quia communis eſt omni generi hominum, doctorum & indoctorum, tum etiam, quia hæc nec primam excludit, nec ſecundam; potiùs includit & adiuuatur ab illis. vt ſtatim patebit.

Secundò aduertendum eſt, licet verum ſit, quod affirmat Caietanus, quamlibet harũ trium attentionum ſufficere, vt te religione Officij recitandi exſoluas; non ſufficit tamen, vt ritè hoc ipſum fiat, & ſine labe peccati. vnde valdè notandum eſt, quòd ille, qui cum perfectione & merito penſum hoc volet perſoluere, triplicem illã attentionem procurare teneatur. Nam, vt diximus, prima neceſſaria eſt omnibus, qui ad Officiũ obligantur. adeò, vt quamuis ad ſenſum quis attendat, aut alia quauis conſideratione ſit occupatus mente, ſemper tamen neceſſe ſit attendere ad verba quæ efferuntur: quæ attentio talis eſſe debet, vt ſufficienter ipſe intelligat ſe benè & ſine errore pronuntiare. Secunda & Tertia ſibi mutuò mirabiliter auxiliãtur: ſi enim aliquis vellet attenderet duntaxat ad ſenſum verborũ, etſi doctus foret; facilè tamen attentionis filum amitteret, & vt minùs diuerteret ad ſpeculationes & curioſitates, quæ nullius tunc eſſent emolumẽti Similiter ſi tantùm in Deum ferri vellet, nec reflectere ad ſenſum verborum, grande ſatis eſſet periculum diſtractionis, & facilè in ſtuporem quaſi mentis verteretur, niſi forſitan peritus foret orãdi, & quotidiano exercitio edoctus. Proinde ſatius eſt, magiſque ſecurum, imò facillimum duobus his vti modis attentionis, ita vt vnus altero

iuuetur; ponendo tamen principale ſtudium in attendendo ibi eſſe præſentem Deum, quem hoc Officio laudare coneris. Id verò vt conſeruari poſſit, applicandus eſt animus ad ea quæ dicuntur, tanquam ille qui loquatur cum Deo, eaque forma, quam poſuimus ad ſecundum attentionis modum, offerat orationem: quæ & latiùs infrà ponetur.

Tertiò aduertendum eſt, optimam attentionem in oratione haberi, cùm mentis oculi figuntur in Deo, vt in ſe eſt, id eſt, in ipſa Diuinitate, abſtrahendo à creaturis: ſed hoc facere conſtanter, & ſpatio diuturno, eorum eſt, qui exercitati ſunt, atque in oratione plurimùm profecerunt; qui verò non ſunt de horum numero, hîc forſitan vehementer periclitarentur. Porrò ſecurum eſt & vtile generatim, tã exercitatis quàm inexercitatis, oculos ponant in Humanitate Saluatoris, qui de ſe teſtatur: *Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* *Et nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Item: *Qui videt me, videt & Patrem.* Quapropter ſecurum eſt hanc viam ingredi, perque hoc oſtium introire.

Ioan. 10.
Ioan. 14.

Cui Deus hanc fecerit gratiam, vt altiùs intellectu volare poſſit, ſeque eidem conſiderandum obtulerit ſine ſpecie creata, recipiat iſte cum ſecuritate tantum munus. verùm communis, ſecura & certa via eſt in Humanitate Chriſti Saluatoris. vnde modus, qui hîc declarandus eſt, eſt applicare officium diuinum ad conſiderationem myſteriorum vitæ, & paſſionis Chriſti.

Quartò aduertendum eſt, neceſſariam eſſe pro hac

hac ratione procedendi, diuisionem mysteriorum, & Horarum, quibus illa applicanda sunt. adeò vt cùm aliquam Horam volet quis recitare, offerat continuò mysterium seu mysteria, quæ in ea consideranda sunt. Requiritur etiam, vt horum mysteriorum sit antè facta consideratio, circumstantiæ, quæ concurrunt, bene perspectæ: nam dum Officium persoluitur, id fieri commodè non potest. sed vbi Hora aliqua inchoanda est, intellectui repræsentetur mysterium conforme, cum omnibus adiunctis, quæ habet & nouit præconsiderata, tanquam si in imagine tunc depictum intueretur, aut præsens eidem fuisset. & ad hoc dirigendum est omne, quod recitat, eo modo quo infrà explicabitur singulatim.

CAPVT X.

De modo applicandi Matutinas ad mysteria, quæ illa hora acciderunt.

MAtutinum, quòd Hora longa sit, in eaque multa atque ingentia mysteria contigerint, diuiditur in dies totius septimanæ.

Die Lunæ reuoluitur mysterium Incarnationis, quod probabiliùs ea noctis hora perfectum est: nam cùm illa ipsa Natiuitas illuxerit Saluatoris, datur intelligi, tunc præcisè nouem menses esse completos. Hîc consideret vnusquisque, positumque se arbitretur in angulo in conclaui Virginis, ibique speculari, quomodo ipsa tunc exsistente in oratione, ingressus sit Angelus, eamque salu-

ſalutarit, & quæ ibidem contigerunt, multoque amplius omne id, quod in viſceribus caſtiſſimæ Virginis expletum eſt: qualiter illic Verbum diuinum factum ſit homo: ac in inſtanti quo creata fuit nobiliſſima illa anima ſanctiſſimaque, & vnita corpuſculo formato ex ſanguine Virginis, operãte Spiritu ſancto, coniuncta ſit diuinitati, & cognorit perfectiſſimè dignitatis ſuæ amplitudinem, ad quam ab æterno erat prædeſtinata. Contemplare quibus non laudibus diuinam illa Maieſtatem proſequebatur? cognoſcens item propter ſe collata fuiſſe hominibus maxima beneficia, quantas omnium nomine gratias Deo referebat, præcipuè cùm ſe totius generis humani caput eſſe perſenſit? Quin etiam Virgo mater caſtiſſima, quæ nouerat quid in ſuis viſceribus perfectum erat, dignitatemq; mirabatur ipſa, ad quam à Deo ſublimata, & beneficij nouerat magnitudinem, quod homines erant recepturi, quàm immenſas laudes nomine ſuo & cunctorum offerebat: ſimiliter Angeli, qui hæc myſteria cognorãt & bonitatem, quàm in his Deus manifeſtauit; mirati ſunt, quo non genere laudationis, ſuo & hominum nomine, eum ornauerunt? Hæc bene perſpecta & conſiderata, magnam præbent materiã applicandi Officium Matutinum, iungendo laudes noſtras admodũ exiguas, cum perfectiſſimis, quæ tunc Deo oblatæ fuerunt. In hoc præcipuè myſterio, ſicut & in reliquis, recurrendum eſt cũ omnibus orationibus ad cor pijſſimum Saluatoris, atque ibidem ponendæ ſunt velut in organo, aut inſtrumento ſuauiſſimo, vt eas ipſe cum ſuis con-

coniunctas offerat Patri æterno, omnemque ex parte nostra auferat defectum, & valore, efficacia spiritus denique confirmet.

Poterit hoc etiam die applicari, quòd aliquo pòst tempore apparuerit Angelus Iosepho, idemque incarnationis mysterium & virginitatem illibatam reuelarit. quod factũ fuisse noctu Euangelista testatur. Considerari potest, ac si eodem momento ingrederetur conclaue Virginis, reuerenterque ei deferret, ac de concepto partu gratularetur. perpende item ingentem consolationem, quam Maria & Ioseph perceperunt, quòd angustia omnis & mœror sublatus fuerit. nec dubita ab his relatas Deo grates, laudesque immensas fuisse.

De Martis obuersetur animo Natalis Redemptoris. vbi primò considerandum est, quo modo Virgo sacratissima cũ sponso suo fatigata labore itineris vestigat diuersorium, quo non inuento, in hara siue stabulo pecorum requiescit: quanta oratione Virgo parturiens in mediam noctem fuerit impedita; cùm Filius ei natus est primogenitus: quanto gaudio affecta sit, vbi natum vidit Christum Dei, sine dolore, sine detrimento virginitatis. quanta religione eundem adorarit vt Deum verum, & lacte suo pauerit vt verum hominem & filium suum: quanta fuerit exultantium Angelorum lætitia, & canentium, *Gloria in excelsis Deo*: quanta pietas & deuotio Pastorum, qui vehementer gauisi sunt *glorificantes Deum*. quanto frigore paruulus oppugnatus, quibus lacrymis irrigatus, quo gaudio in anima perfusus, quas denique lau-

des diuinæ obtulerit Maiestati. Hæc & huiusmodi considerari possunt, quibus sufficienter cùm deuotione applicabitur Officium Matutinū, cuilibet puncto suum Psalmum, siue nocturnum, prout videbitur conuenire, accommodando.

Die Mercurij applicetur Matutinum ad Vigilias Christi Saluatoris. Pro quo sciendum, quatenus ex Euangelio id colligi potest, habuisse pro more Christum, saltem tempore prædicationis, diem insumere concionibus habendis, & operibus caritatis: nocte verò in montem secedebat aut desertum, Discipulisq; dormientibus, vigilabat in oratione. Ex multis hoc Euangelij locis constat. nominatim S. Lucas testatur illū à cœna in montem
Luca 22. se contulisse, vt oraret. *Exijt secundùm consuetudinem suam in montem oliueti.* Dicit porrò S. Ioannes venisse Iudam ad eum locum, in quo Christum certò deprehenderet: *Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum Discipulis suis.* *Ioan. 18.* adeò vt illud, quod nocte passionis fecit, ire in montem, Discipulis ex vna parte capientibus somnum, Pastorem & Magistrum orando vigilare, iam satis constet in consuetudinem ei venisse. Estque consideratio admodum pia, vt nostras Matutinas, vigilias, & orationes, cum ipsius coniungamus. Potest quisque imaginari se vna istarum noctium, splendente luna, ad eos montes contendere, in quibus solebat pernoctare Christus: qui peruenientem ad locū illum interroget: *Tu quis es?* se autem respondere; Domine, ego sum: indulgeas, precor, temeritati meæ, qui, vt te reperirem, & me informares ad orationem,

nem, concubia nocte veni. Ille autem respondeat: Id quidem lubenter. sed te aliam orationem docturus non sum, quàm eam, quam Discipulis commendaui, cuius exordium est *Pater noster.* Si porrò ex me scire desideras, qua ratione noctem transiges orando, ad me singulis noctibus te confer, & tunc quod ago, tu inspice. at non poteris tamdiu vigilare sub dio. sufficiat igitur, benè recites Horas, quas Ordo tuus tibi ad hoc præscripsit. sufficiat, inquam, & Officium quod Ecclesia mea ordinauit: quod enim illa docet, ipsum edocui. & orationes laudesque, quas instituit, mihi vehementer acceptæ sunt. proinde hac confidentiâ persoluat officium istud, intelligens esse Deo gratissimum, quòd Ecclesia ordinarit, aut quòd in contubernio oret Saluatoris: cum huiusmodi nempe considerationibus applicetur Matutinum, atque offeratur pectori eius dulcissimo, vt cum suis orationibus hoc coniungere dignetur.

Dies Iouis respondet institutioni SS. Sacramenti: Christus ergo consideretur, quo modo nocte passionis, tali tempore & occasione, opus aggreditur immensæ caritatis & dulcedinis, quodque beneficio maximo obstringit genus humanum. sciebat ille non sufficere hominem pro reddenda gratiarum actione, vnde ipsi Patri gratias acturus discumbit. hæc & similia circa hoc mysterium reuoluantur, quibus Psalmi totumque noctis Officium applicetur.

Dies Veneris consideretur oratio habita in horto Gethsemani, consideretur Christi captiuitas, atque omne, quod coram Anna & Caipha sustinuit.

in quo materia eſt copioſiſſima, cui applicari poſſit Matutinum.

Die Sabbathi, applicetur omnibus pœnis, quas ea nocte paſſus eſt, vbi Principes cum Phariſæis cubitum diſceſſiſſent. fuit nempe traditus militum nequitiæ, qui vſque mane illum cuſtodirent. at illi in carcerem miſerunt aut cataſtã, ſtrictiſſimis vinctum catenis, aut ad poſtem ligauerunt. quem deinde reliquo noctis tempore opprobrijs, ſexcentiſque iniurijs ac contumelijs obruerunt. quippe gens erat audacia incredibili, fronte meretricia, odio in Chriſtum pluſquam Vatiniano.

Dies Dominica reſpondet Reſurrectioni. vbi meditare, quo modo anima Chriſti à corpore ſeiuncta, in limbum deſcendit, intrauitque immenſa gloria & maieſtate, ſtipante innumera Angelorum caterua. quo modo verò Patres, qui tot annorum curriculis aduentum eius præſtolabantur, aſſertorem ſuum exceperunt incredibili lætitia, gratulatione & applauſu: quantas gratias diuinæ Maieſtati habuerunt: quibus & vſque in tertium diem ad ſepulcrum mane primo congregatis, Chriſti anima ſe cum corpore coniunxit, atque à mortuis glorioſa reſurrexit, & continuò Angeli aperuerunt monumentũ, vigileſque attoniti ſtupore, trepidi metu, velut exanimes conciderunt. Primò autẽ Dominus Matrem ſanctiſſimam viſitauit. O quæ colloquia, qui ſermones inſtituti donec ſurgeret aurora, ſol rutilaret! tũc quoq; Dominus Magdalenam conſolatus eſt, inde Petrũ cæteroſq; Diſcipulos. quæ omnia pleniſſima ſũt diuinâ laude & prædicatione. Hæc quantũ ad Matutinas.

CA-

CAPVT XI.

De modo applicandi alias Horas ad mysteria passionis.

RElìquæ Horæ applicantur passioni Saluatoris, secundùm id, quod qualibet hora gestum est, hoc ordine.

Ad Primam consideratur, quid ea hora die passionis passus fuerit Christus. Nimirùm mane primo diluculo conuentus factus est Principum Iudæorum: quibus cùm oblatus esset Christus, iterum falsis calumnijs petitus est, & quæstioni subiectus. ac tandem vbi dignum morte iudicassent, Pilato stiterunt: cuius in prætorio rursus accusatum falsò obruere conati sunt. Inde ad Herodem ductus fuit, qui se Galileæ Regem vocabat: ab hoc etiam & ab eius exercitu iocis & risu exceptus, velut insipiens veste alba indutus, Pilato remittitur. tunc aliquando cum infami Barabba comparatus est, & iudicio populi tumultuantis nequior dictus, ad crucem est postulatus. Hæc ad Primam. vnde in istius Horæ principio sic orandum.

Benignissime Domine Iesu Christe, infinitas tibi gratias ago, pro immensa caritate, qua voluisti præsens esse in concilio Iudæis, in prætorio Iudici, in palatio Herodi, iterumque remitti Pilato: pro cunctis pœnis & laboribus, quos in istis itineribus subijsti: pro tua incredibili mansuetudine, qua accusari, examinari & condemnari

nari voluiſti, contemptus eſſe à Rege iniuſto & adultero, à plebe cæca ingrataque ad mortem poſtulari.

Supplico tibi, dux eſto meus in omni itinere, & infunde gratiam, qua mihi ipſi iudex eſſe poſſim, nunquam temerè proximos iudicaturus, hæc gratiæ vis efficiat, vt hominum vana iudicia, & conceptam de me vel iniquiſſimam opinionem pro nihilo ducam. Similiter tibi gratias ago, pro omni moleſtia, quam ſuſtinuiſti hac hora cunctis diebus vitæ tuæ. *vt ſuprà cap. 5. & repeti debet ad omnes Horas.*

Ad Tertiam conſideratuo, quomodo innocens Saluator flagellis cæſus eſt, ſpinis coronatus, ſputo oblitus, opprobrijs diuexatus, purpura indutus arundine Rex ignominiæ ſalutatus, populoque exhibitus hac prædicatione. *Ecce homo*, quibus attẽtè conſideratis ita orandum:

Domine Ieſu Chriſte, infinitas tibi gratias ago, pro ſingulari amore, quo voluiſti, traderêris in manus crudeliſſimorum carnificum, qui te veſtibus indignè exutum ad columnam vincirent, vehementiſſimèque laceratum, probroſo ex ſpinis diademate redimitum, arundineo ſceptro ac purpura inſtructum, velut Regem inuaſorem, additiſque mille contumelijs; furibundæ plebi ſpectandum exhiberent.

Supplico tibi per dolorem vulnerum tuorum, erue me, & defende contra lenocinia & blanditias, quibus impetor à carne. Per coronam tuam ſpineam, libera me ab omni faſtu, & vana gloria, ab omni fuco & hypocriſi: gratiamque largire, qua

qua te adorem in ſpiritu, veritate, & reuerentia, qua par eſt, tam interna quàm externa, quæ paſſionem tuam contempletur cum mœrore & miſeratione laborum tuorum; tu verò me intuearis oculis tuæ miſericordiæ, ac miſerearis mei, qui ſũ omnino debilis atque imbecillis. Similiter tibi gratias ago, pro omni moleſtia, quam ſuſtinuiſti hac hora, cunctis diebus vitæ tuæ, &c. *vt ſuprà.*

Ad Sextam conſideratur, quo modo Chriſtus damnatus eſt ad mortem, crucem in Golgotha deportauit, acetum bibit felle mixtum, nudatus denique & clauis cruci affixus, cælum inter & terram ſublatus eſt. hac hora ſic dicendum:

Domine Ieſu Chriſte, infinitas tibi gratias ago, pro ea caritate, qua mortis ſententiam excepiſti: pro ſumma fatigatione, qua crucem humeris deportaſti, & ad Caluariam perductus amariſſimo felle potatus es, veſtibuſq; ſpoliatus acerbiſſimo cum dolore vulnerũ tuorum, ſumma ignominia & pudore: grauiſſimo denique cruciatu affixus cruci, & in altum ſublatus.

Supplico tibi, libera me de ſententia mortis æternæ, & gratiam infunde, vt crucem feram pœnitentiæ atque compunctionis, omneſque illas, quibus me volueris grauitatum eſſe. libera me à delicijs gulæ pernicioſis: exue me veteri homine cum omnibus vitijs & affectionibus prauis: cõge animum meum clauis amoris & timoris tui, vt nulla me vnquam à te vexatio queat ſeparare: mentemque meam erige à terra & deſiderijs terrenis, ad cæleſtia. tu quippe dixiſti: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Simili- *Ioan. 12.*

ter

ter gratias ago, pro omni molestia, &c. *vt supr.*

Ad Nonam consideratur, quo modo tribus horis in cruce pependit Christus donec moreretur, quantos ibidem dolores, quæ tormenta pertulit internè & externè. septem verba; quæ vbi pronuntiasset, expirauit. Pro hac hora sequentem dic orationem.

Benignissime Domine Iesu Christe, infinitas tibi ago gratias, pro atrocissimis tormentis & doloribus, quos trium horarum spatio in cruce pendens sustinuisti, pro verbis septem, quæ in ea locutus es, & pro acerbissima, maximè ignominiosa & dolorosa morte, quam subire voluisti.

Supplico tibi, fortitudinem ac constantiam mihi dones, qua perseuerem in ijs quæ ad cultum tuum pertinent, memor sim indignissimæ passionis & mortis, internaque miseratione compungar. Ne moriatur anima mea morte immortali, quam quodlibet mortale peccatum operatur. Largire mihi spiritum internæ & externæ mortificationis, vt mihi omnibusque moriar, tibi verò soli viuam. O Domine Deus, hanc mihi gratiam concede, qua in obsequio tuo cultuque defungar, & animam meam in manus tuas commendem. Ex nunc tibi eam commendo, ac obtestor, vbi è corpore euolârit, hanc clementer excipias, tuearis ab hoste infensissimo, & iustitiæ tuæ contra eam rigorem mitiges, passionem denique, mortem & crucem tuam, ponas inter iudicium tuum & animam meam, ne me iudices secundùm grauitatem delictorum, sed misericordiæ tuæ abyssum.

Sim

Similiter tibi gratias ago pro omni, &c. *vt suprà.*

Ad Vesperas consideratur, quomodo Christus iam vita defunctus, lancea in latere perfossus est, vnde sanguis & aqua profluxit: quo modo depositus est de cruce: quantus fuit mœror castissimæ Virginis, quo planctu filium mater amplexata est hac Hora precare.

Domine IesuChriste, infinitas tibi gratias ago, quia permisisti vt latus tuum lãcea aperiretur, vt pectoris tui secreta nobis paterent, & amor ille diuinus quo nos prosequebaris. gratias ago, quia deponi voluisti de cruce, & recipi brachijs castissimæ matris tuæ, quæ incredibili quodam dolore confecta angebatur.

Supplico tibi, cor meum confige plaga amoris tui, & animam meam illa aqua, quæ de latere tuo dimanauit, expurget ab omni labe peccati. si qua verò infirmitate spiritus tenetur, hanc sanguinis tui medicina persanes, faciasque participem lacrymarum, & immensi doloris, quo mater tua, dum paterêris, fuit discruciata. sim etiam seruus eius fidelis, vt talem ipsa sua semper ope & auxilio defendat, præcipuè autem in hora mortis constanter opituletur. Similiter tibi gratias ago, pro omni, &c. *vt suprà.*

Ad Completorium considerare oportet, quomodo corpus Domini illatum est sepulcro: quod milite fuit custoditum: quo modo Virgo mater plena lacrymis & dolore, in conclaui solitaria flendo & gemendo diem resurrectionis expectauit. hac Hora sic orandum.

 Domi-

Domine IesuChriste, infinitas tibi gratias ago quia in sepulcrum inferri voluisti instar aliorum. Adoro corpus tuum iunctum diuinitati, & positum in sepulcro.

Supplico tibi, in anima mea viuum & conueniens appara sepulcrum, in quo deponaris vnctione virtutum aromatica conditus. custodem item adhibeas in anima mea, ne fortè vana gloria suffuretur opes, quas in ea collocaris. Similiter tibi gratias ago, &c. *vt supra*

In hac diuisione considerationum positarum, aduertendum, pro maiori facilitate & memoriæ constantia, nihil vtilius esse, quàm vt vnaquæque illarum in tres distincta sit partes, ita vt singulis singuli Psalmi applicentur: tunc enim promptior erit attentio, quæ si aliquando deficiat, faciliùs poterit innouari. Exempli causa: in Prima primus Psalmus applicetur ei parti, quæ signat quo modo Christus concilio Iudæorum oblatus est: secundus ei, quæ ad Pilatum deductum esse commemorat: tertius ei, quæ ad Herodem. quod & in cæteris Horis obseruandum.

Omnes considerationes allatæ cum suis orationculis, si firma memoria teneantur, mentaliter magna facilitate & breuitate exerceri possunt non solùm vt hic traduntur, sed magis fusè atque amplè, prout cuiusque feret deuotio, & temporis opportunitas edocebit. sic experti sunt nonnulli qui in hisce exercendis, operam ac studium posuerunt: & omnis fateatur necesse est, qui mediocri tantùm ad hoc diligentia fuerit conatus.

CA

CAPVT XII.

Alius modus breuior applicandi Horas.

QVANDO temporis angustia excluderis, prædicta poterunt abbreuiari, adeò vt saltem principio cuiusque Horæ, breuis memoria fiat mysteriorum, quibus illa applicetur. Hîc verò vt se accusare nemo possit, idem retexemus exercitium methodo breuiori: quòd ea, quæ sequitur, forma compleatur.

Ad Primam: Domine Iesu Christe, infinitas tibi gratias ago, quia voluisti perduci & trahi ad tot iudices iniquos, toties accusari, iudicari, condemnari, omnibus contemptui esse, à plebe denique velut indignus vita, exsibilari: ac pro omni eo quod in hac hora Prima fecisti, & perpessus es, cunctisque beneficijs, quibus in illa me obstrinxisti: in quorum memoriam offero tibi hoc Officium laudis nomine totius Ecclesiæ tuæ. Supplico & obtestor, recipe id pectore tuo amantissimo, & offer æterno Patri ad gloriam tuam, ad honorem sanctissimæ Matris tuæ, omniumque Sanctorum. & mihi gratiam concede, vt ritè id persoluam, & acceptũ sit oculis tuæ Maiestatis. Amen.

Ad Tertiam: Domine Iesu Christe, infinitas tibi gratias ago, quia pro me voluisti flagellis cædi, spinis coronari. opprobrijs vexari, vt Rex fictus ignominiosè exhiberi, ac pro omni eo, quod in hac hora Tertia fecisti & perpessus es, cunctisque beneficijs, &c. *vt antè.*

Ad Sextam: Domine Iesu Christe, infinitas tibi gratias ago, quia mortis sententiam patienter excepisti, crucemque in humeros sustulisti, fellis amaritudinem gustasti, nudatus veste fuisti, clauisque affixus, & in crucem sublatus. Ac pro omni eo, quod in hac hora Sexta fecisti, &c *vt suprà*.

Ad Nonam: Domine Iesu Christe, infinitas tibi gratias ago, pro pœnis ac doloribus, quos in cruce pertulisti, pro septem verbis, quæ in ea dixisti, pro morte probrosa & nefanda, quam subijsti. ac pro omni eo, quod in hac hora Nona, &c *vt suprà*.

Hoc modo ad Vesperas & Completorium dicatur, vt positum est cap. præcedenti.

Quòd si & hæc lōga nimis videantur, sic ad minùs præparare: Domine, gratias tibi ago, pro omni eo, quod in hac hora pertulisti die passionis tuæ, & pro vniuersis quæ fecisti, & perpessus es in illa cunctis diebus vitæ tuæ. Supplico tibi, hanc mihi gratiam infunde, vt Officium tuum ea ratione, quæ tibi erit acceptissima, recitare possim.

Porrò vbi Horam incipies, mentem applica ad considerationem mysteriorum, quæ tali hora designantur. velim autem tibi certò persuadeas, quamuis hoc initio difficile atque arduum videatur; si tamen memoria, quæ diximus, recolantur, cumque exercitio vsus accedat, facile esse deprehēdetur. Vbi verò consuetudo fixa fuerit quemlibet Psalmum suo mysterio applicandi, ipsi versus Psalmorum id in memoriam reuocabunt, cumq; ad alia diuertent, retrahent cogitationes. Enimuerò licet magnam includere difficultatem, laborandum tamen esset magno animo, ma-

gnaque

gnaque diligentia, vt rem tanti momenti consequeremur: si enim, teste M. Tullio, vt euadere quis possit orator excellens, par est vt omnia experiatur, nullisque laboribus succumbat; quanto iustius erit, in eo vt exerceamur, quod nos verè & propriè optimos oratores efficiet?

Quapropter rogo omnes & obtestor, quicunque hæc legerint, magno in id studio, magnaque alacritate incumbant, neuè fatigentur, donec se finem esse consecutos ipsimet fateantur: ecce autem fideiussor, qui pollicetur nunquam fore vt pœniteat istius diligentiæ: contrà vt vberrimus inde fructus percipiatur.

Quamuis supradicta ita accommodata sint, vt in choro Officium diuinum ritè exsoluatur, vbi plus temporis habetur ad illa exercenda: singuli tamen cum proportione methodum ex istis sibi formabunt, qua vtantur priuatim recitaturi. Nec enim minor tunc attentio adhibenda, quandoquidem eadem sit Dei maiestas, quicum loquaris, & quem collaudes. Huic gloria & honor ab omni creatura. Amen.



TRACTATVS IV.
DE PRÆPARATIONE AD MYSTERIA MISSÆ CELEBRANDA.

CAPVT I.

Causa, ob quam multi parum proficiunt frequentando SS. Sacramentum, est defectus præuiæ dispositionis.

§. I.

INTER titulos, quibus Christum exornauit Isaias, legimus & hunc; *Vocabitur nomen eius Admirabilis.* Profectò ita est, & præsertim id patet in SS Sacramento: quòd non solùm, teste S. Thoma, est *Miraculorum ab ipso factorum maximum,* sed etiam summa quædam cæterorum. sic communiter Sancti. vnde & huic applicant versum Psalmi: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* hinc etiam meritò in Manna figuratur: quod cùm nouum esset, & prorsus inusitatum oculis humanis, tantam excitauit admirationem, vt sese mutuo interrogarent, Manhu? id est, quid est hoc? vnde & nomen Manna iste cibus obtinuit.

Isaia 9.
S. Thom. serm. fest. corp. Christi.
SS. Sacramentum est summa omnium mirabilium.
Psal. 110.
Exodi 16.

Verùm

Verùm longè plura in sanctissimo Sacramento admiramur: paucis enim in illo pòst diebus cessauit admiratio, cùm, quid esset, intellexerūt. adeòque videtur causam sublatam fuisse, cur vltrà sic vocaretur, cùm id, de quo percunctarentur, cognoscerent. Ast in hoc, quanto magis Sanctissimum Sacramentum intelligendo cognoscimus, plus inesse miraculi conspicitur, & plures elucēt rationes, ob quas admirari debeamus.

Nunc verò omissis ijs, quæ causant admirationem propter effectus, quos Sanctissimum Sacramentum operatur: non est minori admiratione dignum id, propter quod illi effectus non producuntur. Immò eorum, quæ in mundo sunt, maximè est mirabile, videri tantam hominum vtriusque sexus multitudinem, præcipuè Sacerdotum, qui cùm celebrent quotidie, & sacratissimo Iesu Christi corpore ac sanguine pascantur, nullos inde fructus percipiunt, nec curant se ad meliorem frugem applicare. Nimirum spiritus ille inertiæ, quo antè ducebantur, manet, durat modicum illud virtutis, praua libidine reguntur, terrena & peritura sectantur: forsitan & peiores exsistunt, quàm cùm Sacerdotio initiarentur. adeoque manent infirmi in virtute, vt inter hos & illos, qui singulis tantùm annis accedunt, vix vlla differentia constituatur. Quod valdè mirum est: vt, si videremus hominem, qui delicato & pretioso cibo quotidie vesceretur, omnino tamen debilis esset, atque macilentus. quin & maius est quod dicimus: præsertim si supponamus, vt nos fides & Theologia docet, quòd Sacramenta toties quoties

Res est mira, parum profici, ex perceptione SS. Sacram.

 ties

ties recipiuntur, dant nouum augmentum gratiæ caritatis, reliquarumque virtutum, si tamen ex parte recipientis nullum impedimentũ ponatur.

Cùm hoc ita sit, vbi est thesaurus ille immensus, quem par est esse congregatum, cùm per tot annorum decursus Sacramenta in dies frequentemus? vbi est cumulus ille ac fœnus virtutum? vbi est perfectio quædam animorum absoluta? Nam, affirmante S. Gregorio, *probatio dilectionis, exhibitio est operis. Verè enim diligimus, si ad mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus: nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profectò Deum non amat.* Si verò dicamus à multis dissimulari, & abscondita esse ab hominum oculis opera virtutum; id fortè in paucis probabitur. sed in plurimis vita peruersa contrarium clamat, augetque, quam dicimus, admirationem.

Greg. hom. 30. in Euang.

Res esset omnino stupẽda, intueri Solem non illuminantem, aut ignem sentire non calefacientem. At qua fieri ratione potest, vt ignis ille, consumens & ardens, quod Deus de se testatur, nõ absumat, nedum calefaciat frigus animorum, nec humanæ mentis duritiam, atque asperitatem mitiget & resoluat?

Deuter. 4. Dominus Deus tuus ignis consumens est, idem dicitur ad Hebr. 12.

Vna vice cùm descenderet de cælo Dominus (aut Angelus eius nomine) mons Sinai flammis vndare, scintillas eijcere, tonitrua audiri, fulmina torqueri, nubes densissima operire montem, buccina perstrepere, & mons ipse concuti, vt videretur non posse ferre Dei Maiestatẽ: *Eratque totus mons terribilis.* at quomodo. cùm ipse Deus toties in vnam animam descendat, illa nullum

Exod. 19.

lum edat signum flammiferi amoris, tanquam si non cognosceret, quam recipit, Maiestatem? Eò quòd quadraginta solùm diebus Moyses cum Deo versatus esset, os illi resplenduit instar Solis, adeò vt intueri faciem nō possent ob immensum splendorem, qui adhæserat *ex consortio sermonis Dei*. Sed qui fit, vt tanto tempore cum Deo versemur, nec in fronte aut ore, nec opere niteat internæ lucis argumentum? *2. Corinth. 3.*

Si aliquid tragemaris homo sumat, non statim ipsum deglutit, sed ita versat, vt sapore eius vel toto die perfrui possit: in nobis verò, cùm Deo vescimur, nec vel vnius horæ spatio durat sapor & odor ille diuinus. profectò res est dignissima admiratione, quæ & timorem debet excitare manifestum. *Alcorea genus cibi melle & saccaro conditi.*

§. II.

PEr admirationem, dicit Aristoteles, cœperūt homines philosophari: cùm enim naturæ effectus viderent, causasque eorum ignorarent, mirabantur res nouas, & quo agente fierent, inquirebāt. per hunc mentis discursum, ac subtiles cogitationes, inuenerunt rerum naturalium principia & causas: vnde naturalis scientia, quæ Philosophia vocatur, dimanauit. Nos igitur cùm videamus, ob scelerum nostrorum grauitatem, effectum nouum atque mirabilem, quem iam ostendimus; quæramus scire eius causam & originem: vt & hinc profluat scientia, quæ animis nostris maximo commodo esse possit. *Arist. 1. Metaph. in princip.*

Itaque præsupposito, quod certissimum est,

 hunc

Defectus commodi non est in Sacramẽto, sed in recipiente.

hunc defectum non esse in Sanctissimo Sacramẽto (quo, quantum ex eius est parte, & qualiter sine exceptione offertur gratia omnibus, qui eam recipere voluerint) clarum est, illum defectum esse in recipiente. Hoc enim ratio naturalis & Philosophica ostendit, à causis produci talem effectũ qui conformis sit dispositioni, quam inueniunt in subiecto. sicut constat experientia, quòd ignis facillimè lignum siccum corripiat; quod si humidũ fuerit ac virens, quamuis ignem applices, non incenditur; quin immò ignis ipse vires amittit, & esse desinit. quia disposita non est materia, vt ab igne corripiatur. Sol ipse indurat lutum, ceramq; emollit. atque eadem cera ad Solem aprica candescit, homines verò infuscantur. vnde Sponsa in

Cant. 1.

Canticis: *Nolite considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* Idemque cibus sano corpori, recteq; disposito, vires addit, inducitque pinguedinem: alteri malè sano & ægro damnum adfert, ac noxios creat humores. sic docet Medicorum aphorismus: *Corpora non sana, quanto magis nutris, tanto magis lædis.* Quin ipsum manna, quod erat saluberrimum, & sapore optimo refertum, quo nunquã melior cibus erit, iustis & rectè affectis erat summæ deliciæ, in quo quem vellent, inuenirent saporem: alteris verò, quibus gustus erat deprauatus, nauseam excitabat, vt ipsimet testati sunt: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.*

Num. 21. Contrarios effectꝰ in bonis & malis operatur SS. Sacramentum.

Etenim annè mirandum est, hos effectus produci à Manna, cùm eosdem edat Sanctissimum Sacramentum, cuius ipsum est figura? hoc in ijs, qui conuenienti dispositione accedunt, mirabiles

les causat effectus, qui nec dici possunt, nec men-
te comprehendi. his verò, quos malè compositos
reperit, ob supinam negligentiam & indignita-
tem, venenum adfert & mortem indubitatam.
quod satis clarè ab Apostolo definitur: *Qui man-* 1.Cor 11.
ducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.
Super quæ verba ita commendatur Chrysosto- *Chrysost.*
mus: *Quid ais? dic, quæso, tantorum bonorum causa &*
mensa, quæ vitam exhibet, iudicium fit? Ita sanè, sed non ob
suam naturam, sed accedentis voluntatem, sicut & corpo-
ralis præsentia Christi, quæ magna illa nobis bona attulit,
cum in mundum venit, eos qui illum non receperunt, mul-
tò magis damnauit: quotquot autem receperunt eum, Ioan. 1.
dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et Christus ipse te-
statur: *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum* Ioan. 5.
non haberent, nunc autem excusationem non habent de
peccato suo.

Idipsum, quod accidit in mundum Christo
veniente & prædicante, quotidiè contingit in ijs,
qui benè vel malè dispositi, Sanctissimum reci-
piunt Sacramentum. hoc constat satis ex illo ef-
fectu, quem primùm in institutione operatum est.
erat malè dispositus Iudas: vnde mortem ei attu-
lit & ruinam quod affirmat Euangelista: *Post buc-* Post Sumptionem Iudam dæmon inuasit.
cellam tunc introiuit in illum Satanas. cui subiecit Do-
minus: *Quod facis, fac citiùs* quasi diceret: quia indi-
gnè buccellam recepisti, malum quod mente cō-
ceptum est, velociùs exequêris. nam per buccel-
lam istam S. Augustinus, alijque Doctores, intelli-
gunt Sanctissimum Sacramentum. porrò ille sic
ait: *Buccella Dominica venenum fuit Iudæ, quam cùm* Aug. tract. 22 in Ioan.
accepit, in eum inimicus intrauit, non quia malum erat,

ergo

quod accepit, sed quia bonum malus malè accepit. Videte ergo fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate, antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: Dimitte nobis debita nostra.

Et in alio Tractatu: *In bonis enim sancta ad salutem sunt, in malis ad iudicium: certè enim nouimus, quid accipimus, & vtique sanctum est quod accipimus. Sed quid ait Apostolus? Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non ait, quòd illa res mala est, sed quia ille malus est, qui recipit. Num enim mala erat buccella, quæ tradita est Iudæ à Domino? absit: medicus non daret venenum, salutem medicus dedit: sed indignè accipiendo, ad perniciem suam accepit.*

Adeò vt, cùm exsistat realiter in Sacramento Christus, qui est gratiæ causa vniuersalis, hunc effectum operetur, secundùm dispositionem quam inuenit in subiecto quod ergo rectè dispositum est, maximam percipit copiam bonorum: quod verò malè, non tantùm frustratur emolumento, sed etiam grauissimo damno afficitur. Eleganti comparatione id explanat Chrysostomus *Chrys. hō. 27. in 1. ad Cor.* * *Sicut cibus corporalis, cùm corpus inuenit malis humoribus occupatum, amplius lædit & nocet, nec vllum præstat auxilium: sic spiritualis hic cibus, si aliquem inuenit malitia inquinatum, magis eum perdit: non sua natura, sed accipientis vitio tales enim sunt socij Iudæ proditoris in quem post buccellam intrauit Satanas.* (* Seruanda infirmis diæta.)

Vnde dicit Spiritus sanctus: *Qui timent Deum præparabunt corda sua, & in conspectu eius sanctificabunt animas suas.* *Eccles. 2.*

Propter eandem causam Apostolus præcinit instar

instar Curionis, vt quicunque ad panem hunc di- **Cur acces-**
uinum accedet comesturus, debita præparatione **surus pro-**
se disponat, ne fortè iudicium sibi & condemna- **bare se de-**
tionem manducet. *Probet autem seipsum homo, & sic* **beat.**
de pane illo edat, & de calice bibat. Rectè autem dici- ***1. Corinth.***
tur, *probet seipsum*, cùm in alijs cibis cõtraria sit ra- ***11.***
tio: quibus vt vescamur, primò placeantnè gu-
stui, & sintnè sani, experimur. Porrò in hac esca
nulla talis experientia requiritur, cùm illa proba-
tissima sit. sed eum, qui ea frui velit, necesse est, se
probare, rectenè dispositus sit, vt pascatur. si enim
minùs; non adferet sanitatem ille cibus, sed ani-
mum veneno mortali affliget.

Præter hanc causam, altera est, ob quam, qui
hoc cibi frui velit, seipsum, non hunc probet, ne-
cesse sit. Videlicet quia reliquos cibos in corpus
nostrum conuertimus, quòd mortui sint, & nos
illis ipsis simus præstantiores. vnde cibum proba-
mus, sitnè idoneus, vt in nostram substantiam
conuertatur. Sed diuinus hic cibus, non mortuus
est, sed viuens: (*Ego sum panis viuus*) & longè ex-
cellẽtior nobis, qui illo vescimur. proinde nec in
nostram substantiam conuertitur, nosque in se
conuertit. quod sibi Deum dixisse asserit Augu- ***Aug. l. 7.***
stinus: *Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ,* ***Conf. c. 10.***
sed tu mutaberis in me. adeoque cibus probandus
non est, sed ipsi nos, ne sumamus indignè, pro-
bare debemus, recteque nos disponere, vt in
Christum, qui esca eius sumus, conuertamur.

CAPVT II.

Quàm grauiter peccent, qui celebrare in peccato mortali præsumunt: & quam iusta ipsis sit ratio, cur Dei iudicium perhorrescant.

§. I.

DVOBVS modis homo poteſt eſſe indignus, & malè diſpoſitus ad recipiendum Sacramentum. Aut quia per mortale peccatum inimicus ſit Dei, aut quia in gratia licet exſiſtat, tri[...]dam tamen habeat caritatem, careatque ijs virtutibus, quibus illum decebat exornari, & diſponi ad dignè recipiendum.

Si loquamur de his, qui in primo genere cenſentur; ceſſat omnis admiratio, quòd nulla [...]tiantur vtilitate frequentando Sacramentum quod ex ſua ratione cibus cùm ſit animæ, eſt [vi]uorum. qui verò peccati mortalis labe eſt in[fe]ctus, mortuus eſt ſecundùm animam. vnde mirum non eſt, ſi nullum percipiat emolumentum, cùm non ſpiritualiter, ſed corporaliter & externè tantùm veſcatur. Enimuerò alia eſt & diuerſa cau[ſa] admirationis: quomodo enim ſuffert Deus iniuriam & opprobrium, quod ab huiuſmodi ſibi infertur? quî fieri poteſt, vt non abſorbeat eos terra, vt Chore cum aſſeclis, nec viui ſepeliantur in inferno? cur non exit ab altari ignis, deuoretque

Mirum eſt, quòd Deus ferat indignè accedentes. Num. 16.

præuaricatores, vt quondam filios Aaron, qui alieno tantùm igne thus adolebant. *Leuit. 10.*

Profectò si id cum attentione discutiatur, videbimus in hoc maximè patientiam Dei inuictam elucere, qui ferat Sacerdotes mortuos, in peccatis celebrantes sæpiùs diuina mysteria, & recipientes Sanctissimum Sacramentum, toties-que differat exulcerati furoris vltionem.

Sic hominem Deo nihil deferre, à quo hostis æstimetur, & à quo pro tunc æternis supplicijs addictus est, qui execretur animam, quæ facta est cauerna draconum, spelunca basiliscorum, cloaca inferno ipso putidior: sic, inquam, hominem Deo nihil deferre, vt audeat creatorem suum, iudicem suũ, in fœtidissimam animæ paludem demergere! se sacris præcingere vestimentis! sacrosancta Missæ celebrare mysteria! cærimonias illas sacratas mẽte sacra perficere! Re etenim vera in his omnibus similis omnino est impijs illis delusoribus, qui ex vna parte cernui Dominum adorabant, & verbis ad reuerentiam compositis venerabantur: ex altera verò, maledictis & cauillis obruebant, dabant alapas & arundine caput pulsabant. Pares his sunt infelicissimi Sacerdotes, qui ad diuina accinguntur, cùm se reos peccati mortalis deprehendant: immò aliqua ratione, ob maiorem scientiam, & alia quædam adiuncta, quæ culpam aggrauant, peiores censentur. quod Thomas à Villanoua Doctor sanctus, super hæc Apostoli verba: *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini,* ita aduertit: *ac si Christum occidisset & effudisset eius Sanguinem. Quascunque enim blasphemias, quascunque irrisiones,*

Similes sunt Iudæis irrisoribus.

Conc. 3. de Sacram. Altar.

risiones, quæcunque opprobria impijssimi Iudæi corporaliter in Christum exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor, Filium Dei rursus in semetipso crucifigens, & ostentui habens. Quod etiam affirmat grauiter S. Cyprianus in hunc modum: *Plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm ipsum Dominum negauerunt. Quia ante expiata delicta, ante confessionem factam criminis, ante purgatam conscientiam, sacrificio & munere Sacerdotis se ingerere non verentur.* Et paulò post: *Non concedit pacem temeritas ista, sed tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit ad salutem: persecutio est hæc alia, & alia tentatio grauior. Recordari oportet, quod scriptum est:*

Apoc. 2.

Memento vnde excideris, & age pœnitentiam; sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo. Atque ibidem rem addit tremendam atque terribilem:

Furantur Corpus Christi.

Faucibus adhuc exhalantibus scelus suum, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt, spretis salutaribus monitis, atque contemptis, vis infertur Corpori & Sanguini Domini.

Porrò res est omni digna admiratione, cùm vera ista sint, & incredibilis sit audacia, iniuria terribilis, contẽptus intolerabilis, qui exercetur in Maiestatem supremam; tanta nihilominus Deum esse patientia, tanta mansuetudine, vt sufferat diutissimè tam nefarios cauillatores, excitet ad meliorem frugem, inuitet ad gratiam, & si verè eos pœniteat, non deneget veniam delictorũ. Hoc tantam mouet admirationem, quam nullis verbis eloqui, cogitatione tantùm & mente complecti possis. Sed hæc nobilis benignitas & mansuetudo, cadere duntaxat potest in pectus illud diui-

diuinum, & in caritatem illam infinitam, quæ immenſo amore homines proſequitur, eorumque ardet ſalute. nec enim omnis patientia, manſuetudo, tolerantia humana, quæ fuit aut erit in mundo, nec virtus & caritas Angelorum ad hoc ſufficeret. vnus eſt amor Dei ſufficiens, qui eſt infinitus. dicit meritò Apoſtolus: *Propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos.* *Epheſ. 2.*

O Patres, quàm potens & efficax eſſet iſta conſideratio, ſi ſeriò illam arriperemus! quæ non cordis duritia per hanc mitigaretur? Ipſimet dæmoni, ſi capax eſſet pœnitudinis, ſufficeret, ad compunctionem vt vocaretur, Deumque amaret arctiſſimè, ſi perpenderet hanc Dei bonitatem, hoc votum eius maximum, quo deſiderat, à vitio ad virtutem, à perditione ad ſalutem, à morte ad vitam reuocemur. **Patientia Christi eſt efficax ad emolliendum.**

Quod pectus tam ferreum, tamque agreſte, quod non ad eius amorem excitetur, à quo ſe diligi animaduertit, præſertim ſine vllo ſuo merito, & ab eo, quem toties per ſummum ſcelus offendit? Obteſtor vos, Patres, in viſceribus Chriſti, & per immenſam eius caritatem, accingite vos ſedulò, vt bonitatem illam contemplemini, patientiam Dei Opt: M. recolatis, qui innumera vobis præſtat beneficia, tanquam in aliquo humana opera indigeret. Etenim pudore ſuffundi debemus, qui amorem odio, benignitatem inhumanitate, promerita demeritis compenſamus.

§. II.

Rom. 2.

HOc ipſum Apoſtolus, verbis acribus & vehementibus, docet Romanos: *An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis, contemnis? An ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* certè nihil eſt, quod nos æquè inuitet ad ſcelerum fugam, & virtutis amorem, quàm benignitas Saluatoris, qui tanto tempore peccata noſtra ſuſtinuit, diſſimulauit ſe contemni, vt ipſi impietatem noſtram aliquando damnaremus, & ad patrios reuerteremur amplexus. Det Deus, vt verba, quæ ſubnectuntur ab Apoſtolo, nemini, qui hæc legerit, poſſint conuenire: *Tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius.*

Timendũ eſt Dei iudicium.

Qui non deflexerit à via malitiæ & peruerſitatis, nec ad virtutem ſeſe excitarit conſideratione bonitatis, ac patientiæ Dei; metuat ille, vehementerque metuat, ne æternùm ſupplicijs inferni addiudicetur eiuſdem ſententiâ, cuius modò manſuetudinem aſpernatur: Iudex enim ille incorruptus eſt, qui ex operum merito ſeu demerito iudicabit. Enimuerò ſi Sacerdotibus impijs, qui ſtulta temeritate, cùm ſe reos multorum criminum cognoſcerent, diuina myſteria celebrarunt, pro ſceleribus pœna infligenda eſt; quanto timore, iuſtum eſt, concutiantur futuri ſupplicij conſideratione & metu? quanto ſcilicet Deus æquior eſt tolerando, tanto poſtmodum erit grauior puniendo. tunc meritò, quod olim per Iſaiam, in eos fulmina-

Deus eſt patiens & ſeuerus.

minabit: *Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens* *Isai. 42.*
loquar, dissipabo & absorbebo simul. Sunt profectò
verba, quæ significant iram illius, qui iniurijs exa-
cerbatus est, & indignationem suam vult pacare
vindicta: sicut testatur per Ezechielem: *Complebo* *Ezech. 5.*
furorem meum, & requiescere faciam indignationem
meam, & consolabor. Eadem vtitur metaphora Pro-
pheta Dauid: *Excitatus est tanquam dormiens Domi-* *Psal. 77.*
nus, tanquam potens crapulatus à vino. Toto huius
vitæ tempore videtur dormire Deus, nec existi- *Greg. l. 20.*
mare iniurias & oprobria, quæ ab hominibus *Mor. c. 5le.*
committuntur: sed vbi excitatus fuerit, liberet *Psal. m. 2.*
ipse nos à furore suo. Hæc animo cum percurris- *Iob. 26.*
set Gregorius, ita locutus est: *Deus peccata in die vl-* *Deut. 5.*
timo iudicat, qui nunc peccantium derisiones portat; & **Ita tenet*
tanto tunc duriùs districtionem exerit, quanto nunc vo- *Dion. c. 4.*
candis peccatoribus suam leniùs patientiam sternit: qui *cal. Hierarch.*
enim diu conuertendos exspectat, non conuersos sine re- *Hier. sup.*
tractatione cruciat. *Gal. 3. Lex ordinata per Angel.*

O Domine Deus, quis sustineat fortitudinem
iræ tuæ, quis rigorem punitionis tuæ? *Tunc loquetur* *Aug. lib. 3.*
ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Meritò *de Tri. c. 11*
Iob: *Cùm vix paruam stillam sermonum eius audie-* *Damasc.*
rimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? *l. 2. de fide, c. 3. post*
Filij Israël, quòd tantùm perciperent loquentem *med. Greg.*
cum Mose Dominum, perterriti dixerunt: *Si vltrà* *l. 28. Mor.*
audierimus vocem Domini Dei nostri, omnes moriemur. At *c. 4. & 5.*
quo modo loquebatur eis Dominus? nō in furore, *S. Tho. 1. p.*
sed amicè legem sanciendo, adhortans propositis *q. 111. a. 1.*
præmijs, vt eam inuiolabilem conseruarent. imò *& 2. 2. q.*
Deus ipse non erat, sed Angelus, vt propabilior *172. a. 2.*
sententia * affirmat. Sed quàm terribilis erit vox *& sanct Stephan.*
Act. 7.

 irati, *Ioan. 1.*

irati, furiosi, iudicantis? Si Christus, cùm in mun-
dò viueret mansuetus & benignus, quadam vice
modicum indignationis volens ostendere, è ra-
mis fortuitò inuentis confecerit flagellum, eie-
ceritque vendentes & ementes tanta efficacia, vt
ocyssimè diffugerent, quamuis viderent mensas
solo prostratas, pecuniæque immensam vim effu-
sam intuerentur, idque cùm vix vllo furore ex-
candesceret; quis erit timor, quæ trepidatio, cùm
venerit amplissimâ potestate furibundus Iudex?

§. III.

O Patres, si in cogitationem futuri iudicij fer-
remur, alia nobis vitæ ratio institueretur: vi-
deremus enim, ne vindex ille cœlestis in nos fu-
rorem suum distringeret: placaremus illum, dum
tempus est misericordiæ & miserationis. petere-
mus denique, vt nos in hoc vitæ curriculo, mor-
bis, laboribus, calamitatibus, oppri meret, imò
tormentis, quæcunque perferri possent, excru-
ciaret; ne posteà iratum & furentem conspicere-
mus, suppliciorum metu vacui liberique essemus.
quæ Dei vindicta quo magis differtur, eo tristior
ventura confirmatur. vnde rectè dicit Apostolus:
Tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor,
thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti
iudicij Dei.

Deus in hac vita placandus.

Verbum hoc, *thesaurizare*, ad rem propriè spe-
ctat. Sicut enim is, cui ingentem thesaurum cu-
mulare in animo est, arcam præparat fortem &
robustam, quæ nullis rimis fatiscat, ne quid insi-
queat videri: ac paulatim congerit aureos aurei

Mali iræ thesauros accumulant.

sester

ſeſtertia ſeſtertijs, donec arca repleatur. quantoque diutiùs tardat in aperiendo, tanto magis creſcunt opes accumulando (quamuis enim minutatim addat, repetit tamen omnia vſque ad ſemiſſem, quem vel negligẽter iniecerit.) Ita ad amuſſim ſe res habet, quam tractamus. nimirum pectus & iudicia Dei, ſunt velut arca clauſa, in qua nihil videas, quæ fideliter humana merita, tam bona quàm mala, conſeruent. Impij peccatores quotidiè in eam congerunt peccata peccatis; ſiue id mortale ſeu veniale ſit, non diſcernunt neque meminerunt, eò quòd ſit in arca pectoris diuini, & quia illi ſuis oculis imminentem non videant vltionem. Sed væ væ, quando aperietur. cùm ſcilicet vitæ huius curſu peracto, rationem inſtituet Deus: in qua exponetur coràm, quidquid congeſtum eſt, etiam minima verba otioſa, & inutilis cogitatio. vbi apparebit maximus theſaurus iræ accumulatus, tantò maior, quantò plus temporis habitum eſt, vt cumularetur. quamuis enim diu ratio iſta differatur, nihil tamen tradetur obliuioni, nihil perditum erit ex his quæ congeſta ſunt. Ita Deus per Moyſen: *Nonnè hæc condita ſunt apud me, ſignata in theſauris meis? & ſubiungit: Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore.* Sanctus verò Iob: *Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, & curaſti iniquitatem meam.* Etenim Dominus alium non creauit vltorem. quod iterum de ſe teſtatur: *Mihi vindicta, & ego retribuam.*

Deut. 32. *Iob 14.* *Rom. 12.*

Liberet nos Deus per infinitam ſuam pietatem, de vltione terribili, de furore iræ & indignationis, de rigore iuſtitiæ ſuæ: aperiatque nobis oculos,

los, vt discamus eius timere iudicia, fidemque habeamus, Apostolo dicenti: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Porrò hoc timore perculsi, multoque magis amore eius: bonitate & patientia ducti, ad meliorem frugem à vitiorum tribulis mentem reuocemus: ex eius singulari bonitate excitemur ad virtutem capessendam, & ad diuinorum mysteriorum venerationem impellamur.

Hebr. 6.

Secundùm hoc (vt eò, vnde digressi sumus, reuertamur) non est mirandum, Sacerdotes, qui se flagitijs grauioribus contaminant, & hac lue infecti, ad diuina se accingere non verentur; non est, inquam, mirandum, vt antè diximus, si frequentando mysteria, nihil percipiant emolumenti. sed contrà causa est diuersæ admirationis, quòd Deus incredibili mansuetudine maximam toleret improbitatem & audaciam. Pro horum autem (si qui fuerint) admonitione, sufficiunt quæ attulimus. mihi etenim pro solamine persuadeo nullos esse aut fore tam infelices ac perditos, aut saltem paucos haberi. Quicunque tamen ita perditè os & frontem perfricuerunt, vt in diuinis nulla reuerentia moueantur, non existimo hos promptos vnquam fore, vt quæ scripsimus, euoluere aliquando velint.



CA-

CAPVT III.

Peccata venialia, & affectiones terrenas atque inordinatas, multùm impedire; quo minùs ex Sanctißimi Sacramenti perceptione, effectus debiti consequantur.

PRætermissis ijs, qui Deum, diuinaque mysteria prorsus aspernantur: de his verba faciamus, qui gratia Domini eiusdem, ac fauore præuenti, eximio nituntur studio & diligentia, vt sese à grauibus sceleribus contineant, mentemque ad dignè celebrandum hac ratione componant. Atque in istis locum habet admiratio, quam exaggeramus. hi scilicet parum in virtute videntur profecisse, postquam pluribus annis celebrarunt.

Tantæ fuit efficaciæ hæc consideratio, apud Cardinalem Caietanum, virum doctissimum, vt opinionem quandam strictam & singularem cōceperit, qua affirmat eos, qui actu peccatis infecti venialibus, celebrant aut communicant (præsertim si in ipsius Sacramenti administratione committantur) nec attendunt, vel ad ea quæ agunt, feruntur paruo aut nullo deuotionis affectu, huius impedimenti causâ nullum recipere fructum Sacramenti, nullum effectum gratiæ cælestis. Verum quidem est hãc opinionem esse rigidam, nec communiter receptam à Theologis; fatentur tamen illi, quòd celebrare in solis venialibus, cum

Opinio Caietani notabilis, quamuis rigorosa. *Caiet. 3 p. q. 79 a. 1.*

quadam mentis torpedine & attentionis defectu impediat non omnem, sed magna ex parte, fructum, qui erat percipiendus: adeò vt mirum non videatur, si pluribus pòst annis nulla sequatur vitæ præstantia, nulla heroicarum virtutum perfectio. Vnde sapientissimus M. Dominicus de Soto examinans & reijciens sententiam Caietani, ita dicit: *Argumentum Caietani fateor multum vrgere, (scilicet, quomodo Sacerdotes quotidie celebrantes non vberiùs proficiant, nec locupletiorem per sua opera referant caritatis habitum: sed respondetur, quòd in Sacerdotibus tepide celebrantibus, augmentum gratiæ est tenuissimum: itē feruor caritatis remittitur per peccata venialia, quæ sunt quotidiana, & ideò videtur languere gratia & caritas.* Quia autem plurimùm refert, vt hæc doctrina rectè intelligatur, magis singulatim exponetur.

Soto in 4. dist. 1. q. 2. a. 8.

§. I.

PRo quo sciendum, quòd Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum duos habet effectus. vnum omnibus Sacramentis communem, qui est, dare gratiam & augmentum illius, his qui nullum impedimentum obijciunt. Alter ipsi est singularis, conferre scilicet nutrimentum spiritale, animisque dulcedinem atque suauitatem infundere. hæc enim cibus propriè operatur.

Venialia impediunt particularem Sacramēti effectū, communem minuunt.

Porrò peccata venialia, in quibus homo recipit Sanctissimum Sacramentum, quæ distractionem inducunt, & expellunt attētionem, hæc, inquam, peccata impedimento sunt, quo minùs sequatur secundus effectus Sacramenti, qui mentem spiritali pascit refectione, & qui proinde ex integro amo-

amouetur, vt clarissimè asserit S. Thomas. Primus verò effectus, & communis, quamuis non omnino impediatur, diminuitur tamen, multoque minor, & (vt Soto) tenuissimus efficitur. licet quippe non extinguatur totus ignis caritatis, remittitur tamen & flaccescit. Vnde sequitur, quòd genus hoc peccatorum, quæ tam parui momenti æstimantur, quibus euitandis nullum ponitur studium, nulla industria, in quæ facillimè minima data occasione prolabimur, nos spoliet opibus maximis & ditissimis: præcipuè verò animatum impediat incrementum, fructumque, qui ex frequentatione vberrimus futurus erat, quotidie remoretur. S. Tho. 3. p. q. 79. a. 8.

Contingit nōnunquam in filijs Principum atque Magnatum, vt, licet delicatè nutriātur, cibos comedant lautissimos, debiles tamen, imbecilli, & sine aliqua oris varietate consenescant. causa huius redditur, quia ex altera parte praua ducti consuetudine terra vescuntur, cuius gustu magis delectātur, quàm exquisitis ferculorum delicijs. vnde destruitur vigor stomachi, & calore naturali absumpto, nihil accrescit solidum, nihil benè constitutum. Idem hîc accidit: nam etsi pretiosissimo ac viuifico Corpore & Sanguine Christi, simul tota cum diuinitate vescamur, nullo virtutis adipe pinguescimus, atque animo manemus infirmo, maleque affecto: vt clara ad oculum experientia docemur. huius causa est, quòd ex altera parte terræ inhiamus, id est, affectionibus ducimur terrenis, conuersatio nostra, gustus, deliciæ nostræ in his quæ sunt de terra. vnde nobilis ille Comparatio.

calor animi, qui est caritas & recta voluntatis affectio, consumitur, nec cibus ille diuinus, quem debebat, sortitur effectum.

Quamobrem noluit Deus mittere filijs Israël manna cæleste, donec omnis farina Ægypti absumeretur, deficerentque cibaria, quibus alerentur. nec enim meretur cælesti pane sustẽtari, qui escis inhiat terrenis. Idem contigit vbi ad terram habitabilem peruenerunt: cuius dum fructus decerperent, manna defecit, & annona cæli dulcissima caruerunt.

Exod. 16.

Ios. 5.

O fruges terræ, quæ vberrimo nos prouentu spoliatis! O farina Ægyptia, quæ obstas quo minus nobis pluat manna suauissimum, cibus verè cælestis! Quid aliud sunt occupationes mundanæ, solicitudo rerum temporalium, cupiditas opum, honoris ambitio, appetitus deliciarum, vanitas & distractio cogitationum, ira, inuidia, cæteræque animi passiones & affectus effrenati, quid sunt aliud quàm farina Ægypti, qua nos ipsos alimus & sustentamus? quia etiam ad hæc anhelamus per summos labores, per diurnas nocturnasque cogitationes. Sed dum his vescimur, nihil desideramus quod cæleste est, cibum nobiliorem, imò nobilissimum aspernamur. comedimus quidem, sed nullo spiritu, vt crescere possimus. quæ miseria tam diu nos affliget, donec farinam hanc vitiorum malarumque affectionum digeramus.

§. II.

S. Greg. l. 2. c. 1 super 1. Regum.

HAnc doctrinam elegantissimè tradidit sanctus Gregorius super versum: *Repleti priùs pro*

pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. vbi sic commentatur: *Hæc verba contra negligentes sacri altaris ministros, atque audaces Dominici corporis susceptores, conuenienter dici possunt: qui nimirum comedunt & saturari non possunt, quia licet Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti non replentur. At virtute ergo illa Sacramenti ieiunant, quia repleti fuerant. Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ: quia ea, quibus se repleuerant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo nisi famelici, qui à vitijs perfectè ieiunantes, diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, euacuare quotidie conentur? Nam qui quotidie non exhaurit quod delinquit, etsi minima sunt peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus insinuans, ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid enim est hoc loco probare, nisi euacuata peccatorum nequitia, se probatum ac purum ad Dominicam mensam exhibere? De repletis etiam subdit: Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus. Quia ipsa sola virtus est, quæ euacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat: & tunc verè famelici saturantur, quia quo studiosiùs mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in spirituali refectione.* Ex quibus verbis intelligis causam, cur frequentando Sanctissimum Sacramentum, parua nascatur vtilitas: nimirum, quia nullam adhibemus operam, vt

Affectus inordinati valdè impediũt Sacramẽti effectum.

men-

mentem expurgemus à vitijs, quæ commun[ia] sunt, & leuia videntur: cùm tamen sint eiusmod[i], quæ animum inquinent, multorumque bonoru[m] nos priuent fruitione. Quod in Prouerbijs exist[i]mandum est significasse Spiritum sanctum, v[bi] ait: *Anima saturata calcabit fauum.*

Prou. 27.

§. III.

NON minùs grauiter de hoc sic loquitur Chry[-]sostomus: *Ad diuina Christi mysteria negligente[r] accedens, supplicium intolerabile meretur; etsi semel [in] anno hoc quis audeat. Ignis spiritualis plena est ipsa men[-]sa: & quemadmodum fontes naturaliter scaturiun[t] aquam; sic hæc mensa flammam quandam ineffabilem fo[-]uet. Caue igitur, accedens cum stipula, lignis & fœno, n[e] maius efficias incendium, & animum, qui sit eius parti[-]ceps, exuras.* Hic S. Doctor ob negligentiam, & de[-]fectum spiritus atq; feruoris, affirmat pœnam gra[-]uissimam incurri: cùm verò de stipula, lignis & fœno mentionem facit, alludit ad verba Apostol[i] dicentis: *Si quis superædificat super fundamentum ho[c] (quod est Christus Iesus) aurum, argentum, lapides pretio[-]sos,* (quæ virtutes & opera bona significant) *ligna, fœnum, stipulam* (hæc sunt peccata venialia) *vniuscu[-]iusque opus manifestum erit.* Item alibi luculenter: *Si Christus nos attenderet, & non infinitam suam bonita[-]tem, iam à nobis abstulisset diuina Sacramenta: dignos enim nos hac pœna efficimus, & indignos ipsis Sacramen[-]tis, dum ea suscipientes minùs dignè, & illa & Christum traducimus, & quantum in nobis est, fama & honore priuamus.* Nota îò *minùs dignè*: id est, minori quàm decet religione, puritate & sanctimonia. Porrò iu-

Pœna grauissima debetur negligenter recipientibus.

1. Cor. 3.

Chrysost. hom. 66. ad popul. Antioch.

re

re id quidem asserit: nam Christus mira prædicauit de effectibus sui Sacramenti: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. In me manet, & ego in illo. Qui manducat me, viuet propter me.* aliaque his similia. Enimuerò in his, qui indignè recipiunt, & sine præparatione debita se ingerunt Sacramento, non operatur hos effectus cum tanta, qua solet, plenitudine & abundantiâ. Vnde isti, quantum in se est, fama & honore priuant Sanctissimum Sacramentum, quod tam mirificè Christus laudauit. Quippe ijs, qui sincerè & candidè hoc scrutarentur & considerarent, dubium forsitan oriretur de veritate magnificæ promissionis ac virtute Sacramenti, cùm viderent in his qui illud frequentant, vix minimum fructum apparere. *Ioan. 6.*

Enimuerò cùm Machaon aliquis ciuitatem ingreditur, instructus theriaca, alijsq; medicamentis pretiosis, nec vulgaribus, populoque edicit, si his vsus fuerit remedijs, talem & talem ægritudinem morbosque, depulsum iri: ille verò non vtatur antidotis debito ordine, nec ex medici præscripto; certum est non nascituros fructus qui promissi fuerant, vnde queri posset medicus sibi irrogari iniuriam, & suam vilescere auctoritatem, eorum negligentia, qui debitum ordinem non seruassent. illis verò, qui defectum hunc virtutis intuerentur, ansa daretur de re medica malè sentiendi, quin & vltrà proclamanti, fides fortè nulla haberetur, cùm in vnis alterisuè nullum effectum viderent. Eadem omninò ratione asserit S. Chrysostomus, quòd ij qui Sanctissimum Sacramentum percipiunt minùs dignè, illud ipsum & Christum **Comparatio.**

auctorem de fama & honore prædentur. Qui-propter alio item loco Sanctus iste hortatur: *Nolimus, obsecro, fratres, nolimus impudenter nos ipsos interimere, sed cum omni honore & munditia ad Deum nostrum accedamus; & quando id propositum tibi fuerit, dic tecum: Propter hoc corpus quod accipio, non ampliùs terra & cinis ego sum, non ampliùs captiuus ero, sed liber: propter hoc corpus etiam cælum, & bona, quæ in eo sunt, me accepturum esse spero: nec non immortalem vitam, Angelorum sedem, & Christi consuetudinem.*

Chrys. hō. 24. in 1. ad Cor.

CAPVT IV.

Iure à Deo postulari dispositionem, & reuerentiam summam, vt recipiatur, & tractetur Sanctißimum Sacramentum.

§. I.

QVi attentè ea, quæ diximus, examinârit, intelliget clarissimè, quam ob causam parum aut nihil proficiant Sacerdotes, licet per multa annorum spatia celebrârint. Nimirum quia nulla præuia diligentia conantur, vt rectè dispositi sint, nec elaborant, vt immunes sint à leuioribus peccatis, cumque his sunt contaminati, non curant se omni studio expurgare. Nam (vt dictum est) Deus, qui in Sacramento sumitur, effectus suos producit conformiter ad dispositionem, quam inuenit in subiecto. Ac Maiestas illa suprema postulat, & meritò, cùm ibi tam excellentia nobis bona communicentur, nos ipsos etiam curemus

rit-

ritè disponere, vt illum, qui se nobis tam amicè, tamque familiariter offert tractandum, dignè tractemus & recipiamus. Quod benè consideratum, in optima ratione fundatur, etiam inter mortales. Rebus scilicet magnis & excellẽtibus, diuersa debetur obseruatio, & particularis reuerentia, distincta ab ea, quæ communibus & ordinarijs exhibetur.

Rebus excellentibus plus debetur.

Sic in Scriptura videmus fuisse illicitum, vt aliquis humili veste indutus, palatium Assueri ingrederetur: quia vestimenti abiectio, maiestatis esse diminutio videbatur. Idem de Rege Ægypti. vt enim Ioseph Regem conueniret, vestibus, quibus in carcere vsus fuerat, reiectis, indutus est decẽtissimè, & resectis capillis, ea, qua par erat, honestate Regi oblatus est. Idem & nunc inualuit, vt qui aulam frequentant magnates, Regique sunt à cubiculis, benè vestiantur, & assistant singulari decoro, suisque cæremonijs & salutationibus stato tempore vtantur, genua inflectant, aliaque huiusmodi edant signa venerationis, quorum apud plebeculam non est vsus: quia talis reuerentia Principibus debetur, quæ ipsorum designet amplissimam potestatem. Immò in rebus pænè infimis, si benè aduertamus, idem ordo cum certa proportione seruatur. talis est inter tractantem & rem tractatam, recipientem & receptum, locum & id quod illo continetur: sic medica potio non rectè accipitur sine præuia dispositione, nec balsamum, aut liquor pretiosus, in vase putido asseruatur: manus etiam lepra infecta, plagisque & vlceribus horrida, tractando ditissimam auri massam,

Esth. 4.

Gen. 40.

ſam, fuluo ſplendore rutilantem, videtur illi i-
iuriam irrogare.

§. II.

Meritò Deus poſtulat reuerenter tractari.

NVnc verò extollendo cogitationem ad r
ſummas, qui hunc ordinem in creaturis ſe-
uari animaduerterit, cognoſcet facilè, quàm i
ſtum ſit, vt Maieſtas Dei infinita (cuius iudic
maximæ res mundi, humillimæ reputantur) d-
poſcat ſibi ab his quibuſcum conuerſari vult, ſi-
gularem exhiberi reuerentiam & ſanctitatem, d-
uerſam ab ea quæ datur creaturis. Vnde, cùm i
Exod. 3. deſerto primùm appareret Moyſi in rubo arde-
ti & incombuſto, velletque accedere Propheta
monuit Dominus, calceamenta exueret, miſto
timore cum reuerentia, quia ibi Deus eſſet, mir-
culum propiùs intueretur. Deinde cùm popul
legem manu ſua ſcriptam eſſet laturus, ita Mo
Exod. 19. præcepit: *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie &
cras, lauentque veſtimenta ſua, & ſint parati in diem ter
tium: in die enim tertia deſcendet Dominus ſuper mon
tem Sinai.*

Quod valdè mirandum eſt: quia illi cum De
loqui non debebant, nec eum intueri, neque a
montem, in quem Dominus deſcenderet, perue
nire. mandatum quippe erat expreſſum, vt nem
ad montem, ne quidem ad eius confinia accede
ret, idque ſub pœna mortis. nihilominùs tame
voluit eos præparari, quia à longè præſentes eſſē
futuri. Bone Deus, quo fuiſſet opus apparatu, ſ
videre, loqui, tractare eum manibus debuiſſent
nobis ille huius intellectum largiatur. Sed vltr
per-

pergamus. Magis vtique mirandum eſt, quòd Deus facturus miraculum ſub ingreſſum in terram promiſſionis, quo ſiſteretur curſus Iordanis, & viam ſterneret populo tranſeunti, (quamuis id in perſona non videretur facturus) tantùm quia rem valdè mirabilem intuerentur, præcepit Ioſue, populo ediceret: *Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* *Ioſ. 3.*

§. III.

Quantū delatum ſit arcæ Teſtamēti.

ET quia ad propoſitum noſtrum magis magiſque delabimur, res eſt digna conſideratione, quòd voluerit Deus, vt arca Teſtamenti, quæ lignea erat & inaurata, in qua tabulæ legis & manna ſeruabatur, tanto honore, tantaque reuerentia coleretur. non poterat eam aliquis attingere, nec videre nudatam. quod nec licitum erat Sacerdotibus & Leuitis, niſi velo ſuo coopertam. quando autem vecta eſt per Iordanem, mandauit, nemo accederet, ſed magna inter populum & arcam diſtantia haberetur. *Ioſue 3.*

Semel, cùm fugaſſent Iſraël Philiſtæi, arcam captiuam duxerunt, & quo poterant, eam honore venerati, in templo iuxta idolum collocarunt. *1. Reg. 4.* Quod continuò deturbatum eſt, tantaque in populo ſtrages edita, morbis, doloribus, variaque ægritudine, vt neceſſe fuerit eam reſtituere maxima reuerentia & timore.

Quæ cùm delata eſſet ad Bethſamitas, qui in ingreſſu Iſraël habitabant, illi incredibili plauſerunt lætitia, & cū maxima ſollemnitate plurima ſacrificia obtulerunt. quod cùm laude dignum *1. Reg. 6.*

videretur, & religione esset plenissimum: qui tamen non satis cautè nudam intuebantur, hoc contenti eam se habere; propter hanc temeritatem & defectum venerationis, pestem immisit Deus communem, atque detestabilem, quæ quinquaginta hominum millia deuorauit.

Postea etiam Leuitam, qui manum supposuerat, vt ruentem sustentaret, vita priuauit. de quo latiùs suprà.

Tract. 2. c. 19. §. 2.

Quid sibi hæc volunt, nisi vt doceant Sacerdotes Euangelicos, Sacramenta Dei sanctissima summo honore atque reuerentia colenda & tractanda esse, cùm horum figura in tāta fuerit olim veneratione?

Thom. à Villanoua conc. 3. de Sacram. Altaris.

Meritò Thomas à Villanoua, cùm supradicta narrasset, admirabundus exclamat: *Quanta grauitas, quanta seueritas, quanta maiestas, quantus honor, quantus terror in arca lignea! Tantanè tibi, Domine, cura de ligno? Non vtique, sed propter nos hæc omnia facta sunt. In illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur, illos examinas, vt nos erudias. In eis discamus, quanti piaculi simul & periculi sit, indignè tractare aut sumere sacrosanctum Christi corpus in hostia salutari; cuius typum sic Deus magnificauit, sic sublimauit, sic vindicauit. Væ sacrilegis manibus, væ immundis pectoribus immundorum Sacerdotum, à quibus tam insolenter quotidie tangitur & suscipitur. Si talis vltio in vmbra, qualis fiet in veritate? Si ignoranter aut imprudenter videntes, aut tangentes typicam illam similitudinem, tam acerba morte damnati sunt, quæ animaduersio fiet in contemptores maiestatis? Horresco referens, & toto corpore contremisco. Tantum mysterium non in seipso, sed in sua potiùs vmbra debuit*

con-

commendari: vt sciamus, quòd omne supplicium & tormentum minus est flagitio, quo Christus contemnitur in hoc sacrificio. Iure optimo clamat Apostolus: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. audito hoc, tonitruo, quis non contremiscat? ad huius tubæ sonitum, cuius aures non tinniant? quis de cætero, his cognitis, impurus & immundus audeat accedere? Verba sunt grauissima, digna spiritu tanti Doctoris. Et aduerte non iam esse sermonem de his, qui insana quadam temeritate, cum mortalis peccati conscientia accedunt, sed de ijs, qui nulla ferè reuerentia & dispositione, nulla facta expurgatione venialium, animo distracto & apud Indos versanti Sacramentis sese ingerunt. Porrò si benè excutiamus, omnia ista supplicia horrenda pro defectu reuerentiæ & alterius delicti, quod leue admodum videtur, inflicta fuerunt. At, cur mirum æstimabitur, si in mysterijs sanctissimis summa cura, summa diligentia & attentio requiratur, quæ si defuerit, Deus, maximè indignetur? Montem in quem descendit, non ipse, sed angelus, in tanta voluit haberi veneratione, vt quicunque ad pedem ausus esset accedere, lapidibus obrueretur. Cur nō, vbi Deum ipsum manibus attrectamus, maxima in nobis reuerentia, puritas, consideratio inueniatur?

Paruam culpam sæpè Deus grauiter castigauit.

§. IV.

ENIMVERO si Apostolum examinemus dicentem: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit*; hæc indignitas non videbitur duntaxat intelligi in his, qui in mortali sunt, sed etiam in illis, qui sine timore ac reuerentia accedunt,

1. Cor. 11.

dunt. quod videtur innuere: *Non diiudicans corpus Domini.* nam in hac culpa rectè includitur, qui sine debita attentione & cura, hoc tanquam rem communem & vulgarem orditur. Quod ipsi me Sacerdotes iudicent, qui quocunque sint negotio intricati, si vocentur ad celebrandum, sine vlla præparatione sese eò conferunt, tanquam ad aliam rem quamcunque vocarentur. Qua ratione illi se de hac irreuerentia purgabunt? aut quomodo excellentissimos fructus percipient Sacramenti?

Ne tamen hæc ego somniasse videar, audiam gloriosum Bonauenturam super locum illum Apostoli: *Probet autem seipsum homo,* &c. sic enim commentatur: *Proba teipsum, ex quanta caritate & quali feruore accedis: non solùm enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam vel otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolutæ vitæ, & malæ consuetudinis. licèt enim non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, grauem, & obnubilatum, indispositum & ineptum ad celebrandum: nisi dicti pulueres, & stipulæ venialium, per afflatum spiritus & flammam caritatis, ventilentur & consumentur, exardescente igne cordis in consideratione. Ideo caue ne nimis tepidus & inordinatus, atque inconsideratus accedas, quia indignè sumis, si non accedis reuerenter, circumspectè & consideratè: de quibus Apostolus ait: Iudicium sibi manducat & bibit.* Profectò iustum est, fidem habeamus viro sanctissimo, qui illustratus Dei sapientia, & raro quodam spiritu afflatus monumenta sua posteris consecrauit. Etenim ego non admiror vehementer, quòd hæc & simili

Bonauent. tract. de præp. ad Missam c. 5.

dicam

dicantur, nec admirabitur is, qui amplitudinem Maiestatis diuinæ considerabit, qui recolet quanta modestia assistant ei Angeli, atque Seraphici spiritus? qui denique intuebitur candorem & familiaritatem, qua se nobis vilissimis creaturis communicat in cibum, extollitque nos quantumuis humiles ad amplissimam dignitatem, & immeritos maximis sibi beneficijs obstringit. Quis hîc miretur Deum postulare, cùm se tractandum præbebit, omni honore & reuerentia tractetur?

Porrò vt hæc doctrina maiorem, imò maximam habeat auctoritatem, quædam ex Concilio Tridentino subnectam, quibus summatim, quæ fusiùs hoc capite dicta sunt, continentur. Hoc de eadem materia, & de digna Sacramenti perceptione, sic hortatur: *Si non licet ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè; certè quò magis sanctitas & diuinitas cœlestis huius Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cauere ille debet, ne absque magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat: præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quare communicare volenti, reuocandum est in memoriam illud præceptum: Probet seipsum homo, &c.* Atque idem ab eodem paulò pòst confirmatur: *Per ipsum sacrificium fit, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Ecce hîc conditionem necessariam, quam & nos ponimus, vt fructum ex Sacramento percipere mereamur.

Cõc. Trid. sess. 13 c. 7.

Sess. 22. cap. 2.

CAPVT V.

Quamuis posit Deus omnem dispositio-nem, conuenientem nobis; suppeditar; meritò tamen exigit, vt ipsi, quantum in nostra parte fuerit, eam obtinere stu-deamus.

§. I.

TANDEM aliquando magis singulatim tracta-mus de præparatione nobis necessariò adhi-benda. At quid possumus miseri & infelices, con-cepti in peccatis, nati in vitijs, maximis calamita-tibus subiecti? Sacratissimus Præcursor sancti-catus in vtero matris, & excellenti ac rara qu-dam innocentia præditus, indignum se putaui, qui baptismate tingeret Saluatorem, solueretqu corrigiam calceamenti. Angeli sancti, creati in gratia, confirmati in gloria, reuerenter quasi te-riti diuinam Maiestatem, nec eius oculis mun satis aut casti apparent. quid ergo peccatores no ipsos præparemus, qui licet in hoc mille ann expendamus, digni certè non erimus, vt vel sem tremendum Missæ sacrificium immolemus.

Humilis confessio. *Ambr. in orat. præparat. ad Missam. tom. 4.*

Id piè confitetur D. Ambrosius: *Quanta enim,* inquit, *Domine Iesu Christe, cordis contritione, & la-crymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quan corporis castitate, & animæ puritate, istud diuinum c cœleste sacrificium est celebrandum? Vbi caro tua in ve rita*

ritate sumitur, & sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summis ima coniunguntur, vbi adest præsentia sanctorum Angelorum, vbi tu es Sacerdos & sacrificium, mirabiliter & ineffabiliter constitutus. Quis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio, & verè scio, & hoc ipsum pietatiuè confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium, propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias. Sed scio veraciter, & credo ex toto corde, quia potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, & de peccatoribus iustos facis & sanctos.

Idem pari affectu & elegantia affirmat sanctus Fr. Thomas de Villanoua, quem meritò inter grauissimos sapientissimosq; Ecclesiæ Doctores possumus allegare. Et quia verba eius notatu digna sunt, plena spiritu, ea hîc inseremus: *Quænam dispositio, quæ præparatio, quæ puritas sufficiet? Quid potest facere homo putridus & impurus? quomodo poterit se disponere ad tantæ Maiestatis edulium? Ecce stellæ non sunt mundæ in conspectu eius, quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Væ nobis miseris & infirmis: quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es? In peccato concepti, in peccato nati, in peccatis nutriti, quomodo mundabimur, nisi tu, Domine, mundaueris, qui solus sanctus & purus es? Domine, da quod iubes, & iube quod vis. Non inuenit in sacco Beniamin suus frater Ioseph aurum, nisi quod ipse posuerat; neque inuenies tu, ô bone Iesu, in pectore nostro bonum aliquod, nisi ipse præstiteris. Vtinam Domine, vtinam in corporis nostri sacco gratiæ tuæ scyphum, sacro huic frumento abscondas, & pie inferas, hac lege, vt*

Thom. à Villanoua con. 3. de Sacram. Altaris.
Iob. 25.
Doctrina deuotissima.

in quo beatum furtum inuentum fuerit, sit tibi seruus perpetuus. Et quid tibi dicam Domine Deus? hoc vnum video, hoc vnum scio, quia quas diligis animas, ipse purificas, ipse mundas, ipse ornas, ipse ditas, ipse decoras, & pulcrificas, vt placeant coram oculis tuis, quæ priùs placuerant: diligis, quia dilexisti; faues, quia fauisti; magnificas, quia præuenisti; glorificas, quia magnificasti, & tandem misereris, cui misertus es, & misericordiam præstas, cui misereris: gratiam pro gratia, donum pro dono, & cui gratis dedisti munditiam, gratis quoque adauges gratiam, dona tua remunerans, & munera tua gratificans. Tu ergo diligis, tu præuenis, tu disponis, tu exaltas, tu magnificas, tu glorificas, tu omnia facis. Quid ergo à me requiris? tuum est hanc dispositionem præstare, nostrum est petere; tuum est efficere, nostrum desiderare, & hoc nisi à te & per te, à quo est velle & perficere.

Hoc itaque est verissimum, quòd Deus sit, qui vnus potest dignè mentes nostra disponere, vt cum fructu Sanctissimum Sacramentum percipiant. quod in ratione naturali fundamentum habet. Quippe docet Pholosophia, quanto forma aliqua est nobilior & præstantior, tanto excellentiores dispositiones debent præcedere. adeò vt vltima perfectaque dispositio ad formam, necessariò ab ipsa forma dimanet. Solus ignis disponere potest subiectum, vt in id forma ignis recipiatur: & ita in cæteris naturalibus contingit. Nunquid etiam iustum videtur, vt Deus excipiatur anima humana, eandem ipse, & quidem solus, ritè præparet & disponat?

Solus Deus disponit ad dignè recipiendum.

Cùm se Rex itineri dare constituit, & necesse est in pago pernoctet, non moratur, donec ab ipsis

ſis colonis erigantur tentoria, cubicula exornentur: cùm hoc facere illi ignorēt, imò nullo modo conuenienter poſſint. Verùm ipſe omnem ſupellectilem præmittit, œconomos præfectoſque aulæ, qui dignam tantæ maieſtati ſedem metentur. Aſt in immenſum ampliſſima Dei Maieſtas creaturam omnem excedit, quantumuis illuſtrem & excellentem, ac longè magis, quàm nobiliſſimus Princeps ſordidiſſimum tenebrionem. Vnde prima, quam ponere debemus, diligentia, priuſquā celebremus, ſit demiſsè agnoſcere impotentiam, ſuppliciterque flagitare à Domino, & conſtanter cum feruentiſſimis deſiderijs, vt mentes noſtras ſic diſponat, qualiter omnino conuenit, diſponantur.

Prima diligentia ſit humilis confeſſio.

§. II.

QVamuis verò hoc ita ſit, vult tamen Deus, quantum in nobis fuerit, ſtudeamus efficere. hic enim ordo generatim in rebus ſpiritalibus attenditur: etſi nimirum ſine gratia Dei, & fauore ſingulari, nihil facere poſſimus, quod acceptum illi ſit, aut meritum aliquod includat: *Non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: & nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* & ipſe Dominus teſtatur: *Sine me nihil poteſtis facere*; nihilominùs tamen nos inuitat, totieſque hortatur, ad virtutem capeſſendam: quin ipſe rogat ſæpiſſimè: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Apoſtolus verò: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* & per Iſaiam: *Expectat Dominus, vt miſereatur noſtri.* Licet enim

Quamuis ſine Deo nihil poſſimus, inuitat tamen nos, vt faciamus quod in nobis.

2. Cor. 3.
2. Cor. 11.
Ioan. 15.
Zachar. 1.
Iacob. 4.
Iſai. 30.

enim quodcunque voluerit, possit efficere in omni re creata, nec impediri vlla ratione queat: *Voluntati enim eius quis resistet? Attingit* tamen *à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ad quam suauem dispositionem pertinet agere res singulas pro naturæ conditione. Vnde homini liberum voluntatis suæ tribuit arbitrium, infundensque gratiæ suæ rorem, quo illum præuenit, optat & desiderat, fructus ab homine, quantum in illo fuerit, proferantur. Et communiter, cùm ipsi nos hortamur, & ad virtutem colendam cum libero arbitrio præuento à gratia accingimus, Deus etiam gratiam auget, ac pleniori nos fauore prosequitur. Hanc ob causam, quamuis ille solus possit operari in homine dispositionem necessariam & conuenientem, pro receptione Sacramenti; vult tamen omnem ipsi diligentiam adhibeamus, inuitatque nos vt præparemur. Sic per Prophetam: *O Israël præparare in occursum Domini.* Et quod Samuel dixit populo, à nobis postulat Deus, faciamus: *Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli.* Porrò Spiritus sanctus docet: *Hominis est præparare animam suam.* Illi enim, qui omne studium in hoc ex sua parte collocarit, conformiter ad negotij momentum, non deerit gratia & fauor diuinus: cùm ille totum operetur.

Rom. 8. Sapient. 8.

Deus nos monet, vt præparemur ad recipiendũ.

Amos 4.

1. Reg. 7. Prou. 16.

Etenim quòd tanta sit diligentia, quæ poni debet in hac dispositione procuranda, non opus est exaggerare, cùm hoc ipsum dictum sit. At rationi est consentaneum, vt ex dignitate hospitis, qui recipiendus est, cœnaculum præparetur.


Videmus hoc experientia, si ad aliquam vrbẽ

ſe rex confert, multo antè tempore varij fiunt apparatus, theatra eriguntur, adornantur compita, ſumptus denique incredibiles fiunt. Sed nunquid meritò mentem noſtram excolamus, vt excipiatur Princeps ille cæleſtis, qui inſcriptum habet veſtimento: *Rex regum, & Dominus Dominantium.* *Apoc. 19.*

Dauid immenſos theſauros auri argentique congeſſerat, lapides pretioſos, metalla, aliaque maximi valoris, vt templum Deo exſtrueretur. Sed hæc illi videbantur exigua, quòd omne quod poſſet fieri, debitum eſſet: rationem autem dedit ſe dignam: *Grande opus eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.* Filius verò eius Salomon, postquam templum ſumptuoſiſſimum ditiſſimumque exſtruxiſſet, tale vt meritò orbis miraculum haberetur, exiſtimabat pro maieſtate Dei excipienda, domum, quam ædificârat, nimis eſſe humilem & abiectam. aiebat enim: *Si cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt: quanto magis domus hæc, quam ædificaui?* At num potiori iure nobis videatur omnes diuitias ſpiritales, & quamlibet diligentiam humanam ineptam eſſe, vt præparet ſanctuarium, in quo non arca Dei, ſed Dominus ipſe requieſcat? Porrò conſulit Spiritus ſanctus: *In omnibus operibus tuis præexcellens eſto* Igitur nonnè iuſtum eſt in hoc conemur excellere, quod maximè ſerium eſt, & cuius cætera comparatione, nugatoria quodammodo videntur?

2. Paral. 29.

3. Reg. 8.



CA-

CAPVT VI.

Ad dignè celebrandum fidei puritas requiritur, quâ intellectus subijciatur ei, quod docetur, & nulla adhibeatur industria, vt mysterij altitudo innotescat.

§. I.

DIXIMVS generatim, quàm sit necesse omni qua fieri potest, procurare diligentia, conueniens dispositio habeatur, vt sacrum Missæ officium dignè celebretur. Superest dicamus singulatim, qualis debeat esse ista dispositio, in qua consistat, & qua opus sit diligentia, vt illam comparemus.

Pro hoc sciendum, quòd dispositio ad celebrandum duplex est: Vna generalis, altera particularis. Generalis est ea diligentia, qua incumbere Sacerdotes debemus, vt vita nostra & conuersatio respondeat sanctitati atq; amplitudini mysteriorum quæ celebramus. Et hæc est principalis magisque necessaria præparatio: adeò vt omninò requiratur, tota Sacerdotis vita præparatio sit ad dignè celebrandum, & in omni re tam circumspectè agat, vt paratus esse ad offerendum semper dici possit, vtque in omnibus quæ dixerit ac fecerit, recordetur sese hodie celebrasse, & cras celebraturum. De qua præparatione diximus aliquid supra

Tota vita sacerdotalis, sit præparatio ad celebrandum.

prà Tractatu ſecundo, vbi oſtendimus religionem, qua Sacerdotale munus obligatur.

Particularis eſt, vt, quantumuis Sacerdos ſit ſanctimonia præſtans, diſponat ſe tamen ad Miſſam ſingulari ſtudio, cura & diligentia. De quo genere diſpoſitionis aliquid modò dicemus. Et quamuis hæc præparatio in multis conſiſtat, reduci tamen illa poſſunt ad duo præcipuè, puritatem & attentionem, ſiue conſiderationem, quia in his cætera includuntur. De quibus ſingulis ſigillatim agamus.

Puritas triplex conſtitui poteſt, vna fidei, altera intentionis, tertia conſcientiæ. De fidei puritate, non eſt quòd multa dicamus: quandoquidem, ſi Deo placet, tractamus cum Sacerdotibus Catholicis, qui inſtructi ſunt veritate fidei, quam Eccleſia Romana profitetur, qui conſtanter credunt omne id, quod ipſa de hoc myſterio credendum proponit. Vnde quoad hoc, ſufficiat admonere, inter omnia religionis Chriſtianæ myſteria, vnum eſſe quod requirat exercitium fidei, SS. Sacramentum Altaris. vbi totaliter claudendi ſunt oculi rationis humanæ, cunctorumque ſenſuum exteriorum: ac fidei aures aperiendæ ſunt verbis Chriſti, & declarationi S. Eccleſiæ. fallũtur enim hîc omnes ſenſus: viſus, guſtus, tactus, olfactus mentiuntur: ſolus auditus, qui miniſter eſt fidei (*fides ex auditu*) aſſerit veritatem, credendo ſimpliciter & candidè verbis Saluatoris. vnde in Hymno concinimus: *Præſtet fides ſupplementum ſenſuum defectui* Nimirum vbi deficit experientia, ſupplet & iuuat fidei auditus: qui verbis Chriſti innixus, omnes ſenſus

In SS. Sacramento fides exercenda.

Rom. 8.

sus arguit mendacij, totamque rationem humanæ industriæ falsam esse testatur.

§. II.

QVIA hanc doctrinam & candorem religionis, oderunt infelices hæretici, in tam altos errores lapsi sunt, vt mirabile videatur, posse cadere in intellectus humanos, tam absurda, tam aliena ab omni ratione, & contraria veritati, quæ

Matth. 26. *Marci 14.* *Luca 21.* *Ioan. 6.* dixit: *Hoc est corpus meum*: &, *Hic est sanguis meus*. & *Hoc facite in meam commemorationem*. Item: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Hæc verba cùm meridiana luce clariora sint, ipsi media luce

Hæretici à luce excæcantur. caligant & excæcantur magis: ita planè, sicut eorum, qui solem intuentur apertis oculis, fixoque obtutu, necesse est aciem hebetari, adeò vt nec orbem oppositum, nec aliud quippiam possint videre. vnde nos Apostolus hortatur:

Hebr. 10. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*. Hac fide constanter & sincerè credamus verbis Christi, & ijs quæ Ecclesia sancta nobis credenda proposuit, sine vllo examine, aut curiosa vestigatione: ne fortè pœnam à Spiritu sancto constitutam, incurramus:

Prou. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*.

Dicit rectè Apostolus, quòd in his mysterijs credendo nos subijciamus: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*.

Quomodo sit captiuandus intellectus. Intellectus ergo hîc mancipij instar detineatur. Quòd si mancipium aliquod se rei domesticæ, spreto patrefamilias, immisceret, velletque inquirere rectène an malè omnia agerentur, si rationi consona, si aduersa; numquid meritò huic respondere-

ius audaciæ : Impudens ardelio, quis te negotio
ti præfecit? tuum eſt ſeruire, &, quod mandatur,
xequi, non licet ſcruteris, vtrùm rectè an tortè,
uæ ſunt domini, gerantur. Tali ſubiectione vult
poſtolus, in myſterijs fidei intellectus noſter
ıbdatur. nihil excutiat altiùs, credat candidè
uod mandatur, impleat tanquam in ſeruitutem
:dactus. Et id maximè conetur in hoc myſterio.
am præterea dicimus in verbis conſecrationis,
uòd hoc Sanctiſſimum Sacramentum ſit *Myſte-* Cur SS. Sacramētum vocetur myſterium fidei.
um fidei. Quippe in omnibus myſterijs, etiam
anctiſſimæ Trinitatis, locum habet humana ra-
o, & lumē naturale intellectus, vt fides iuuetur.
ed fidei tantùm hîc locus eſt, huic vni creden-
um : intellectus & ratio humana vinculis debet
oërceri, ne fortè contendat examinare, cuius
:ientiam non poterit obtinere.

§. III.

Nter cærimonias, quæ à Deo ordinatæ ſunt
ad eſum Agni Paſchalis (qui expreſſa figura eſt
anctiſſimi Sacramenti) præceptum etiam fuit in
hunc modum : *Non comedetis ex eo crudum quid, nec* *Exod. 12.*
coctum aqua, ſed tantùm aſſum igni caput cum pedibus
eius, & inteſtinis, vorabitis, nec remanebit ex eo quid-
quam vſque mane; ſi quid reſiduum fuerit, comburetis.
Certè, ſi hîc myſteria grandia incluſa non fuiſ-
ent, friuolum fuiſſet dicere: *non comedetis ex eo cru-*
dum quid, cùm certum eſſet, quod ſic non erant
comeſturi. *nec coctum aqua* : quia non fert conſue-
tudo, vt Agni ita coquantur, ſed aſſentur. Opus
ergo fuit hæc ſingulatim præſcribere, vt ſigna-

rentur mysteria immensa, quoad Sanctissimum Sacramentum, quod per Agnum significabatur. Quo oportet esse non crudum, non coctum aqua. Crudum voluerunt comedere Iudæi, vnde maximè offensi sunt, vt testatur Euãgelista. Cùm enim dixisset Dominus: *Nisi manducaueritis carnem* Ioan. 6. *Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Illi hoc vt verba sonant, æstimantes, putabant carnem laniatam in cibum dari, & sanguinem propinari ea ratione, qua eum illi effuderunt. vnde & altercabantur: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Et sanè durum fuisset, & quasi inhumanum, petere, vt caro sacratissima cruda comederetur, atque ita materialiter, vt illi opinabantur. vnde hoc nec patienter poterant deuorare, nec perferre loquentem. Similiter coqui nō debet aqua Philosophicæ curiositatis, aut rationis humanæ. quemadmodũ id conantur Gentiles & Hæretici, qui frigidissimis rationibus, & vana facultate dicendi, comprehendere volunt mysteria tam diuina. quæ proinde ipsis nullo sunt emolumento. Tantùm assari debet Agnus igne caritatis, quæ sola hunc facit fructuosum, omnesque in eo delicias includit.

Amor omnem superat difficultatē. Quippe dum considerabitur amor maximè inflammatus, ex quo opus illud diuinum processit, omnes difficultates concident, quas intellectus & humana ratio nequit euoluere. vnde rectè dicitur: *Si quid residuum fuerit, combureti.* Omne enim quod intellectus & humana ratio non potest penetrare, nec scrutari in Sanctissimo Sacramento

remi-

remittendum est ad ignem amoris, qui in Christi pectore vehementissimè flagrabat: nam is effecit, vt id fieri posset, quod fieri non posse videbatur. vnde similiter, quod intelligere in hoc mysterio non possumus, nec mente complecti per rationẽ humanam & lumen naturæ, id maximè in cordibus nostris inflammare debet amorem diuinum, qui sic nos accendat, vt omnis asperitas & duri-ties credendi, in planum ijsse videatur.

Profectò ita est, nihil haberi æquè efficax, vt Dei amore inflammemur, quàm videre eundem Deum, tam grandia, tamque excellentia pro nobis condidisse, vt nec ipse noster intellectus ea comprehendere, nec penetrare queat. & hoc sibi vult, *Si quid residuum fuerit*, id est, quod non poterit vorari, *igne comburetis*. Nota etiam *Tò vorabitis*. iam per hoc significatur nõ minutatim deglutiri debere, vt communi cibo vescimur: sed guttur aperiendum esse latiùs, & ita caput, pedes, intestina deuoranda. *Caput Christi, Deus*, vt inquit Apostolus. per pedes, intelligunt Sancti sacram eius Humanitatem. vnde totum hoc fide debet deglutiri: Deus verus, & homo verus, integer, constans anima & corpore. multoq; ampliùs intestina amoris, quo Deus opus tam mirabile confecit, se in cibum potumque hominibus largiendo.

1. Corinth. 11. Ita Gregor. homil. 35. in Euang.

Adeò, vt summatim, quæ credere debeamus, hæc sint, nimirum quòd in ipsa enuntiatione verborum, quibus vsus est Christus in cœna, panis conuertatur in verum Christi corpus, vinum in sanguinem. atque sub his accidentibus consistat: *Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo*

Quid credendum in SS. Sacramẽto.

 ex

ex substantia matris in sæculo natus. Idē ille qui Virgi-nis castissimæ visceribus fuit inclusus, & supinus iacuit in præsepio: qui affixus est cruci, mortuus & sepultus: qui à mortuis resurrexit: idem denique, qui sedet ad dexteram Patris, omni gloria & maiestate, panis vinique speciebus, continetur. Hæc ad fidem: & est prima puritas, quæ ad dignè offerendum procuranda est.

CAPVT VII.

De puritate intentionis, quam, vbi celebrat, Sacerdos habere tenetur: & de vario fine, qui in Missa debet prætendi.

§. I.

ALtera puritas, diximus, est intentionis, quæ ad ritè celebrandum valdè necessaria est. Nam, sicut Philosophi & Theologi asserũt, omnes actiones humanæ, speciem à fine sumunt, ad quem ordinantur, aut ab intentione, quâ fiunt. *Et secundùm quod finis, propter quem operamur, est culpabilis vel laudabilis: secundùm hoc sunt opera nostra culpabilia, vel laudabilia.* Quod eatenus verum est, vt, cùm nihil sanctius sit in Ecclesia, quàm frequentatio Sacramentorum; si id fiat sinistrâ intentione, & fine peruerso, malum etiam sit & sacrilegum. quod ipse Christus edocuit: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: autem*

S. Thom. 1.2. q. 1. a. 3. Arist. l. 1. Ethic. Omnes humanæ actiones à fine specificantur.

autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Ac in ipsis operibus bonis, tanti momenti est ea dirigere & perficere rectæ intentionis oculo, vt idem opus bonum, factum fine perfecto & excellenti, verbi gratia, pro Dei amore, & ad solam eius gloriam, in tantum superet seipsum, cum fine minùs perfecto instituitur (quamuis & ille bonus sit, exempli causa, timore inferni, desiderio præmij, aut quocunque alio, quod priuatam spectet vtilitatem) vt comparatio inter hæc nulla reperiatur: sicut nec lumẽ solis cum luce candelæ comparari vllo modo potest. Tanti refert res bonas aggredi fine, & intentione perfectâ.

Actiones bonæ, dirigantur ad finem magis perfectum.

Vnde rectè inferetur, non effugere notam reprehensionis eos Sacerdotes, qui solâ ducti consuetudine, ad diuina quotidie accedunt, & iam instante horâ, aut occasione celebrandi, sine vlla porrò consideratione ad cælestia feruntur, sicut hora cœnæ ad cœnaculum, cùm eò vocantur. tales ego quidem dixerim in reatum incurrere eorum qui accedunt, *nec diiudicant corpus Domini.*

Solâ consuetudine celebrare, est peccatum.

Etenim maiore digni sunt reprehensione, qui ad diuina se conferunt temporalis lucri causa, siue propter stipendium, quod à Missa sunt accepturi. Quamuis enim sit licitum, ob celebrationem, præmium aliquod aut mercedem recipere; (quod admittit Ecclesia: *vt qui altari deseruiunt, de altari viuant*) nullo modo tamen licet, immò nefarium est, celebrare eo fine, aut istâ intentione tanquam principali. hi enim incurrere videntur in culpam, quam filij Aaron incurrerunt, offerentes ignem alienum: certè mouentur ad celebran-

Item propter lucrum temporale.

1. Cor. 9.

Leuit. 10.

dum non igne diuini amoris, sed opum cupiditate & auaritiâ. de quibus Bonauentura testatur: *Cùm diuina mysteria accipiunt, non cælestem panem, sed terrenum quærunt: non spiritum, sed lucrum: non Dei honorem, sed quæstum pecuniarum: & ita corpus Domini non tam accipiunt, quàm rapiunt; quia accedunt non vocati à Deo, sed impulsi à sua cupiditate & auaritiâ.*

Bonauent. Tract. de præpar. ad Missam. cap. 3.

Sed linquamus fines istos vitiosos, & digno reprehensione: qui sunt velut portæ falsæ, per quas nonnulli intrant non tanquam fideles serui, vt recipiant mercedem, sed sicut latrones, vt rapiant & prædentur. Multum interest, Sacerdos benè dirigat intentionem, cùm est celebraturus: quod vt facere norit, sciat fines ob quos Missa est recitanda.

§. II.

S. Bonau. vbi suprà, c. 8. 9. 10. & 11.

S. Bonauentura multos fines, variasque intentiones assignat, ad quas opus sui muneris Sacerdos possit dirigere: ex cuius doctrina, vt illam recenseamus Laconicè, sequentia puncta colligemus.

Fines, aut intentiones, quæ Sacerdoti habendæ.

Sacerdos celebraturus, aut celebrans, ad hos fines suam debet intentionem destinare.

I. Ad honorem & gloriam Dei.

Primò, ad gloriam Dei, & vt hoc sacrificio actum exhibeat latriæ Deo debitum: optando, vt nomen eius vbique gentium prædicetur. quod fieri nullâ re aptiùs potest, quàm oblatione Corporis & Sanguinis Christi, cum infinito cumulo meritorum.

II. Ad obsequiũ Christo præstandum.

Secundò, vt Christo obsequium præstet: quem nihil sic potest afficere, quàm repræsentatio passion-

sionis ac mortis, quæ in Missa proprijssimè exhibetur. vnde id nobis tam enixè commendauit: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Tertiò, ad honorem & venerationem sacratissimæ Deiparæ, aut quorumlibet Sanctorum, quos singulari affectu reueremur. Illis quippe maius præstari obsequium non potest, quam si nomine ipsorum sanctissimum Deo sacrificium offeramus, velut in gratiarum actionem omnium beneficiorũ, quibus Deo magis magisq; obligantur. **III. Ad honorem Virginis Mariæ, & Sãctorum.**

Quartò, ad vtilitatem Ecclesiæ vniuersalis, augmentum fidei & religionis Christianæ per totum orbem, ad quod hoc diuinum sacrificium mirificè conducit. **IV. Ad Ecclesiæ vtilitatem.**

Quintò, ad exercendam caritatem erga proximos, viuos & defunctos. quorum, decet maximè, misereamur labores, subueniamus inopiæ: certi cùm simus, nihil esse tàm efficax ad salutem viuorum, requiem mortuorum à Patre exorandam, quàm sanguinem Filij, quem iste pro his & illis copiosè liberaliterque effudit. **V. Ad caritatem erga proximos exercendam.**

Sextò, ad augmentum & exercitium amoris diuini: ducendo Deum in conclaue pectoris nostri: vbi illum amicè amplectamur, eique nos coniungamus fortiter. quod fit maximè huius perceptione Sacramenti. **VI. Ad augmentum amoris diuini.**

Septimò, ad habendam Deo gratiarum actionem, qui in nos innumera beneficia contulit. At nihil illi tam acceptum potest offerri, quàm sacrificium Missæ, quod propriè sacrificium est laudis, & vera gratiarum actio. vnde & Eucharistia, id est, bona gratia, nuncupatur. **VII. Ad faciendam gratiarũ actionem.**

VIII. Ad satisfactionē pro peccatis.

Octauò, ad satisfactionem pro peccatis. Nihil enim tantum potest persoluere, quàm Patri facta oblatio laborum, atque meritorum Filij. quæ hic cùm in ara crucis obtulisset, sufficerunt affatim pro omnium remissione peccatorum. Et nihil est, quod nostros æquè suppleat defectus.

IX. Ad obtinendum quidquid rogamus.

Nonò, ad obtinendum à Deo, quidquid rogamus, tam vt nos ab omni malo tueatur, quàm beneficijs suis magis magisque obstringat. pro quo efficacissimum est, offerri Patri vnigenitum Filium. de quo dicit Apostolus Ioannes: *Aduocatum habemus, apud Patrem, Iesum Christum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Ioan. 2.

X. Ad participationē meritorū Christi.

Decimò, vt participes fiamus meritorum Christi, quæ copiosè communicantur in Sanctissimo Sacramento: vnde & Communio appellatur.

Denique vt vestiamus nos ipso Christo, eiusque in nos spiritum recipiamus. adeò vt dicere possimus cum Apostolo: *Viuo autem non ego, viuit verò in me Christus.* Galat. 2.

Ad hosce fines, potest Sacerdos Missam dirigere, & omnes has habere intentiones: nec vna alteram impediet, cùm sibi mutuò mirabiliter opitulentur, interque se mirificam faciant harmoniam. Poterit tamen hanc magis respicere, ad quā affectus erit pronior, aut cuius ope maximè indigebit.

Offerendum est, pro omni eo, pro quo Christus.

Quando verò locus non erit, ad hæc enucleatè peruoluenda, offerat pro omni eo, quod intendit Christus in institutione Sacramēti, & pro quacunque intentione, quam voluit, & modò vult, habeant Sacerdotes. nam ista generalitate totum includitur. Et hęc sufficiunt de puritate intentionis

CA

CAPVT VIII.

De puritate conscientiæ, quæ ad dignè celebrandum requiritur: & vt sit perfecta, etiam de venialibus esse debet.

§. I.

TErtia puritas, quam diximus necessariam, est conscientiæ. De hac suprà declaratum est multum referre, maxima sit, nec solùm de mortalibus esse debere, sed etiam, quoad fieri poterit, de venialibus peccatis: magna enim ex parte fructum impediunt Sacramenti, & indignos, qui celebremus, efficiunt. Quod vt meliùs exaggeremus, attentè considerandum est, quàm enixè olim præceperit Deus, vt ad victimarum oblationē, omnis in animo & corpore puritas eluceret. Ad esum Agni toties mandat, vt illo non nisi mundus vescatur. Ingressus in domum, aut prætoriū, siue tribunal hominis Gentilis & profani, impediebat celebrationem Paschæ; vt constat ex Euangelio. Nam Iudæi ea de causa ingredi noluerunt prætorium Pilati, qui Gentilis erat: *Vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Etenim magno debemus pudore suffundi, vbi intuemur negligentiam, qua nostrûm plerique torpent in extergendis maculis peccatorum, cùm & hæ illis crassiores sint, nostraque mysteria longè sint excellentiora antiquis. celebramus nempe verum Pascha, cuius alterum figura erat, loquente Apostolo: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* & comedimus

Cap. 3. huius Tract.

Ioan. 12.

1. Corinth. 5.

 mus

mus verum Dei Agnum, *qui tollit peccata mundi.*

Confundi etiam debemus ex ea diligentia, qu commendauit Deus Sacerdotibus antiquis, se la uarent & abstergerent mundissimè, priusquàm m ad sacrificia accingerentur. vnde in Exodo leg mus: *Facies & labrum æneum, cum basi sua, ad lauandum ponesque illud inter tabernaculum testimonij & altar. Et missa aqua, lauabunt in ea Aaron & filij eius manus pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimoni & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo th miama Domino, ne fortè moriantur.* specula etiam ad erant, quibus omnem labem commodiùs posse auferre.

Exodi 30.

Si ista non fuissent signa rerum spiritualium, & maioris momenti: labrum illud ad animantium oblationes superfluum iudicatum esset. At qui necesse pedes abluere, cùm excoriandus erat arie aut bos, frusta diuidenda, ventres lauandi, & h similia (quæ spectabant ad Sacerdotes) quid in quam, necessaria pedum ablutio, quandoquiden illi ad sacrificia nihil conferrent; immò nec ma nus lauare necessum videtur fuisse, cùm paul pòst sanguine animalium essent inficiendæ. Ve rùm ista nobiscum loquebantur: docebant, quàm necessaria foret mundities pro oblatione myste riorum noui Testamenti, ac præsertim SS. sacrifi cij, quod per Malachiam speciatim vocatur obla tio munda: *In omni*, inquit, *loco, sacrificatur, & offer tur nomini meo oblatio munda.* vnde opus est summâ puritate, non tantùm in manibus, sed etiam pedi bus, id est, non solùm peccata grauiora, verùm etiam quæ leuia sunt, abijciantur.

Malach. 1.

Idem

Idem Christus voluit significare, cùm ante Sacramenti erogationem, Discipulorum pedes ablueret. Porrò testatus erat: *Iam vos mundi estis propter sermonē quem locutus sum vobis.* Si mundi; ad quid, ô Saluator, labrum, aqua, linteum denique, quo præcingeris? vt vltrà mundemini: nam ad perceptionem Corporis & Sanguinis mei, non qualiscunque munditia requiritur, sed à vertice vsque ad plantam pedis. *Qui mundus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, & vos mundi estis.* sed, *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc, & qui mundus est, mundetur adhuc.* Potissimùm pedes lauandi gnauiter: nam sicut humi gradiuntur, ad alterum vestigium sordescunt. Pedes animi, sunt desideria & affectus. nam per hæc ille ad opus inducitur: cumque affiguntur terræ, facilè contaminant, & puluis aliquis adhærescit. vnde rursus lotioni subijciuntur.

Quid significet, à Christo pedes Discipulorū ablui.

Apoc. 22.

§. II.

NEmo existimet parum referre hanc pedum munditiam. sed omnibus metum incutiat, quod Dominus dixit Petro, qui titulo humilitatis nolebat sibi pedes à Christo lauari. cumq; pertinaciter obsistere videretur, ait ei Dominus: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* mundus quidem erat, vt cæteri, excepto Iuda; sed in pedibus adhuc munditia deficiebat: sine qua non poterat particeps esse mysteriorum. Ita S. Bernardus super hæc verba Domini, in hunc modum: *Scimus autem, quia ablutio est ista pedum Discipulorum, ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, à quibus plene cauere non possu-*

Munditia à venialibus prodest.

Ioan. 13.

S. Bern. ser. de cæna Domini.

possimus in hac vita, pertineat: quod ex eo planè constat, quòd offerenti manus & caput pariter ad abluendum, responsum est: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet. Lotus enim est, qui gratia peccata non habet, cuius caput, id est, intentio, & manus, id est operatio, & conuersatio, munda est: sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati, plus quàm oportet, cedat animus, vel ad horam: in multis enim offendimus omnes. Verumtamen nemo hæc, quæ videntur modica, contemnat, aut paruipendat; nemo perniciosa securitate dormitet. Quoniam (sicut audiuit Petrus) nisi lauerit ea Christus, non habebimus partem cum eo.

Dionys. de Eccl. hierarch. c. 3.

Quid significet ablutio digitorũ in Missa.

Clem. l. 8. const. c. 5.

Cyrill. Catech. 5. myst.

S. Thom. 3. p. q. 83. a. 5. ad 1.

S. verò Dionysius Areopagita, de ablutione, quæ fit circa Offertorium, vt aiunt, ita loquitur: *Ablutio illa, non fit ad delendas corporis sordes, quæ iam lotæ fuerant: sed in symbolum, quòd oporteat nos à peccatis omnibus mundari, & ad designandam animi puritatem: atque ideò abluuntur, non manus, sed solæ extremitates digitorum; ad designandum, non solùm grauia, sed etiam leuissima peccata esse tollenda.* Idem affirmat Clemens Papa, Cyrillus Alexandr. & S. Thomas.

Cant. 2.

Venialia valdè officiunt animæ.

Cap. 5. huius Tract.

Hæc peccata venialia, sunt vulpeculæ, quæ enixè rogabat sponsus cælestis, venatione tollerẽtur. quia nimirum paruæ licet essent, graue tamẽ damnum adferebant: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Eiusmodi sunt hæc delicta: quæ quamuis parua videantur, magnum tamen inferunt detrimentum: præcipuè vt Sanctissimum Sacramentum minùs dignè recipiatur, fructusque alias debitus, parum accrescat. Quippe (vt suprà osten-

ostensum est) peccata venialia, quamuis non impediant omninò fructum Sacramenti, magnâ tamen eum ex parte remorantur. obstant enim quo minùs potiatur anima spiritali refectione, solatio Spiritûs sancti, dulcedine & suauitate quadam, quâ solent affici, qui mundo sunt corde, & rectè disposito. alijs item fructibus spoliatur, qui maximi sunt momenti: quibus se priuari qui non curat, spem ferè omnem bonorum spiritalium, & conseruandæ salutis videtur abiecisse.

Iustum esset, vt celebraturi expenderemus, quod Isaias: qui se raptum fuisse in spiritu, positumque in templo asserit, vbi intuebatur Principem summæ maiestatis, cuius gloriâ plenus erat orbis terrarum, cui voce maximâ acclamabant Seraphini: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius.* Quem vbi vidit Propheta, & ipsius claritate, sua cognoscens peccata, quæ antè non nouerat, compunctus mente exclamauit: *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Hac ratione comtemplabitur Sacerdos, & quilibet Christianus, quando fidei lumine cognoscit, quòd ille, quem recepturus est, sit verus Dei Filius, æqualis Patri, à quo trepidant Seraphim, & columnæ cælorum timore inclinantur. ita tremebundus accedat, maximaque submissione scelerum suorum grauitatem deprecatus, exclamet: Ah quàm fœdus, quàm immundus, qui coram Maiestate purissima audeam apparere!

Isaia 6.

Ad Isaiam, propter humilitatem & agnitionem, quam

quam de se habebat, misit Deus Seraphinum, qui carbone accenso, quem tulerat de altari, labia Prophetæ mundauit, & dixit: *Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Sed nobis mittit non Seraphinos, sed Sacerdotes, qui maiore præditi sunt auctoritate, vt mentes nostras, per Pœnitentiæ Sacramẽtum, ab omni macula expurgent. quo tam perfectè lauantur, vt continuò niue candidiores appareant.

Et vt propriè dicamus, non mittit Seraphinum nec Sacerdotem; sed Rex gloriæ, & Dominus Angelorum, suis ipse manibus nos emundat in Sacramento Pœnitentiæ: nam eius, quæ datur, absolutionis auctor est principalis. Sic Malachias, loquens de aduentu Christi in mundum, & de hac Sacerdotum emundatione, vt offerant sacrificium
Malach. 3. acceptum: ait enim: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum, ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui*, id est Sacerdotes, vt sibi ab his sacrificia accepta offerantur. Res est digna notatu, & multâ consolatione, eum, qui operatur effectum confessionis, animisq; puritatem addit, non esse hominem mortalẽ: quippe ad opus tam mirabile nemo sufficeret Angelus. Christus ergo ipsum producit, absoluit à culpa, expurgat mentes suà virtute velut auctor principalis. Sacerdos tantùm minister est & instrumentum, qui nomine ipsius verba ista pronuntiat: Christus verò inuisibiliter operatur: sacratissima eius Humanitas, est instrumentum propinquum,

quæ

quæ virtute diuinitatis secum coniunctæ, propriè, realiter, & immediatè operatur omnem effectum Sacramenti: qui est purgare animas ab omni fœditate & immũditiã: & efficere, vt formosæ sint & elegantes in oculis diuinæ Maiestatis, vt ei offerant sacrificium acceptum.

Benè præparatur, qui celebraturus confitetur.

Vnde medium efficax ad hanc puritatem consequendam, Sacramentum est Pœnitentiæ, cùm id sæpiùs frequentamus: vt Ecclesia declarauit. adeò vt cuius conscientia fuerit obstricta mortali reatu, quamuis maximè contritus sit, obligetur tamen ad confessionem Sacerdoti faciendam. sic Concilium Tridentinum hisce verbis: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Nec hoc tanquam noui aliquid à Concilio statuitur, sed velut res solita, & continuo vsu in Ecclesia frequentata. vt constat ex Concilio Niceno, Ancyrano, & Elibertino. Quod verò de præcepto est, & omninò necessarium, quando homo in mortali exsistit; idem est de consilio fideli, cùm venialibus tantùm obstrictus est, quibus sæpiùs contaminatur.

sess. 13. cap. 7.

Conc. Nicen. 11. & 12. Ancyr. cap. 4. & seqq. Elibert. multis canonibus.

Quæ cùm ita sint, videtur ad rem, aliquid dicere de Pœnitentiæ Sacramento, ac normam in nonnullis præscribere, vt dignè, & cum fructu vberrimo recipiatur. Quod vt maiori distinctione tractemus, Tractatum instituimus singularem.

TRA-

TRACTATVS V
DE SS. SACRAMENTO POENITENTIÆ,
ET DE MODO CONFITENDI;

Ac nonnullis aduertentijs necessarijs ad Confessionem.

CAPVT I.

Quanto beneficio affecerit Deus homines per Sacramentum Pœnitentiæ, & quàm facile, & efficax remedium sit, omnium peccatorum.

Sacramẽtum Pœnitentiæ est remedium ante morbũ. Cõc. Trid. sess. 14. c. 1.

INTER summa beneficia, quibus hominem DEVS affecit, vnum fuit è præcipuis, in quo diuitias misericordiæ suæ, immensam caritatem, & viscera paterni amoris ostendit, institutio Sacramenti Pœnitentiæ. Nam per hoc, vt prudens & attentus paterfamilias, prouidit de medicina, priusquam laborarent subditi, & de remedio, priusquam damnum paterentur. Quod grauiter aduertit Concilium Tridentinum, cùm agere inciperet de hoc Sacramento. *Si*, inquit, *ea*

in

*regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, vt iu-
tiam in baptismo, ipsius beneficio & gratia susceptam,
nstanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso bapti-
no Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institu-
m. Quoniam autem Deus, diues in misericordia, cogno-
t figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit,
i sese postea in peccati seruitutem, & dæmonis potestatem,
adidissent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo la-
is post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.*
n quo Sapientiæ suæ altitudinem, & misericor-
iæ suæ abyssum, ostendit Deus, qui lapsis, pœ-
æ loco, remedium statuit peccati. Porrò reme-
ium tale est, quod facile, efficax ac vtile sit. vt
ngula declarando ostendemus.

§. I.

Quàm facile remedium sit, confessio.

QVid facilius pro remessione innumerabi-
lium & grauissimorum peccatorum, pro
uibus, & quidem singulis, merebatur reus æter-
ùm pœnis inferni esse addictus? tantū exigitur,
acerdotem accedat, dicatque sub sigillo confes-
ionis arctissimo: Pater, accuso me, quòd tot tan-
aq; admisi scelera, quæ innumera etsi fuerint, au-
itu dictuque horrenda: vbi tamen Sacerdos e-
untiârit: *Ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis*; abso-
utus & liber est omni nexu criminum, ac velut
ententiâ iudicis restitutus innocentiæ. adeò vt
ilere tunc dæmon cogatur, nec possit ea flagitia
rguere ad tribunal diuinum.

Expendit rectè Chrysostomus, cōtrà fieri in iu- *Chrys. hō. 20. in Genes.*
dicijs humanis: vbi enim habent fatentem reum,
mortι

Nota. Apud homines, rei confessi damnantur; apud Deum absoluuntur.

morti continuò addicunt, aut illi pœnæ, quam
incurrit: hîc verò confessus crimē, absoluitur.
huius esset vsus in mundo, qui carceres non va
carent? nemo enim foret tam insipiens reus, qu
mallet condemnari, vbi iudici confitendo crim
idque sine arbitris, liberari posset. Quòd si ip
Christus hanc sibi causam reseruans, voluisset, s
bi confiteremur, adhuc beneficij ratio maxim
perstaret: etsi aliquo modo fuisset difficile, qui
reueriti illam Christi maiestatem & sanctimoni
fuissemus. Quis modò impudens os præ timor
non abscondat, qui onustus peccatis, ingratitudi
ne infamis, pronus in omnia scelera, illum magi
magisque offendit, qui tot tantisque beneficij
immerentem obstringit? Etenim si solus esset Pō
tifex, qui absoluendi haberet potestatem, quàn
iustum foret, ab extremo terræ, & à cunctis mun
di partibus eum quæreremus, vt felices essemu
aliquando, cuius ab ore beneficio potiremur ab
solutionis? Sed & hoc difficultate non careret. S
verò Angeli ministri essent, qui non constant cor
pore, qui nesciunt quid sit peccare, metuere pos
semus, ne illi de nostra fragilitate, & peccatorum
multitudine, obstupescerent. Quòd si id nonnul
lis Sacerdotibus valdè sanctis incumberet; nos
qui miseri sumus, debilesq; in virtute, puderet to
scelera enarrare ijs, qui procul ab omni sempe
crimine absuissent. Verùm tam facile voluit ho
esse negotium Christus, vt creârit tot ministros
huius Sacramenti, quod Sacerdotes absoluendi
auctoritatem haberent; homines nostri instar, in-
firmi, debiles: ne aliquid confiteremur, quod eos
atto-

attonitos redderet, aut nouum inauditumque vi-
deretur: nam in seipsis illi eandem eiusdem na-
turæ fragilitatem experiuntur. Quod videtur in-
nuisse S. Iacobus, cùm ait: *Confitemini alterutrum* *Iacob. 5.*
peccata vestra. quamuis enim soli Sacerdotes pol-
leant absoluendi auctoritate, per virtutem Sacra-
menti: vt significaret tamen huius facilitatẽ, di-
xit: *Confitemini alterutrum*: id est alteris, qui similes
vobis sunt. Vnde patet, quàm sit suaue remediũ,
quod vulneribus nostris sanãdis Christus inuenit.

§. II.

Magis declaratur facilitas confessionis.

PRopheta Dauid lætabatur, quòd Pater æter-
nus iudicandi potestatem Filio tradidisset.
pro quo & illum rogabat, hoc Psalmo: *Deus iudi-* *Psalm. 71.*
cium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Filius Multum est, habere Christum iudicem.
nempe cum hominibus erat versaturus ipse ho-
mo, & ita homo hominem non tam strictè iudi-
caret, opinabatur. vnde & nobis maximum ob-
tingeret beneficium. Quod munus à Patre se ob-
tinuisse Christus testatur: *Pater non iudicat quen-* *Ioan. 5.*
quam, sed omne iudicium dedit Filio. & de eodem Pe-
trus Apostolus: *Ipse est, qui constitutus est à Deo iudex* *Actor. 10.*
viuorum & mortuorum. Etenim si nobiscum solus
iste iudex habitaret, lætari etiã deberemus. quia
frater noster est, qui tenerè nos diligit & amat,
maximeque nostram optat salutem & incolumi-
tatem: ob hanc scilicet asserẽdam, factus est ho-
mo, grauissimisq; perfunctus laboribus, propriam
nobis vitam impertiuit. quem alterum iudicem

Rom. 8. mitiorem amicioremq; legeremus? iure dicemus cum Apostolo: *Quis accusabit electos Dei? Deus qui iustificat. quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui etiam interpellat pro nobis.* Sed non hîc restringitur Dei misecordia, quâ homines prosequitur. nam hoc beneficium, quod in se maximum erat, extendit latissimè, & pluribus commune fecit. Quippe eandem auctoritatem, quam Pater dedit Filio, Filius Sacerdotibus commisit, vt dicere & ipsi possimus: *Filius non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Sacerdotibus.* Illam potestatem iudiciariam, quam dedit Filio Pater, Filius pro finali iudicio reseruat: sed toto huius vitæ curriculo vices suas Sacerdotibus commendauit: homines cum ipsis conueniant: quod ipsi iudicârint in terra, erit confirmatum in cælo: quæcunque absoluerint, absoluta erunt, sententia, quam vel in rebus grauissimis tulerint, firma validaque erit coram Dei tribunali. At quis hoc asserit? an fortè S. Thomas, aut Scotus, an Augustinus, an Hieronymus? ipse Christus ore suo diuino: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Christus iudicandi potestatē sibi traditam confert Sacerdotibus.

Ioan. 20.

Conc. Dō. 3. in Quadrag.

Hoc piè admodum, & religiosè, considerauit S. Thomas à Villanoua, quodam sermone, vbi de hac materia sic agit: Videtur (homine tenus loquendo) posse conqueri Pater de Filio, eumque arguere erga homines prodigalitatis, dicendo: Fili, quid fecisti? quam curam transtulisti eius, quod tibi commendaui? tibi à me res tanti momenti credita est, vt iudicare posses homines, & offensas in me remittere: quamuis enim homo sis, filius

tamen

tamen mihi es naturalis, nec error in te, aut iniustitia potest cadere: tu verò tantum faues hominibus, vt summam illam auctoritatem, plenâ potestate, ad alios transtuleris, qui & homines sunt & miseri, & peccatores? Quid autem facturi sunt iudices cum reis, quos supplices videbunt, nisi quod vellent sibi in propria causa concederetur? Sed quamuis hæc, nostro more loquendo, vera sint, in negotio tamen salutis humanæ procurandæ, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus optimè conueniunt, nihilque ipsis nimium videtur, modò in nostram cedat vtilitatem.

Ex hoc iustum est, vt in huius frequentatione Sacramenti, quid sit confessio, intelligamus: & qualis sit misericordia, quâ ibi Deus nobiscum vtitur, quale beneficium, quo tam suaue, & facile remedium procurando, nos obstringit, efficitque, vt malis maximis, peccatis scilicet, liberemur. hæc, inquam, consideranda sunt, vt grati simus, tantaque nos liberalitate dignos faciamus. quem fructum ex hisce considerationibus, velim, omnes consequantur.

§. III.

Quàm efficax, & potens sit, remedium confessionis.

Diximus de facilitate confessionis, nunc de efficaciâ videamus. Non est medicina in mundo (quamuis omnes virtutes herbarum lapidumque cognosceremus eâ sagacitate, qua Adam & Salomon) quæ tam citò omnem infirmitatem radi-

Nullum pharmacum sic prodest corpori, vt animæ Pœnitentia.

radicitus expellit è corpore, quàm hæc cælestis medicina, omnes animi ægritudines, morbosque vel grauissimos profligat. Voluatur aliquis ad pedes Sacerdotis, onustus omni genere peccatorum, & flagitijs detestandis: si ritè confitetur, nec sua ex parte ponit obicem, vt adsit fructus Sacramenti; continuò vbi finit Sacerdos: *Ego te absoluo*, eodem instanti, sine vlla dilatione, liber est & immunis ab omni labe, velut nunquam peccâsset.

Sacramēta continent & causant gratiam.

Doctrina est Catholica, recepta à Theologis, determinata in Concilijs Florentino & Tridentino, quòd Ecclesiæ Sacramenta continent & causant gratiam, quam significant: in quo præcipuè differunt à Sacramentis antiquis. quæ licet significarent gratiam, non continebant tamen, nec causabant: vnde de illorum præcipuo, Circūcisione videlicet, dicit Apostolus: *Accepit Abraham signum circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei.* Sed Ecclesiæ Sacramenta causant idem quod significant, adeò vt id, quod significant hæc verba: *Ego te absoluo* etiam operentur, & causent in mente: illamque verè absoluant ab omni vinculo delictorum. Quamuis autem in modo causandi gratiam, diuersæ sint Theologorum sententiæ: conueniunt tamen in hoc omnes, tanquam in re fidei certissima, quòd verè & realiter causant & conferunt gratiam, quam significant. Quantum verò ad modū id declarandi, verior & conformior est S. Scripturæ, & SS. Concilijs, quòd Sacramenta causant gratiam, sicut causæ reales & physicæ (vt vocant) quæ realiter & efficaciter expellunt peccatum, & gratiam in anima producunt virtute supernaturali,

Roman. 4.

Sunt causæ physicæ gratiæ.

rali, velut instrumenta potentiæ diuinæ, atque Humanitatis Christi. quam virtutem admiratur Augustinus, vbi ait: *Quæ est ista virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluit?* Ita, quemadmodum in lotione panni, qui sordidus est, lixiuio ac smigmatis pinguedine, omnes maculæ eluuntur, quodque immundum erat & infectum, purum nitidumque efficitur; simili modo, eademque proprietate & efficaciâ, hoc, quod dicit Sacerdos: *Ego te absoluo*; virtute supernaturali & diuinâ, quam illi Deus communicat, realiter & efficaciter, mirâ quadam occultaque ratione, & verissimâ, omnem abstergit animæ labem, atque fœditatem, quæ inficiebat. quæque antè erat detestabilis, fit formosa, & casta, niuisque instar candidissima: fit libera nexu peccatorum: homo verò qui mortuus erat peccatis, vitam recuperat spiritalem: amicus Deo efficitur, quem vehementer offenderat: producitur in animâ gratia & caritas, cum cæteris virtutibus, & donis Spiritus sancti, quæ si antea habebatur, cumulatior fit. merita etiam bonorum operum, quæ per totam vitam fuerant acquisita, & amissa peccato, restaurantur atque resurgunt; siue integrè, siue in parte, secundùm contritionem & dispositionem pœnitentis. Omnes hosce effectus, multoque plures, in instanti mirâ efficacia operatur Pœnitentiæ Sacramentum. Nunc intuere, an in mundo herba aliqua, aut medicina, tantæ virtutis inueniatur.

Aug. tract. 80. in Ioan. 9.

Comparatio.

Efficacia verborum absolutionis, & quos effectus operetur.



CAPVT II.

De magnis commodis, quæ ex huius fr- quentatione Sacramenti naſcuntur.

TErtio diximus, vtile eſſe remedium, quo ſecum confert Sacramentum Pœnitentiæ, hoc præcipuè mihi declarandum propoſui, a que à me tanti æſtimatur, vt fieri non poſſe iud cem, vt omnes vtilitates, quas inde anima recipi enarrari poſſint. Sufficiat ſcire, quòd, cùm pecc tum ſit res ita Deo deteſtabilis, ita noxia hom ni (quippe quod maximam in anima ſtrage edat) vt nullis verbis queat explicari; nihilom nùs tamen ſi ſeſe homo diſponit, facitque quod i ſe eſt, gratiâ Dei adiuuante, vt dignè recipiat S cramentum Pœnitentiæ; ita liber ab omni damn peccati exſiſtit, vt anima meliùs, quàm antè l pſum, diſponatur & conualeſcat. hîc autem no attendimus habitum, & malam inclinationem quæ peccando ſæpiùs roborata eſt, & paulatir contrariarum actibus virtutum debet ſuperari verùm quoad gratiam & caritatem, reliquaſq u virtutes, eæ conferuntur maiori abundantiâ quàm priùs habebantur. ſi modò ex parte diſpo ſitionis nihil deſit.

Porrò relictis ijs, qui mortalibus contaminantur (nam non eſt quòd his commoda proponamus, cùm neceſſariò ſe ad hoc Sacramentum debeant conferre, niſi periclitari de ſalute velint) loquamur cum Sacerdotibus: quippe arctiſſimè obli-

obligamur, ne in tam humili, misero, ac infelici statu versemur. ex altera verò parte, in veniales culpas sæpissimè impingimus, sine quibus fragilis huius vitæ curriculum non licet transmittere. Sacerdotibus etenim maximos adfert fructus huius frequentatio Sacramenti.

§. I.

Pœnitentia, est cunctarum ægritudinum medicina.

PRimò, Pœnitentia est medicina quædam generalis, pro qualibet animi ægritudine. cumque ipsi varia laboremus, & facilè nobis offeratur remedium, stulti sumus qui hoc non vtamur, imò iniuria auctorem afficimus, qui id in nostram contulit sanitatem. Hoc ipsum exemplo clarissimo innotescet. Si princeps aliquis prædiues, miseratus ægrotos suæ ditionis, omnes insumeret thesauros in comparatione pharmacorum, quæ grauissimos queant morbos persanare, eoque adhiberet medicos nobilissimos: idque mytopolium vbi aliquot annis adornasset, iuberet edici per curionem, vt omnes afflicti morbo ad palatium accurrerent: esse enim parata medicamina, quibus curentur. illi verò non æstimantes regiam liberalitatem, transirent inspiciente Principe, mortique mallent infeliciter occumbere, quàm salutem petere dignarentur: clarum est, illum iniquissimo laturum animo rusticitatem, imò stultitiam subditorum, maximeque indoliturum, se tot sumptus, immensasq; opes impendisse pro ingratis. Idem in nostro casu contingit. Impendit Chri-

Compa-ratio.

 stus

Quantũ impenderit Christus in instituenda Pœnitentia.

stus ingentes thesauros diuinitatis suæ, vt generale remedium, pro qualibet animi ægritudine sananda institueret, idque maximo suo labore triginta trium annorum decursu. In vitæ autem termino, præcones emisit, qui ægros omnes ad Ecclesiæ cogerent myropolium, vt ibidem sanarentur. quod ipse à morte testatus est: *Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum, in omnes gentes.* At post summas calamitates, quas ipse pertulit, videt homines depressos miseriâ, qui solâ remedij petitione alleuari possent, nolint tamẽ vulnus indicare, cuius aliquando putredine moriantur. Meritò his indignetur Deus, meritò ingratos esse proclamet, dicatque: *Ego dixi, in vacuum laboraui, sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi.* Nam frustrà hoc remedium inuentum est pro ijs qui non recipiunt, aut certè malè recipiũt. vindicabo ergo me, & sinam illos ægritudine morbisque consumi, quandoquidem medicamine facili & promptissimo vti nolunt. apud hos nempe, vt per Isaiam deplorat, *vulnus & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* vnde sint, ait Dominus, pleni vulneribus, doloribus pleni, pleni ægritudine; nullus venam incidat, nullus medeatur afflictis. Iustè nulla erit excusatio peccatorũ, cùm medela fuerit facillima constituta, & improperabit illis Christus: *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare ergo non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Per resinam, intelligit Glossa balsamum, siue theriacam, aut quodlibet aliud pro morbis grauiori-

Luc. vlt.

Conqueritur Christus de cõtemptu Pœnitentiæ.

Isaia 49.

Isaia 1.

Ierem. 8.

ioribus medicamen. In Galaad enim multiplex rat medicina, maximus medicorum numerus, qui facilè curare poſſent ægrotos. atque inde metaphoram deſumpſit pro ægritudine ſpiritali, dicitque: *Nunquid medicina non eſt in mea Eccleſia? aut medicus non eſt ibi?* At cùm tanta ſit multitudo vtriuſque, cur non ſanatur gens mea electa, cùm acerbiſſimo dolore torqueatur?

Patres mei, morbo ſatis graui omnes conflictamur. Peccatũ mortale, præſentem animæ mortem adfert. ab hoc plus quàm à mille mortibus nos Deus tueatur. Venialia, ſunt eiuſmodi ægritudines, quæ licet vitam non eripiant, ſanitatem tamen, valetudinem, vireſq; adimunt: & obſtant, quo minùs anima proficiat, & viribus confirmetur. Cùm remedia nobis ſint promptiſſima, nolimus eſſe infirmi & debiles: ſed ſicut facilè incidimus in leuia delicta, ita nos ſæpiùs facili medicamine curemus.

Venialia ſunt infirmitates animæ.

Certum eſt, quòd homo in agone conſtitutus, licet deſperent medici, & extremâ vnctione munitus ſit, vita tamen adhuc fungatur: ſed quis vita illa contentus eſſet, tam debili, tã imbecillâ, quæ iam pugnet cum morte? omnes ſanè optaremus corporis ſanitatem, & vires non infirmas. Cumq; in hoc ſimus tam diligẽtes, vt non ſolùm ab omni mortali ægritudine liberemur, ſed etiã ad primos dolores, & ſuſpicione tantùm morbi, ad medicos properemus, ſciſcitãtes remedium præſentiſſimum, vt corporis ſanitas non violetur; cur nõ idem pro anima procuramus? Chriſtus ad hoc ſe veniſſe aſſerit: *Ego veni, vt vitam habeant, & abun-* Ioan. 10.

dantiùs habeant. vnde & eis præclara medicami[na] delegaui.

Ad tollenda venialia, maximè Pœnitentia cō ducit.

Etenim quamuis ad venialia curanda alijs [e]tiam possimus remedijs vti: Pœnitentia tame[n] longè est efficacior, atque vtilior. Porrò inter eiu[s] virtutes, hæc est omninò æstimanda, quòd cæte[ra] remedia, etsi culpas auferant, gratiam tamen no[n] conferunt, nec præhabitam augent. Sed Sacra-mentum Pœnitentiæ, non tantùm perfectè rea-tum tollit, verùm etiam gratiam, & augmentum gratiæ largitur. Profectò si vt corpus omninò cō-ualescat, præstantiora medicamina vestigamus: cur non ad idem connitimur, vt perfectam anima[e] salutem consequatur?

§. II.

Pœnitentia est fons, in quo animi maculæ abluuntur.

SEcundò, Pœnitentia est fons, siue stagnum, quod Christus suo sanguine parauit, vt in eo omnes animi maculæ abluantur. Nimirum optat etiam atque etiam, mentes nostræ puræ sint, & ab omni immunditia alienę. Ita in Apocalypsi Ioan-nes: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sangui-ne suo.* Porrò quia tam facilè homines se flagitijs contaminarent, voluit superesse in Ecclesia laua-crum sanguinis sui, vt, quotiescunque vellent, in eo lauarentur. sic pollicitus erat per Prophetā: *Erit fons patens domui Dauid, & omnibus habitantibus Ie-rusalem, in ablutionem peccatorū & menstruatæ.*

Apoc. 1.

Zach. 13.

Venialia inficiunt.

Omnes Sancti asserunt venialia esse luti instar, aut pulueris, siue fuliginis, quæ animas inquinat,

ea

earumque pulchritudinem, qua aliàs Deo & Angelis sunt acceptæ, deformat. At quis erit, qui faciem habens sordidam, puluere oppletam & luto, vbi viderit fontem, se lauare nolit? Nec id tantùm de facie verum est, sed nec manus fœdatas toleramus, & tales si sint, pudet eas educere, ne fortè conspiciantur: idem de tunica; imò marginem ipsum sordere iniquum ducimus. porrò si cœni vel parum adhæserit, id excutere non tardamus. Sed enim cum animus sordeat immunditiâ, fonsque pretiosus & perspicuus nobis adsit, cur non in illo abluimur, qui eo fine est excitatus? Comparatio.

Sordidos esse nos, Propheta testatur: *Facti sumus, vt immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ.* Mirabile est, quod asserit etiam opera bona planè deficere, & posita in sententia iudicis, æstimari instar panni immundi, infecti sanguine & mucore, vt nauseam excitare videantur. Omnes sordidi sumus. *Isaia 64.*

Si nobis oculos aperiret Deus, & lucis suæ radio illustraret, quo penitiùs inspiceremus cogitationes nostras & desideria, quidquid loquimur, & quidquid operamur; tunc aliquando intuentibus constaret, quam simus immundi. Dauid sic illuminatus exclamauit: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* & Ioannes Apostolus nos admonet: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: si autem confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* *Psal. 18.* *1. Ioan. 1.*

Enimuerò, quàm iustum est, cùm sæpiùs nos ipsos maculamus; cùm possimus, sæpiùs etiam laue-

lauemur? potissimùm, quando recipiendus est amator castitatis, auctor munditiæ, nunquid meritò fontem adeamus, & ipsi nos in balneo Sanguinis Christi expurgemus? in quo cùm maximè fuerimus loti, adhuc tamen lotione indigemus: vnde S. Augustinus: *Semper confitere, quia semper habes quod confitearis. difficile enim est in hac vita, vt sic homo mundetur, vt nihil inueniat in se quod confiteatur.* Cùm Deus Mosi præscriberet figuram tabernaculi sanctuarij, omniumque eorum quæ parari deberent, inter reliqua mandauit: *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lauandum, ponesq; illud inter tabernaculum testimonij & altare, & missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum, & accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur.*

Aug. super Psalm. 99.

Exod. 30.

Labrum tabernaculi, figura Pœnitentiæ.

Hoc labrum, erat expressa figura Sacramenti Pœnitentiæ: vnde & totum ære constabat. quod vt paretur, fundi debet, nec enim alia ratione vti queas. Similiter, vt peccatorum remissionem per Pœnitentiam operemur, necesse est cor nostrum ferreum, atque adamantinum, mitigetur & liquefiat amore diuino, per verã contritionem. Æs porrò fusum & conflatũ, sonat clarissimè. ita post contritionem & agnitionẽ scelerum, consequi debet confessio clara, distincta, sincera, & plana: sine vlla excusatione, aut dissimulatione. Rectè autem præcipitur: *Pones illud inter tabernaculũ testimonij & altare.* vt scilicet cùm ad altare sanctũ oblaturi accedimus, primò fontem intremus sanguine Christi exundantem, in eoq; nos abluamus, vt qua decet sanctimoniã & puritate, cælestia ordiamur.

§ III.

§. III.

œnitentia, est arca, quâ omnes Christi thesauri continentur.

Tertio, Pœnitentia est arca, in qua omnes thesauros Christus deposuit, omnes diuitias, pes, pretium denique, quod pro nostra redemtione persoluit. hæc omnibus aperta est, ex qua bi sumant affatim, vnde æs alienum queant dissoluere. Sit aliquis non soluendo, cui offerantur mmensæ opes, quibus se liberare possit: ille verò aulatim summo labore per asses id conetur efficere, quia cistam aperire nolit: nonnè hic sui impos, & stultus videretur?

Iis omnes adstringimur debitis, quibus, opus & abor est, vt satisfacere possimus. At omissis antiquis, (quæ etiam ignoramus vtrum soluta sint, suspicari autem licet nobis multum defecisse) de his oquamur, quæ quotidie peccando contrahimus, n quæ & iusti de die sæpiùs labuntur, teste Sapiente: imò Apostolus, quamuis recepisset Spiritum sanctum, & confirmatus esset in gratiâ, asseit: *In multis offendimus omnes.* vnde optimus magister sapientissimè instituit, quotidiè precaremur: *Dimitte nobis debita nostra.* Etsi verò delicta illa leuissima videantur, non id tamen sic æstimandum est, quin præ nostris facultatibus grandia sint & excessiua. Ita S. Hieronymus: *Pro minima culpa, totus mundus satisfacere non posset, nisi Deus pro sua misericordia dignaretur ignoscere.* & S. Abbas Agathon: *Si Deus nobis imputaret distractiones cordis, & negligentias, quas in orationibus nostris, & officio diuino incurrimus,*

Omnes debitores sumus.

Prou. 24. Septies in die cadit iustus.

Iacob. 3.

Matth. 6. Quamuis minima sint peccata, facultatem nostram superant.

Hier. in regula sua.

Agathō in vita PP.

rimus, salui esse non possemus. Quapropter & Dauid
Psal. 142. precatus est: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* & in alio
Psal. 129. Psalmo: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit.* Item Propheta Iob: *Verè scio, quòd non*
Iob 9. *iustificetur homo compositus Deo: si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere ei vnum pro mille.*

Grauiores itaque sunt culpæ, in quas quotidie incidimus, quàm facultates, quibus præditi sumus à natura. valor enim omnis operum nostrorum instar nihili est, vt satisfacere possimus. At magna est stultitia, nos velle debitis obstringi, aut certè per moram diuturnam persoluere, cùm nobis pateat thesaurus meritorum Christi, qui sine certo limite in Pœnitentiæ Sacramento applicatur: sed quantò magis ipsi ceperimus, tantò plùs nobis obtinget, id est, conformiter, ad contritionem & execrationem peccatorum, propositum melioris vitæ, & desiderium placendi Deo, conformiter, inquam, ad has dispositiones plus minusuè ex thesauro illo potiemur. adeò vt, si per nos non steterit, tantùm inde simus percepturi, quo vel grauissimo nos onere debitorum soluamus.

§ IV.

Pœnitentia, est conclaue, in quo anima pulcherrimis vestibus adornatur.

PRÆTEREA, licet supradictæ rationes nullæ essent, nec homo subiectus esset morbis, nullâ labe infectus, nullius ære obstrictus, si tamen cõuenire principem deberet, & malè ac sordidè induto,

ito, offerrentur pretiosa vestimenta, quibus inuatur: ille verò recusaret accipere, numquid inpiens diceretur? Igitur Quartò: Pœnitentia est onclaue, in quo anima pulcherrimis vestibus adrnatur: vnde Apostolus: *Induimini Dominum Iem Christum*, id est meritis eiusdem. Et Dominus er Isaiam loquens cum anima, meritorumque censens amplitudinem, digito contestatus, ait: *uo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamen- vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Niirum, sponsa si pauper est, die nuptiarum, sordias vestes, quibus induitur, deponit, atque alieas sumit mutuò, vt saltem, quâ ratione potest, dornetur. At, quàm imprudenter sordidi, vt tratemus cum Deo, accedimus, cùm alienis sumptius possimus optimè exornari? in Sacramento nim Pœnitentiæ nobis offeruntur ornamenta diissima: vt testatur S. Augustinus super hæc verba Psalmi: *Confeßio & pulchritudo in conspectu eius.* sic empe commentatur: *Pulchritudinem amas? vis esse ulcher? confitere: non dixit; Pulchritudo & confeßio, sed, Confeßio & pulchritudo. Fœdare te potuisti: formosum te acere per teipsum non potes, sed confitentur homines pecata sua, vomunt mala, quæ auidè vorauerunt, non redeunt ad vomitum suum, sicut canis, & sic ex confeßione sequitur pulchritudo in conspectu eius, sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius.*

Rom. 13.
Qui rectè confitetur, Christo & eius meritis induitur.
Isaia 49.
Aug. super Psalm. 95.

Ille ergo qui sese, cùm inuitatus sit à Deo ad conuiuiũ regale, deprehendit sordidè vilibusque ndutum; habet, si velit, vnde se vestiat in Sacramento Pœnitentiæ, ne forte & ipsi dicatur: *Amice, quomodo huc intrásti non habens vestem nuptialem?* Ille

Matth. 22.

verò

verò qui ſe exiſtimat veſte caritatis ornatũ, or nẽque poſuit operam, vt aſſiduâ oratione, virt tiſque exercitio, mentẽ expoliret; plus æſtima debet Sacramentum Pœnitentiæ: quod, vbi diu tias & ornamenta reperit, omnia facit cumulati ra: gratia enim carenti datur, habentis augetu quantoque maior eſt abundantia, tantò mai crementum aduenit: vnde conſequenter cum proportione, tãtò vberior eſt fructus in ſumpti ne Sanctiſſimi Sacramenti. qui minor eſt, ſi Pœn tentiæ Sacramentum non præceſſit.

Huic conformiter loquendo, qui ſe ad Miſſa parum ſentit eſſe diſpoſitum, confiteatur: na virtute Sacramenti ſuppletur defectus. qui au in ſe amorem quendam ſentit efferueſcere, an miq; ſanctam compoſitionem deprehendit; opt mè faciet confitendo, vt rectæ affectionis augm tum conſequatur. Denique, qui recipit Sacrame tum Pœnitentiæ, modò ex ſuâ ipſe parte imped mentum non ponat, ſupra omnem diſpoſitione & omne meritum, quod diligentiâ acquirit; da tur ei *ex opere operato*, virtute propria Sacrament gratiæ nouus gradus: qui eminenter omnes mun di opes exſuperat: nam gratiæ cuilibet gradu ſuus gloriæ correſpondet.

§. V.

De alijs commodis ſingulatim, quæ ex confeſſio-ne venialium conſequuntur.

PRæter rationes dictas, aliæ ſunt magis par ticulares, ob quas plurimùm refert Pœni tentiæ frequentare Sacramentum.

Primò,

Primò, ob Censuras, quas aut imprudenter, aut I.
er ignorantiam crassam incurrimus: quibuscum
elebrare admodum periculosum est, pro his
nim non sufficit contritio, sed opus est absolu-
one, quæ communiter datur ante absolutionẽ
eccatorum.

Secundò, ob peccata, quæ fortè grauia com- II.
issa sunt, à nobis tamen non ita æstimantur
gnorantiâ culpabili: vnde nec de illis tanta con-
ritio excitatur: quæ remittuntur virtute Sacra-
enti, superque ista cadit absolutio Sacramenta-
is, dummodò ex malitia non omittantur.

Tertiò, propter examen quotidianum consci- III.
ntiæ: quo ratio subducenda est talis, vt satisfiat
ebitis sine vlla dilatione.

Quartò, quia sæpiùs confitendo, conscientia fit IV.
eligiosa, & à leuioribus etiam declinat. quod ad
erfectionem valdè conducit, modò absint scru-
uli impertinentes, fiatque amore Dei, cum pro-
osito euitandi ea, quæ vel minimum possent of-
endere. Sicut è contrà, cùm rarò confitemur,
onscientia laxa efficitur, nec aliqua tenemur re-
igione, nisi in criminibus manifestis: & modò
eccata mortalia non inquietent, cætera non vi-
dentur confitenda.

Quintò, quia per crebram exomologesim hu- V.
militas exercetur, cùm ob leuissimos defectus
quotidie indolemus. qui est actus valdè merito-
rius, in quo homo agnoscit, quantâ habeat vene-
ratione Saluatorem. nam idcirco pedibus Sacer-
dotis aduoluitur, & intima conscientiæ, omnium
cogitationum factorumque aperit, postulatque

humiliter absolutionem delictorum, quia illum ministrum esse Christi agnoscit.

VI. Sextò, vt dierum fiat collatio: qua innotesci quantus sit profectus, aut quantum in virtut perdatur. tum etiam propter confusionem, qu afficitur homo, dum aduertit se toties in idem re cidisse peccatum: videt enim se, quod heri con fessus est, hodie confiteri debere.

VII. Septimò & postremò, ob reuerentiam, qua hîc ostenditur erga Sanctissimum Sacramentum altaris, ad quod veretur homo accedere, sine præ uiâ dispositione alterius Sacramenti.

Hæc, quæ diximus, notent illi, qui conscientia habent planas & compositas: nam qui scrupulosi sunt, regulis magis particularibus indigent: & sæ piùs ab eo quod vitam confert, debent abstine re, quia illud ipsum, propter scrupulos, maiori fit detrimento.

CAPVT III.

De contritione & dolore, quo confitenda sunt peccata, quamuis venialia: & de obligatione, qua tenentur Confessarij aduertere, quomodo administrent Sacramentum.

§. I.

SIcut nonnulla diximus de varia vtilitate, quam parit frequentatio Pœnitentiæ, ita ad- uerten-

uertendum est, vt fructus obueniat, eâ, quâ par est, dispositione, Sacramenrum recipiatur. illâ enim deficiente, forsitan contingeret, vt non tantùm nulla vtilitas sequeretur, sed & graue nobis damnum obueniret. quod tanto esset maius, quantò in materia magis sacra, & ad altiorem finem, nostrumque emolumentum, instituta.

Pro hoc cauendum est, ne confessio, aut celebratio Missæ, conuertatur in cursum communem, & in consuetudinem siccam & languidam, sine affectu, & vllâ consideratione, atque homo sit bouis instar, quæ terendo frumentum, it & redit eodem, solâ consuetudine. quod innuit Ozeas: *Ephraim vitula docta diligere trituram.* aut velut Ieremias: *Nullus est, qui agat pœnitentiam de peccato suo, dicens: Quid feci? omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.*

Confessio non fit ex cõsuetudine.

Ozea 10.

Ierem. 8.

Iustum est, Patres, consideremus, quid sit confiteri peccata, & absolui de illis. considerate confiteamur, æstimando quid sit peccatum, licet tantùm minima culpa venialis occurrat. quam sufficit dicere, esse inuisam Deo, in anima maculosam, quæ ex hac fœda appareat & immunda. nec pro paruo reatu ille putandus est, ob quem Deus animam in gratia exsistentem, quæque in gloria futura est aliquando, horrendis Purgatorij flammis addicit.

Expendamus hæc peccata venialia, non lance publicâ & communi: quippe illa in foro mundi nihil grauant, nec æstimantur, cùm sint *mendaces filij hominum in stateris*; sed examinemus lance verâ sanctuarij, quâ vsi sunt Sancti, & viri illustres,

Veniali à nobis, vt à Sanctis, æstimentur.

Psalm. 61.

ſtres, qui de cælo lucem acceperunt, vt diſcernerent peccati grauitatem. Hi amariſſimè flebant ob culpas nonnullas, quæ nobis leuiculæ videntur. cuius ratio eſt, quia norant, quid ſit diuinam offendere maieſtatem. ſicut verè diſplicet & offendit quælibet culpa venialis. Porrò omiſſis alijs exemplis, quæ de hoc in vitis Sanctorum copioſè ſcribuntur, quis non miretur, legendo Confeſſiones S. Auguſtini, qui ea nonnunquam ponderat maximè, quæ nobis ridicula videntur? Tribus aut quatuor capitulis exaggerat, quòd puer nonnulla pira ex horto alieno furatus ſit. Item, quòd delectatus ſit aliquando, cùm canis leporem inſequeretur: quodque accumbens menſæ neſcierit quantum ſatis eſſet ad ſuſtentationem, vt liberiùs ſumere aliquid poſſet, pro ſedando appetitu: quòd mortuâ parente grauiter indoluerit: ſimileſque enarrat culpas, & cum dolore fatetur: *Tu ſcis, Domine, de hac re gemitum cordis mei, & flumen oculorum meorum.* At euidens eſt, Auguſtinum non fuiſſe puſillanimem, ſcrupuliſuè obnoxium; ſed magno animo, magno intellectu præditum virum. Sed lux Spiritus ſancti offundebatur animo, qua cognoſcebat, quid ſit Deum offendere culpâ vel leuiſſimâ. ipſe quoque amor cæleſtis tantum excitabat dolorem.

Sanctus verò Hieronymus: *Cùm iratus fuero, aut me nocturnum phantaſma deluſerit, Eccleſiam intrare non audeo; ita animo & corpore contremiſco.*

§. II.

§. II.

CERTE conteri debemus, quòd toties Dei offendimus maiestatem, ad cuius amorem & obsequium, tot meritis obstricti sumus. Duri & ferrei nolimus esse: quia in summo periculo versamur, cùm vulnera & morbos patimur, & negligimus medicinam, cùm aspero callo animus obducitur, ne impetus ferientis audiatur.

Periculosum est, venialia nihili æstimare.

Quæ spes de hoc homine haberi posset, qui tam foret adamantinus, vt quamuis lanceâ multis plagis conficeretur, nullum ostenderet signum doloris, ne quidem læsionis? Si dicant non esse vulnera ad mortem, sed tantùm punctiones quasdam, quæ illicò sanantur; respondeo eas saltem elicere sanguinem, doloremque adferre sauciato. Quin illi, qui sano corpore ita pungeretur, gemitus fortè & lacrymæ excuterentur. Igitur sic obdurescere, cùm spiritali aliquo vulnere, etiã leui, affligimur, signum est torpere studium virtutis, mentemque ita esse imbecillam, vt discrimen sit, ne quotidie in peius degeneremus, atque ex tepidis omninò frigidi reddamur. quod minatur Spiritus sanctus: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Item: *Qui timet Deum, nihil negligit.*

Comparatio.

Eccli. 19.
Eccles. 7.

Notabilis est doctrina Concilij Tridentini, circa hoc quod tractamus, dicit enim assignando differentiam inter duo: *Alius est Baptismi, & alius Pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, noua prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remißionem consequentes: ad quam tamen nouitatem & integritatem, per Sacra-*

Sess. 14. cap. 2.

Pœnitentia, est Baptismus laboriosus.

mentum Pœnitentiæ, sine nostris magnis fletibus & laboribus, diuinâ id exigente iustitiâ, peruenire non possumus. Atque ita vbi confitemur sine gemitu & dolore necessario, nullus est fructus Sacramenti.

S. Bern. serm. de B. Andrea Apost.

Meritò asserit S. Bernardus, quòd confessio facta ore, non corde, ficta est. Vnde Saul, quamuis iisdem verbis, quibus Dauid, peccatum suum confiteretur, nihil obtinuit, quia non respondebat affectus cordis. Similiter cùm fit sine dolore confessio, ac sine proposito melioris vitæ, respectu illorum criminum, quæ confiteris, confessio ficta est, & quasi delusoria; adeò vt, si omnia peccata sic confiterere, sacrilegij reus esses.

Confessio sine dolore ficta.

Quid magis ridiculum, atque alienum à ratione dici potest, quàm, Accuso me de his & illis peccatis, cùm nullus sit dolor, nullum propositũ corrigendi? & præter irreuerentiam, quæ Deo sic exhiberetur, iniuria fieret iudici, cui talis se sisteret: hic enim fidem habens verbis seipsum amarè accusantis, & proponentis meliorem vitam, frustrà absolueret de peccatis. Profectò dolendum esset, si de eiusmodi hoc Apostoli verificaretur:

2. Petr. 2.

Contigit illis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti. Turpe est canem euomere, quod grauat in ventre, iterumque à vomitu properare ad vescendum. At idem faciunt, qui peccata, quia grauant animam, euomunt in confessione, & rursus ad libidinem sequuntur & sordes peccati. sic in volutabro sus quantò se magis abluit, tantò magis inquinatur. Auertat per infinitam bonitatem suam Deus, ne vlli accidat Christiano, nedum Sacerdoti (qui ad vir-

utem maximè obligatur) vt, cùm se ad lauacrum confert Pœnitentiæ, sordidior inde emergat. id sanè fieri potest sæpiùs, nisi cum diligentia & studio accedamus.

Ne permittat Deus, eò procedamus audaciæ, vt SS. Sacramentis debitum negemus honorem, reuerentiamque. Etenim certa hæc est ratio, qua rupis instar saxeus reddatur animus, cùm malâ consuetudine deprauati, vitiorum grauitatem sentire nolumus, & os impudens erga Deum habemus. quod per Ieremiam Dominus improperat: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* *Ierem. 3.* Ne simus vnquam tam miserâ, atque infelici cōditione, vt nobis conueniat illud: *Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* *Prou. 18.*

Sacramētis non deferre, est via ad obstinationem.

§. III.

Patres Confessarij memores sint, magnâ se in his teneri obligatione, iuuādi eos, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt: & intueantur diligenter, num in illis par sit dispositio, quâ fructus Sacramenti non impediatur. O quàm strictā à Confessario rationem exiget Saluator, qui tantam de eo fiduciam cōcepit, vt credat illi animas, quas proprio Deus sanguine redemit, honorem suum, facultates commēdet, quæstorem cælestis constituat thesauri, velitque vt ad hunc animæ diuertant, à quo iuuentur auxilio, atque ad salutem erudiantur, qui seria eas reprehensione à vitijs auocet, ad virtutis amorem accendat. quàm strictam exiget rationem Saluator, si in his inertem & desidem deprehenderit! Meritò dicet:

Admonētur Confessarij.

Ezech. 3. *Sanguinem eius de manu tua requiram.* quamuis in tantùm, quod conueniebat, omiserit admonere vt expressè Concilium Tridentinum: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & conuenientes satisfactiones iniungere; ne, si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs ac remissiùs cum pœnitentibus agant, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Cumque hoc negotium sit maximi momenti, subiungam nonnulla pro vsu Sacramenti Pœnitentiæ, quæ procul dubiò vtilitatem adferent his qui illud frequentant: quorum in numero maximè sunt Sacerdotes.

CAPVT IV.

De confeßione, & modo, peccata ordinaria confitendi.

QVandoquidem Pœnitentiæ Sacramentum necessarium omninò sit pro vitæ, morumque turpitudine abneganda, & vt dignè SS. Altaris Sacramentum recipiatur: si hi, qui frequentant quotidie, non percipiunt fructus debitos; certissimum est hoc procedere, quòd sine conuenienti dispositione confiteantur, siue id fiat ex ignorantiâ, quâ nesciunt peccata discernere, (vt contingit in multis, qui timore Dei ducuntur, & quamuis se aduertant laxè satis & negligenter viuere, dummodò à grauioribus peccatis abstineant, nesciunt confiteri venialia, immò non vident quid confiteantur) siue quia in confessione mul-

multas conditiones necessarias, vt debitè fiat, omittunt, Proinde, vt hi & illi iuuentur, Memoriale, cum signis aliquot, subijciemus.

Sed aduertendum primò, quòd hoc Memoriale peccatorũ, non sit tam copiosum, sicut Summistæ tradunt, & alij qui ex proposito de hoc tractant: hîc enim solùm intendimus methodum præscribere, qua se facilè possint examinare, & confiteri de culpis ordinarijs illi, qui quotidie, aut saltem crebrò, confitentur. eamque methodum ad aliqualem ordinem reducemus, vt memoria iuuetur; nam vt confessio generalis instituatur, alij libri sunt accommodati, ex quibus qui voluerit, proficiet.

Secundò aduertendum, non poni hoc Memoriale, vt omnia quæ illo continentur, tali ratione quis confiteatur. quippe hoc neque necessarium, neque conueniens est. sed tantùm discurrat per singula, in quibus sæpiùs delinquit: & vt quilibet, cùm excutit conscientiam, memor sit eorum quæ commisit, deq; his confiteatur, omittendo cætera quorum tunc reus non est.

Memoriale & forma confitendi peccata, in quæ communiter labuntur Sacerdotes, & illi, qui sæpiùs confitentur.

PRimò se accuset de defectu dispositionis, quã habet tam vt confiteatur, quàm vt celebret. & poterit dicere hoc modo; Accuso me, quòd ad dignè recipiendum sancta Sacramenta, debitam diligentiam non adhibui. Quòd careo dolore & con-

contritione peccatorum, & proposito firmo ac stabili melioris vitæ, prout dignitas huius Sacramenti requirit. nec ad celebrandum, quâ decebat, affectione, me præparaui.

Accuso me, quòd communiter recipio hæc Sacramenta, cum præfato defectu: & de omnibus defectibus, quos in confessionibus antea-ctis commisi.

Hîc dici debet, si in particulari occurrat aliquis defectus, quem in confessione, vel in Missa commisisti: vt si aliquod omiseris peccatũ, quod confitendum erat, aut fueris aliqua confessus sine contritione, aut proposito emendandi: aut si in Missa particulariter deliqueris in attentione, cærimonijs, & reuerentiâ, admittendo profanas cogitationes, & huiusmodi res vanas & impertinentes. Si à Missæ oblatione continuò distractiones admiseris, nec quâ par erat deuotione & affectu, gratias Deo egeris, neque animi tranquillitatem conatus fueris conseruare. Quòd relapsus fueris in culpas, de quibus aliâs eras confessus: & generatim, paruam te diligentiam posuisse, vt vitam ad meliorem frugem conuerteres, & mores incompositos immutares. Hoc quoad præambulum seu præfationem.

Postmodum examen conscientiæ, vt memoria iuuetur, ad tria puncta reduci potest: ad id quod Deo, quod proximo, & sibi ipsi debetur.

In his, quæ Deo debentur.

Accuso me, quòd in Dei amore defeci: nec præ omnibus illum amaui, quòd in creaturis animum

nimum habui, & cogitationes defixas. Non deſidero, vt par eſt, placere Deo, eiuſque complere voluntatem. Ea quæ ad obſequium eius ſpectabant, potiùs conſuetudine, aut neceſſitate, quàm affectu erga illum aut caritate perfeci. Nulla ferè curâ incubui, vt Deum mihi ſemper ob oculos ponerem, inque eius ambularem conſpectu; ſed ab hoc ſæpiùs mentem cogitatonemque auerti. Inſpirationibus, quæ me à vitio ad virtutem, reſque Deo acceptas, vocabant, non attendi. In multis libidinem magis, & voluntatem propriam, ſecutus ſum, quàm dictamen rationis internæ. Omnia quæ ad cultum diuinum, & obſequium Chriſti ſpectabant, negligenter, multiſque defectibus impleui.

In ſingulis horum explicare debes culpam particularem, quam contraxiſti. Præſertim, quòd inſpirationibus & dictamini rationis interno, non reſpondiſti. hoc enim peccatum ſpiritale eſt, atque animo valdè periculoſum, in quod facilis eſt lapſus, multumque Dominus offenditur, nec cognoſcitur facilè, niſi diligenter attendas.

Officium diuinum perſolui modicâ cum attentione & reuerentiâ: in eoque diſtractiones paſſus ſum, in quibus eijciendis negligens fui.

Hîc declarare oportet notabiliores defectus. velut ſi in magnâ fueris diſtractione, quæ longo tempore durârit. tuané culpa exorta ſit, negligentetné illam reieceris. Si in recitatione Officij vnum pro altero recitâris: ſi nimis celeriter, vitioſè, interruptè, miſcendo alia verba aut actiones, quæ poterant euitari. Si hîc ſomniculoſè aut

aut oscitanter te gesseris, aut aliam quamlibet commiseris irreuerentiam, quæ offendit Maiestatem Saluatoris, qui cum locutus es.

Orationibus vacaui negligenter & remissè, distractiones admisi, nullâ pænè reuerentiâ absolui.

Hîc etiam accuses te de cogitatione aut motu, si quis fuerit, infidelitatis, & dubijs in rebus fidei obortis: quæ non eâ fidei constantiâ, & quâ decebat, festinatione propulsaris. De defectu timoris Dei, quodque abstineas nonnunquem à peccatis, non tam timore Dei, quàm humanâ aliquâ consideratione & respectu.

In his, quæ proximo debentur.

ACCVSO me, quòd non diligo proximum vt meipsum, & prout ab illo me vellem diligi. Quòd illum offendi verbo aut opere: inaduertenter, indiscretè, aut malignè. Quòd motu aliquo iræ, aut indignationis, fuerim accensus. quòd illi malum exemplum, aut scandalum, dedi. Atq; hîc omnes diligenter attendant, quilibet pro ratione dignitatis: præsertim si ijs dederis scandalum, quos tuo informare exemplo tenebaris. De iudicijs temerarijs: quòd vidi nonnulla & audiui, quæ cùm in bonam partem accipi possent, in malam sum interpretatus, prauamque opinionem concepi.

Hîc duo sunt explicanda: vnum si id, quod iudicâsti, leue & commune esset, an graue & inusitatum. Alterum, si iudicaris determinatè credendo ita esse: nam tunc est iudicium. An tantùm suspicatus, credendo quidem aliquid mali

proximo eſſe, non tamen vt rem certam, ſed dubiam, vnde decipi poſſis, & res forſitan on ita ſit. Atque hæc maior, aut minor culpa t, prout res, de qua habetur ſuſpicio, magis it minus grauis; ac prout iudicia ſuſpicandi, it coniecturæ ſunt euidentiores, aut è contrà: prout ſuſpicio vehementer eſt, magiſque ad dicium fertur. Quæ ſingula declaranda ſunt.

In his quæ ſibi ipſi debentur.

Debet examinari, quodcunque cogitatione, verbo & opere, commiſſum eſt.

Quantum ad cogitationes.

Accuso me, quòd cogitationes habui inutiles & otioſas: quibus ſponte, aut negligenter immoratus ſum. Cogitationes otioſæ, vocanur illæ, quæ nullo bono fine habentur, nec vtiliate tuâ, nec proximi: & hæ licet nullam habeant dmiſtam prauitatem, niſi quòd inutiles ſunt, ater peccata venialia cenſentur.

Præter hoc examinandum eſt, an alias vitioas cogitationes habueris, quæ excitârunt ad ſuerbiam, vanam gloriam, propriam æſtimatioiem, inuidiam, iram, vindictam, impatientiam, urpitudinem, aut res laſciuas atque venereas nimo repræſentârunt. in quibus omnibus, quana fuerit mora, explicabitur. ſi aduerteris te illis mpeditum fuiſſe, & tunc ſedulò, an negligenter, as eieceris. an ſignum aliquod, aut ſuſpicionem,

reperire

reperire possis te consensisse: habito enim con sensu, culpa est clara, sicut & cùm sponte fuer immoratus, in quo delectatio morosa consisti Sed quamuis eò non deueneris, negligenter ta men hasce cogitationes à te reiectas esse, non ca ret culpâ. Vnde in his, sicut in cæteris, circumstan tiæ aggrauantes declarari debent: reliqua, qu non augent, nec minuunt, sunt omittenda. v. g. i cogitationibus vanæ gloriæ, se aliquis accuset Quòd cùm ab alijs laudaretur, subiecerit aliqui dicto vel facto, vt in maiori laude atque æstima tione haberetur. Et sic de reliquis cogitationibu dicendum: quæ magis minusuè vitiosæ sunt, prou magis minusuè adhæserit voluntas & affectus quod facilè deprehendet omnis, qui Dei timor ducitur, cauetque ne vel in minimo offendat, & conscientiæ puritatem sectatur.

Hîc generatim te accusa, quòd cordis integri tati parum studeas, affectiones effrenatas no subijcias rationi: quòd motus proprij amoris a voluntatis secutus sis, proprioque steteris iudicio & sententiæ, declarando in singulis particulari ter, quodnam admiseris peccâtum.

Quoad verba.

ACCVSO me, quòd plurima verba inania & otiosa locutus sum. Verba otiosa sunt, quæ nullo bono fine, nec ad Dei gloriam, nec ad pro ximi vtilitatem, efferuntur.

Præterea, de verbis vitiosis. Si dixeris iocosa, ridicula, narrando aliquid, aut nugando; irriso-

ria,

a, quibus alterum ſubſannâſti & illuſiſti, quam-
s in rebus leuibus. Si murmuraueris, aut detra-
xeris, explicando fueritnè in re graui an leui, an
:rè, an falsò. Si nimis cõtẽtiosè egeris in re nul-
lius momenti. Si lubenter aliorum murmura &
etractiones audiſti. Si in riſu aut cachinno nimis
compoſitus fueris, & effuſus. Si mendacium
iquod officioſum dixeris, iocoſum, vel perni-
oſum. Si ſuperbè de te, & cum iactãtiâ, locutus
s, narrando res geſtas in tui æſtimationem. præ-
ertim ſi hîc exceſſeris, aut mentitus ſis, aut dixe-
s aduertens, eâ intentione.

Denique accuſes te de omni, in quo te verbo
entis offendiſſe, explicando ſingula, prout ne-
ceſſaria erunt, vt intelligat Confeſſarius grauita-
em peccati.

Quoad opera, & omiſſiones.

ACcuſo me, quòd occupatus fui in rebus
vanis, & nullâ cum vtilitate coniunctis. ſi-
ut enim cogitationes & verba otioſa ſunt: ita e-
iam opera vana, nullius emolumenti, quæ in ſo-
â occupatione conſiſtunt. præſertim ſi te occu-
paris in ijs, quæ vanâ tantùm curioſitate place-
bant. Si in otio tempus abſumpſeris. vbi dili-
genter aduerte, & cum ſcrupulo, an ipſum perdi-
deris, aut malè collocâris. Si exceſſeris in eſu, po-
tu, & ſomno, plus quàm neceſſe erat. & his vti
potiùs volueris gratiâ delectationis. Si in ijs quæ
ad virtutem erudiebant capeſſendis, tardus &
piger fuiſti. Inſuper te accuſa, quòd potuiſſes plu-
ribus operibus bonis inſudare, quæ omiſeris præ
negli-

negligentia & tarditate. Quòd in exercitijs virtutum, leuis & inconstans fueris, & sæpissimè quæ laudabiliter proposueras, immutâris. Si bonum aliquod opus omiseris, ob hominum dicteria, aut malignam opinionem. Si omnia facta ad Dei gloriam, debitosque fines retuleris. præcipuè si quid cum hypocrisi, ad vanam gloriam consequendam, aliosque fines vitiosos, ostentâris.

Præter has culpas, particulariter vnusquisque confitebitur eas, quas commisit ratione statûs, siue dignitatis: quemadmodum Religiosi circa obseruantiam votorum. De obedientia quidem erga Superiores, si internè & externè quoad hanc defecerint, & neglexerint ea quæ erant iniuncta nec fecerint, quâ decebat promptitudine, & alacritate. Circa paupertatem, si rebus superfluis vtantur, animique affectionem illis habeant adfixam. Si dederint aliquid, aut receperint sine licentiâ. Si occultum quid, nec expositũ voluntati Superiorum, retineant. Similiter de obseruantijs Religionis & constitutionibus, siue statutis & de eo quod suâ causâ & culpâ perditur, ac relaxatur de obseruantia & rigore Ordinis, quodque aliàs reformandũ erat, omittitur. vbi nota peccatum, quod conscientiam Religiosorum valdè aggrauabit.

Si est paterfamiliâs, curetnè vtrum domestici benè & Christianè viuant. Si suo illis præeat exẽplo. Si eleemosynas pro ratione dignitatis eroget, præsertim de bonis Ecclesiasticis. Si auarus, si cupiditate ducitur opum, vnde parcus est, & eleemosynas negligit, subtrahitque, quod pro statûs condi

conditione expendere debebat. Si contrà prodigus, bonaque Ecclesiastica profanè & inutiliter absumit. Si familiã alit ampliorem, sumptus maiores impendit, fastuque maiore extollitur, quàm honestè suus status conformiter ad temperantiam Ecclesiasticam requirit; si ita dissipat res suas, vt in eleemosynam nihil reliquum sit.

Vbi diligenter aduigilent Clerici diuites, quique beneficijs pinguissimis fruuntur. notent etiam Confessarij, quomodo eos absoluant. Nota.

Hoc ordine poterunt inquiri cætera peccata: quæ, qualiacunque fuerint, poterunt reduci ad vnum punctum eorum, quæ hîc tanguntur.

CAPVT V.

Ponuntur quædam signa valdè necessaria pro vsu Memorialis supradicti. Et de totâ materiâ confessionis.

VT commodiùs prædicto Memoriali vtamur, & intelligatur methodus confitendi, quædam notanda sunt magni momenti, nec non profutura.

§. I.

Confessio venialium non est de obligatione, sed arbitrio facienda.

PRimò notandum est, quòd confessio venialium non est de præcepto, nec obligatione, sed de consilio vtili & fructuoso; quippe grandia

inde commoda promanant. Quod intelligatur cùm venialia esse, manifestum est. si enim foret dubium, aut periculum esse mortalia, tenemur ad eorum confessionem. Et supposito, quòd non sint huiusmodi venialia: sed ea tantùm, quæ sponte, & de cõsilio confitemur, pro maiori conscientiæ integritate obtinendâ, & fructibus inde percipiendis; magna tunc libertas est confitendi. Adeò vt, quamuis plurimùm referat diligenter excutere conscientiam, singulosque defectus cognoscere, possit tamẽ quilibet particulariter meminisse, duorum aut trium, pluriumuè peccatorum, quæ maiorem includunt deformitatem, atque illa confiteri. Aut securius est, de quibus maiorem excitâsti contritionem, quæque magis displicent cum proposito melioris vitæ. Sed aduerte nullum omittas, de quo periculum est, aut suspicio, sitnè mortale.

§. II.

De aliâ breui & facili methodo confitendi, quâ communiter vtamur.

NOta etiam: pro maiori facilitate eorum qui quotidie confitentur, sequentem methodum subiunximus. potissimùm vbi commoditas deest, tam enucleatè conscientiam examinandi. Discurremus itaque per omnes horas diei. Exempli causa:

Accuso me, quòd heri ad sacrificium modicâ præparatione accessi, atque in Missa nonnullas habui distractiones & defectus attentionis, aut huius-

huiusmodi. postea verò diuerti ad alia, nec seruaui mentis quietem; neque Deo gratias condignas egi. Tempore orationis negligens fui, & vanas futilesque habui cogitationes. In esu excessi mediocritatem, magisque delectationem quàm necessitatem secutus sum. Vsque ad Vesperas temporis aliquid malè collocaui. In Vesperis minùs fui attentus, magisque distractus: & in reliquo Officij nõnullos defectus commisi. Porrò sic discurres per totum diem, ea notans in quibus maximè peccâris. Hæc methodus facilis admodum est pro ordinariâ confessione.

Alius stilus est, supposito nihil esse quod ad peccatum mortale accedat, reminiscêris duorum triumuè, quæ minùs leuia videntur. & omissis alijs procemijs, incipies: Accuso me, quòd imparatus pænè accedo, & in ea vitia incidi, quæ sæpiùs confessus sum. Heri Officium cum paruâ attentione recitaui. particulariter hos & illos defectus commisi. nõnullis cogitationibus otiosis, aut vitiosis, fui intentus, & incurius fui in illis reijciendis. multa otiosa, aliqua inconsiderata locutus sum. tantam temporis moram malè collocaui. plùs comedi ratione saporis siue gustus & sic de cæteris, quæ notabiliora videbuntur. statimque subijcies: In pluribus me reum agnosco, quorum, vt confitear, non memini. ac de omnibus generatim me accuso, petoque à Deo remissionem, & à te, Pater, absolutionem, & salutarem pœnitentiam.

Hunc obserua modum in confessionibus quasi quotidianis, vt faciliùs & breuiùs eæ fiant. Enimuerò valdè fructuosum est, nonnunquam

occurrente festo aliquo, aut cùm maior commoditas & affectus, paulò prolixiorem facere confessionem, & maiori consideratione, discurrendo per omnes defectus, vt Memoriali posito continetur. & tunc conetur omnia vitia sincerè confiteri.

§. III.

Est consilium admodum salutare confessionem aliquam generalem instituere: & iterum aliam singulis annis.

PRo maiori satisfactione, & animi tranquillitate, consilium est fidelissimum, (quod qui audierit, sibi plaudet aliquando, messemque inde metet copiosam) generalem totius vitæ confessionem edere, tanquam si primùm confiteretur: ad quam eligendus est Confessarius sapiens, multáque experientiâ edoctus: ipse verò huic tantâ curâ atque labore incumbet, velut continuò moriturus. omnes igitur conscientiæ angulos scrutabitur, euertendo quidquid immundum est. adeò vt illa ratio velut antiqua & subducta, quasi in tablino mentis conquiescat, nec opus sit vel morituro ad eam denuò accedere. Supposito isto examine legitimè facto, in reliquo vitę cursu, singulis annis die certo, quem sibi magis solemnem ducit, (velut die Professionis, si Religiosus est; aut anniuersario Missæ primæ; aut alio quem ipse designârit) generalem faciat confessionem, integram & sinceram, de his quæ transacto anno commisit: & eàdem omninò diligentiâ, quâ moriturus. vt si

fortè

forte altero ſtatim anno moriatur, nihil habeat confitendum, præter hæc, in quibus ab illâ confeſſione peccârit. & ita nulla ratio, niſi vnius anni, ſubducetur. poteritque cognoſcere, inter annum & annum conferendo, quantum profecerit, aut defecerit. Hoc ſtudium valdè vtile eſt, & nullam habet difficultatem, facileſque reddit confeſſiones, quæ quotidie eduntur.

§. IV.

Peccata, non ſunt confitenda verbis conditionatis, aut generalibus; ſed particularibus & diſtinctis.

NOTANDVM etiam, ne in confeſſione vtamur verbis generalibus, ſed particularibus & diſtinctis, quæ Confeſſario explicent actus ſingulares, in quibus reus deliquit: neque verbis conditionatis, ſed determinatis & abſolutis. verbi gratia: hæc confeſſio non valet, dicendo: Accuſo me, ſi otioſa dixi, aut praua cogitaui. nec valet: Accuſo me, quòd tantam non habui caritatem aut humilitatem, quanta haberi poterat. aut quòd non ſat citò malas cogitationes propulſaui: quòd non fui in Officio diuino, quâ decebat attẽtione, &c. hæc enim nimis generatim dicuntur: de quibus etiam ſe accuſabit, qui in eo magnâ attentione vigilârit. Sed determinatè dicendum eſt, hoc modo: Accuſo me, quòd fui diſtractus in Officio, aut negligens fui in diſtractione abijcienda, &c. adeò vt ſemper diſtinctiſſimè eloquatur id, in quo peccârit.

Circa hoc ipsum Nota, quòd, licet non sit ne
cesse in confessione venialium, determinatè nu
merum, & circumstantias, quæ aggrauant, decla
rare, quod in mortalibus omninò requiritur; sa
lutare tamen est consilium, quandoquidem ape
riantur peccata, eà distinctione enuntientur qua
sufficiat, vt intelligere possit iudex quantitaten
& grauitatem culpæ: vnde meritò, toties & totie
dicetur : aut in eam se incidisse per consuetudi
nem, aliasque circumstantias, quæ culpam grauio
rem leuioremuè efficiunt.

§ V.

Procuranda est actualis contritio, eorum qu confiteris : & quá ratione illa poterit obti neri.

PRÆ omnibus in hoc reus laboret, vt actua lem habeat displicentiam & contritionem propositum & desiderium emendandæ vitæ: nam per hoc præcipuè Sacramenti fructus paratur & quatenus hic dolor & propositum maius est & perfectius, eatenus vberior fructus consequitur. vnde hîc potissima debet diligentia collocari.

Pro contritione de peccatis multum refert expendere, quòd ea quæ confessurus est, Deum offenderunt, ad cuius amorem & obsequium, tantis sumus vinculis obstricti. ac consequenter Angelis, Sanctisque omnibus inuisa fuerunt. Et quantumuis leuis sit culpa, potiùs debuisses acerrimis velle supplicijs torqueri, quàm vel leuissimam committere. Proinde optimum fuerit priusquam con-

confitearis, aliquantulum immorari ijs quæ commisisti: totoque affectu Deo fateare: Domine mi, video maximam obligationem, quâ teneor, ad cultum, ad obsequium tuum, non ad iram excitandam. & illa constringor vel ex eo tantùm, quòd in me innumera quotidie confers beneficia. Sed peccator sum infirmus, infelix, miserandus: pœnitet me tantorum peccatorum, & quòd modò ad te venio parum præparatus, vt delicta confitear, teque recipiam: pœnitet me parui profectus, multorumque defectuum, quos in Officio tuo admisi: quòd facilè ad cogitationes profanas mentem diuerti, verbis peccaui, tempus malè absumpsi, &c. Propono quantum in me est, meliorem vitam, & supplico tibi, gratiam mihi infunde, quâ confitear ritè peccata, & seriò me emendem. Obtestor te, Saluator, accipe hanc confessionem meam, & supple omnes defectus, vt dignè tua recipiam Sacramenta.

Hoc modo poterunt referri cætera, quæ confitebêre: sic enim maximè ad contritionem animus excitatur. Quòd si summus dolor haberi nequeat, ad illum saltē ferare desiderio, atque pœniteat te duræ mentis, quam vt mitiget Dominus, opem illius implora. Post hæc autem subiunges: Similiter me pœnitet omnium peccatorum totius vitæ meæ, ab hinc ætate illa quâ vsus mihi cō tigit rationis. & quòd toties mandata tua sum transgressus, atque à tuâ sanctâ voluntate me disiunxi cogitatione, verbo, opere, omissione, aut quacunque aliâ ratione & effectu. Quem generalem contritionis actum ita instituces, vt culpas

tam mortales, quàm veniales complectatur. Quæ erunt facillima, & vtiliſſima ad fructum Sacramenti, modò in conſuetudinem ducantur.

Plura hac de re inuenies in Memoriali R.P.F. Ludouici Granatenſis, Tractatu ſecundo, de Pœnitentia vbi multæ ponuntur conſiderationes, & orationes ad hunc finem admodum piæ. nos verò ſolùm intendimus tradere pro confeſſionibus quaſi quotidianis, methodum facilem & compendioſam.

§. VI.

Non eſt neceſſe, vt credat reus, & ſibi perſuadeat, ſe in illis ipſis, quæ confitetur, nunquam offenſurum.

QVoad propoſitum emendationis, Nota, non eſſe neceſſarium, vt credat reus, & conſtāter teneat, ſe in his quæ vult confiteri, nunquam offenſurum. hoc enim cogitare, videretur actus præſumptionis. Sed enim humiliter de ſe ſentiat, nimirum in eodem ſe luto hæſurum, niſi Dei fauore gratuito præueniatur. Sufficit proponere, omnem in emendando curam diligentiamque ſe poſiturum: & ad hoc deſideret ſaltem, petatque à Deo fauorem. Cum diſpoſitione iſta, ſecurè accedat Sacramentum Pœnitentiæ: cuius virtute & efficacià ſupplebitur omne, quod deerit diſpoſitioni perfectæ: quam iuſtum eſt, in votis illi ſit obtinere.

§. VII.

§. VII.

Laudabile est, præter culpas præsentes, nonnullas adijcere, quas tempore præterito fueris confessus.

NOta etiam, laudabile esse in confessionibus quotidianis & ordinarijs, vbi culpas præsentes fueris cōfessus, quarum tunc memor eris, subiungere nonnullas vitæ anteactæ, quæ certæ sint & cognitæ: idque non generatim, sed particulariter. veluti: Accuso me, quòd tempore præterito locutus sum plurima verba otiosa, aliqua mendacia, & iuramēta sine iusta ratione: aut similes grauiores culpas, quæ maiorem causare confusionē possint: aut illas de quibus maiorem habes contritionem. Quod si ritè fiat, multa cauentur incommoda, quæ ignoranter, aut defectu dispositionis, oriri in confessione possent.

§. VIII.

Quid reus in fine confessionis, & dum absoluitur, facere debeat.

IN fine cōfessionis, sic dicet toto cordis affectu: De his & omnibus alijs, quibus Deum offendi ab anno rationis acceptæ vsque nunc, cogitatione, verbo & opere, me accuso, omniumque me pœnitet, & propono emendationem vitæ, & peto à Deo remissionem, & à te, Pater, eius nomine absolutionem, & salutarem pœnitentiam.

Expletis ijs quæ facere reus debet, dum Con-

fessarius absoluit, attendat omni conatu, spiritu cogitatione & humilitate, ad id quod Sacerdos pronuntiat. nec consideret esse hominem, qui loquitur, sed Vicariũ Christi, & ministrum Ecclesiæ: quodq; ad recipiendum fructũ huius Sacramenti subijcere se debeat clauibus Ecclesiæ, eiusque ministro. ac proinde se ibi sisti tanquam reum, qui culpam confessus est, vt Iudicis sententiam excipiat, quam implere paratus sit, audiatque & accepitet quamlibet admonitionem, personam Christi veneratus, cuius ille mynisterio fungitur.

Dum Confessarius absoluet, ex quo incipit *Misereatur tui, &c.* conetur esse præsens, & in mente hunc faciat discursum: Domine Iesu Christe, qui in Ecclesia tuâ potestatem Sacerdotibus reliquisti ligandi atque soluendi, ego Vicario tuo, quoad sciui, peccata confessus sum: agnosco me in his pluribusque alijs offendisse: sic me horum pœnitet, sicut reliquorũ totius vitæ meæ: & propono gratiâ tuâ & fauore confirmatus meliorem frugem. Supplico, concedas mihi, ad gloriam tuam, absolutionem & gratiam huius Sacramenti. *Amen.* Contendat huic assuescere, & huic similiuè orationi esse intentus, dum absoluitur, hæc enim clauis est ad fructum Sacramẽti. Cùm verò minùs erit dispositus, vt id tam enucleatè faciat, hæc verba intimo è corde pronuntiet: *Domine Iesu Christe, in his, & in multis alijs peccaui tibi: pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci: concede mihi gratiam huius Sacramenti, ad gloriam tuam, Amen.* quod si etiãnum longius videbitur, dicat: *Pœnitet me peccâsse, cupio emendare quod feci.*

CA-

CAPVT VI.

Laudabile est quotidie conscientiam examinare: & quæ ratio sit habenda.

PRo omnibus supradictis, & confessione faciliùs instituendâ, pro vitæ mortisque securitate, animi profectu, alijsque innumeris fructibus fidele est consilium, quod generatim omnes Sancti commendârunt, quotidie excutere conscientiam, sibique ipsi momentum rationis præscribere. Consilium hoc tantæ est vtilitatis, vt nullis queat verbis exaggerari, & nemo sit sanæ mentis, modò consideret, & rationem habeat salutis, quin hoc ipsum lubenter examen facturus sit.

Innocens Iob de seipso testatur: *Verebar omnia* Iob 9.
opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.

Quod cùm ita, & Deus sit rigidissimus exactor, illo nobis permittente hoc iudicium, quamdiu hæc vita manet, quidquid ipsi iudicabimus & castigabimus, non castigabit ille, nedum iudicabit, teste Apostolo: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* nec enim eidem culpæ duplex pœna infligitur; sapienter is quidem faciet, qui tempori iudicabit seipsum, pro peccatis supplicia sibi lachrymarum, piorumque operum, infliget, vt liberetur à potenti manu Dei, & dicat cum Propheta: *Feci iudicium & iustitiam, non tradas me calumniantibus me.* Præterea quis erit Quæstor magnarum opum, qui rationem strictissimam sit redditurus, & quotidie subducens quidquid recipit, quid-

In Dei iudicio nihil impune.

2. Cor. 11.

quidquid exponit, nunquid facilè, quantum perdat, quantum lucretur, inueniet?

Somnus, imago mortis.

Similiter, cùm somnus sit imago mortis; quippe mortuo simillimus est dormiens: cùmque videamus experientia multos, qui vespere sani recumbunt, manè mortuos inueniri; quis adeò insipiens & temerarius, qui somno se audeat componere, sine præuio examine suiipsius, vt si forsitan nocte illa moriatur, sit saltem in statu salutis?

Propter has, aliasq; innumeras rationes, summâ laude dignum est, si dormiturus conscientiam examinet, atque ita se componat, tanquam istâ nocte moriturus. Quod examen, eâ, quæ sequitur, methodo, instituendum est.

Examen conscientiæ vespertinum.

Priusquàm vadat cubitum, paulisper, vel per quadrantem horæ, se æstimet citari ad iudicium, atque transactæ diei rationem postulari.

I. Gratias agat pro beneficijs

Primò, gratias agat Deo pro omnibus beneficijs, totâ vitâ acceptis; potissimùm quæ isto die recepit: pro vitâ obtenta, pro sanitate, victu, cæterisq; bonis, quà corporalibus, quà spiritalibus: agnoscendo, quòd omnia illa, qualiacunque tandem, sint beneficia, quibus nos Deus obstringit. Similiter pro omnibus malis, quæ à corpore & animâ propulsauit: non tantùm quæ ipse homo cognoscit, sed & quæ ignorat: ac pro omnibus Deo debetur actio gratiarum. insuper petendus est fauor, auxilium, lux cælestis, pro defectibus & peccatis vestigandis: nam sine luce istâ, & fauore particulari, vix cognosci queunt.

II. Examinet bonum & malum.

Secundò, mente omnes horas diei percurrat, atque attentè consideret in ijs dicta, facta, cogitata.

ata. Quomodo ſe ad Miſſam præparârit, quâ at-
entione & ſtudio illam perfecerit, quî ſe deinde
geſſerit, quomodo in oratione, quà diligentiâ
nanes cogitationes fugârit, quo affectu Officium
diuinum perſoluerit, quomodo tempus impen-
derit, ſuas compleuerit obligationes. Denique in
ſingulis horis notet, quam virtutem, quod vitium
uerit amplexus. virtutem Deo referat acceptam,
qui fons eſt bonorum: malum autem & vitioſum
ſibi ipſi attribuat, & conetur pœnitere de omni
eo, quo Dei Maieſtatem offendit, adeò vt optet à
ſe id minimè factum pro toto vniuerſo: propo-
natque firmiter vitæ ſuæ emendationem.

Tertiò, offerat Deo omne bonum, quod illâ die totaque vitâ perfecit, atque omnem virtutem, quæ toto orbe fuerit exercita: qui velut Eccleſiæ membrũ, & per caritatem omnibus vnitus membris, particeps eſt omnium bonorum, (præſertim ſi de his lætetur & gaudeat) & ex eo, quidquid Dei oculis fuit acceptum, velut pars meretur, ex omnibus Angelorum Sanctorumque laudibus, ex caritate, quâ Deum proſequuntur, modò optet à ſe omnia iſta facta eſſe, & deſideret amore tam ardenti flagrare. III. Offerat Deo bonũ quod fecit.

Potiſſimùm offerat Patri æterno merita Filij, & meritis Chriſti, Sanctorumq; omnium in cælo, & Iuſtorum in terra, coniungens quidquid ipſe boni fecit, Deo offerat in gloriam & honorem. Porrò hæc oblatio fiat enixè, vt de ea ex voluntate ſuâ ipſe conſtituat, quod mage ſibi placitum fuerit, & vnde maior ei poſſit gloria & honos accreſcere.

Quartò, petat veniam ac remiſſionem omnium pec- IV.

peccatorum, præcipuè eorum quæ die illo commisit. ac imploret gratiam & fauorem, vt veram possit agere pœnitentiam, & vitam seriò emendare. Denique commendet se Deo, cui corpus animumque offerat in obsequium & clientelam. rogetq; vt corpori dignetur largiri quietem & tranquillitatem, vt à somno meliùs seruire possit, seruetq; ab omni periculo & discrimine, præsertim peccati. Rectè etiam videtur facturus, si aliquam sibi pro delictis satisfactionem imponat: quæ erit melior, si in eodem, in quo legem excesserit, torqueatur. Quemadmodum si præ gula in esu fuerit intemperans, aliquid subtrahat de cibo & potu. si loquacior, silentium arctiùs seruet, etiam vbi licitè posset loqui. & sic de cæteris. docebit enim ipsa mens volentẽ se emẽdare. & quamuis pœnæ, quas sibi præscribet, leues videantur, vt si dicat vnum *Miserere*, brachijs in crucem extensis, siue vnum *Pater noster*, aut *Aue Maria*; magni tamen æstimandæ sunt, quia testimonium est, pœnitentiâ duci eum qui peccauit, & velle corrigere delictum. Imò licet paruæ, quia voluntariæ, plus satisfaciunt, quàm tormenta Purgatorij grauissima. Atque ita sapienter patimur leuia, vt euitemus grauiora.

Petat remissionẽ peccatorũ, & gratiam ad meliora.

Pœnitentia respõdeat peccato.

Hoc exercitio quotidiano, quod tam facile est, vsus confitendi facillimus redditur: & paremus consilio Christi dicentis: *Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus est.* Salus etiam hominis sic maximè paratur: quamuis enim nocte illâ moreretur, sperare poterit de salute. Quin etiam per hoc in sui cognitionem deuenit homo, notitiamque concipit defectuum, quod magnum est reme-

Matth. 24 & 25. & Lucæ 12.

medium corrigendi : liberatur à peccatis, igno-
antiâ vel obliuione omissis : & quæ oblitus fue-
ar, vel ignorârit, non imputabuntur ad culpam :
dhibuit quippe eam diligentiam quam potuit,
t cognosceret, si quid deliquisset. Denique me-
um est efficax, pro meliore vitâ amplectẽdâ, &
d seriò incumbendum virtutibus. vnde nullus
ui salutem optat vehementer, hanc vel semel
ebet omittere. multòque magis Sacerdotes, qui
uotidie celebrant, & recipiunt Saluatorem,
anc animi debent asserere puritatem. Et hæc suf-
ciant quoad primam præparationis partem, quæ
t animi puritas & munditia : de Consideratione,
uæ est secunda pars, in sequentibus aliquid di-
emus.



TRACTATVS VI.

DE ATTENTIONE, ET CONSIDERATIONE NECESSARIA AD CELEBRANDVM.

CAPVT I.

Quàm sit culpabile, & damnosum, diuina celebrare Mysteria sine attentione & consideratione debitâ; & quàm sit necessaria Sacerdotibus meditatio.

§. I.

Tract. 4. c. 6.

DVabus in rebus diximus consister præparationem necessariam ad dign celebrandum: in puritate, & attentio ne, siue consideratione. de illa diximus, quo menti nostræ fuit oblatum: superest de ha aliquid proferre. quæ non est minùs necessaria quàm illa, nec minoris momenti. Quipp licet Sacerdos excelleret omni puritate & sa ctimoniâ, Angeli instar, ac diuina celebrar mysteria sine attentione, & consideratione a ea quæ agit, essetque animo distractus, cogitatione vagaretur in rebus diuersis; non rit nec dignè celebraret, nec cum eâ dispositione, qu

Defectu considerationis indignè celebratur.

uæ necessaria est ad fructum Sacramenti conse-
uendum: certiùs grauiter Deum offenderet,
uem sine cultu, & reuerentiâ tantæ Maiestati
ebitâ, tractare præsumpserit.

Etenim hic defectus attentionis sufficit, vt pri-
etur quis fructu particulari & proprio SS. Sacra-
ienti, careatque augmento virtutum, quæ eius-
iodi frequẽtatione debuissent accrescere, aream
enique sternat latissimam peccatis congerendis.
Nec mirum id videri potest: cùm enim verè asse-
ant Doctores Sancti, Basilius & Thomas, vt su-
rà retulimus, quòd recitando Psalmos, & alias *in addit. Tract. 3.*
uascunque orationes vocales, sine attentione
d id quod recitatur, peccatum committitur, &
ertâ quadam ratione is, qui cum loquimur, de-
pectui habetur; an multum est, quòd hæc atten-
io exigatur in re tam sacrâ, tam immani, in Missæ
acrificio? vt accipiatur SS. Sacramentum? quâ
leficiente, nouâ noxâ contaminamur.

Confundi vehementer debemus in ijs, quæ Gentiles sacrificabant attentè, & reuerenter.
eferunt Auctores grauissimi, de Gentilium My-
tis & Sacerdotibus, eos fecisse, cùm accederent
oblaturi.

Dicit Macrobius: Ægyptijs & Cretensibus, *Macrob. l. 3. Saturn. c. 2.*
nos fuit sacrificia curare attentè & reuerenter.
Sacerdotes cùm stipante populo ad fana proce-
lerent, ad fores templi interrogabant: Scitis, quis,
quis hîc moratur? respondentibus, esse templum
Dei, addebant: Scitis, quid venimus facturi? tunc
se venire aiebant, vt sacrificium offerrent Deo,
gratesque agerent pro beneficijs acceptis. quo di-
cto ingrediebãtur, rati sufficere hoc, vt sacrificijs

adsisterent eâ, quâ par erat, veneratione. in quo nullus dixerit esse deceptos.

O confusio nostra grandissima! ô Domine Deus noster, quantus pudor, quòd gens illa cæca & barbara, tam attentè & consideratè processerit, vt dæmoni honores decerneret, offerretque sacrilega sacrificia, ligno & lapidi dedolato; nos verò Sacerdotes tui, tam paruo studio atque diligentiâ curemus, vt tibi soli Deo, cui omnis debetur gloria, venerabile sacrificium, tremendum atque terribile, debitâ attentione offeramus! O Patres, si cogitaremus tam sapienter, vt infelices illi ac miseri; si Ecclesiam intrantes anxiè voluremus, quis iste qui hanc domum incolit, & quàm dignus est reuerentiâ & honore? profectò maiori spiritu diceremus: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Si quando in manus Breuiarium accipimus, multoq; magis cùm ad Missam accedimus induendi, primò nos ipsos interrogaremus: Scimus, quid facturi? id forsitan sufficeret, vt maiori cum reuerentiâ Officium & Missam absolueremus.

Psalm.5.

Refert Plutarchus, alijque Scriptores, in more apud Romanos fuisse, vt Sacerdote offerente sacrificiũ assisteret minister, qui sæpiùs inculcaret: *Hoc age, quod agis.* tanquam admonens, vt animo attenderet ad ea quæ externè faciebat. Vtinam nobis esset de ministro prouisum, qui impeditos sacrificio sæpissimè moneret: *Hoc age, quod agis.* sic enim fieret procul dubio, vt nullæ regnarent distractiones, sola haberetur attentio.

Girald. de Dijs gentium, pag. 430. & 437. Euseb.4.præpa. Porph. lib. resp.

§. I

§. II.

Non est dubium, quin consideratio multùm referat, imò necessaria sit, ad opus quodli- et benè peragendum. cuius defectu, ait Prophe- : *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est i recogitet corde.* Id ille deplorat, quod ipsi, pec- tis nostris, nimis, heu! experimur. Vnde enim t scelera, tot flagitia dimanant? tanta animo- m peruersitas, fractura mentium? tanta negli- entia opum cælestium & æternarum; cupiditas rræ, pulueris, cœni? ex qua radice mundus in- ertitur; Christiani qui verâ gaudent fide, viuunt nquam non habentes, vt barbari, Gentiles, iores his? Hæc eueniunt damna grauissima, ia nulla est consideratio: quæ si adesset, & ex- enderent homines, quàm vilis sit vita qua fruun- r; quàm caduca, quæ illa parturit; quàm sit bre- s, à qua mors non longè potest abesse; post am altera sit perpes gloria, aut tormentis æ- rna: iudicium Dei esse strictissimum, qui abun- anter addet pro meritis; qui fieri posset vt pec- ret homo, aut in peccatis vna hora consisteret? ultis noctibus summo in periculo versaretur: ferit Spiritus sanctus: *Memorare nouissima tua, & æternum non peccabis.* Moyses etiam populum exi- imabat sæpiùs delinquere defectu considera- onis: *Gens,* inquit, *absque consilio est, & sine pruden- i: vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima proui- rent!*

Confideratione opus, ad quælibet.

Ierem. 2.

Ex defectu considerationis, omnia mala.

Eccli. 7.

Deut. 32.

Enimuerò efficacior erit consideratio aliorum uæ ad amorem excitant & gratitudinem. Si con-

fiderarent homines, eius, in quem credunt, Ma-
iestatem Dei: illius erga nos amorem, beneficia
quibus nos obstrinxit, & quotidie obstringit: des
derium, quod habet, vt nobis suam gloriam in
pertiatur. Si expenderent, illum maximè attend
re ad ea quæ agimus, quæ cogitamus; quî fie
posset, vt cor tam durum, tam ferreum inuenir
tur, quod Maiestatem illam offenderet, bonit
tem illam prouocaret? haud dubiè defectus h
considerationis, est omnium malorum fons, o
go totius in mundo confusionis: vnde & ip
consideratio, vnicum esse remedium potest.

§. III.

Sacerdotibus maximè necessaria est consideratio.

QVamuis verò hæc consideratio pro omn
bus generatim necessaria sit, multò mag
tamen Sacerdotibus, eò quòd ipsi communit
res tractent altissimas & excellentissimas: qu
dignè tractare nequeant, nisi plenissimâ consid
ratione. ac proinde ipsis proprium, & annexu
est ipsorum muneri, meditationis exercitium,
oratio mentalis: tam propter magnitudinem
perfectionem statûs, quàm excellentiam eoru
quæ ipsi administrant.

De quatuor illis animalibus, plenis mysteri
dicit Ezechiel: *Facies eorum, & pennæ eorum, exte*
desuper. ac de ijsdem Ioannes Euangelista: *Et in c*
cuitu, & intus, plena sunt oculis, & requiem non habeb
die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus Domi
Deus omnipotens, qui est, qui erat, & qui venturus
Communis Sanctorum explicatio est, quòd h
quatuor animalia, sint figura virorum illustri

Ezech. 1.
Apoc. 4.

san

nctitate, quales oportet esse Sacerdotes: vt his oprium sit facies habere sublimes, pennasque ctentas ad cælum. per quod intelligit S. Gregorius, exercitium orationis mentalis. facies enim otitiam significat; alæ, desideria & affectus: ac roque ferri debent in altum homines boni, & rtute præditi, id est, (quod maximè fit oratione entali) Deum cognoscere & amare, intellectum rerum diuinarum contemplationem efferre, fectum & voluntatem ad amorem ipsarum. od etiam innuit Euangelista, cùm ait, *plena sunt ulis*, ad cognoscendum scilicet Dei mirabilia, nplitudinem & maiestatem. quæ maxima cùm it, duo non sufficiunt, imò nec membra totius rporis quamuis oculi essent, queant sufficere, videant, quæ in Deo, eiusq; operibus, mirabilia ntinentur; præsertim ijs quæ à Sacerdotibus ctantur. vnde oculis pluribus conemur exllere, vt, quod agimus, inspiciamus diligenter attentè; cæteris rebus cæci simus. Hinc & altem sequitur, si oculi nobis adessent, quibus diuituéremur, nos ipsos linguas faceremus in laum Dei, qui tam mirabilia operatur in hominis, nec quiescere die aut nocte ab hoc exercitio llemus. Quænam esset ista molestia non mole, in quâ solâ quies inueniretur! ergo cætera onia lassant & fatigant; hoc opus reficit & confirat? testetur id magnus Antonius: qui cùm iam de ab occasu in oratione pernoctasset, velut olumna firma & immobilis, manè oculos illuante Sole, de eo querebatur, quòd interiorem entis oculum destrueret, (quo contemplabatur

Greg. hō. 3. & 4. in Ezech.

Vera quies in contemplatione, & laude Dei.

lucem inaccessam diuinitatis) eriperetque tranquillam & veram animi quietem. vnde plus fatigatus erat, quàm totam noctem extensis in crucem brachijs orando transiisse.

§. IV.

IGITVR, Patres, nostri est muneris, à laude & consideratione Dei nunquam cessare. Quoties dicitur in Psalmis de viro sancto & integro

Psal. 1. *Et in lege eius* (Dei) *meditabitur die ac nocte?* sexcenties hæc repetitur sententia: nec enim fieri potest vt quis euadat in virum probum & illustrem sanctitate, nisi crebra meditatione delectetur. vnde ipse Dauid Rex, & regni negotijs impeditus, ait

Psal. 118. de se: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Idem alibi sibi tam familiare hoc exercitium asserit, vt manè, meridie, vesperi, media

Aug. lib. 11. de Ciu. Dei. c. 31. & l. 3. de doct. Chr. c. 35. & alij SS. sicut & illud: Septies in die cadit iustus, id est, sæpè.

nocte Deum collaudet. Et, *Septies in die laudem dixi tibi*, idem est, ait S. Augustinus, quod *Semper laus eius in ore meo.* præsertim verò Psalmus 66. facit ad propositum, vbi inter reliqua habetur: *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum, & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.*

O quanta est ignominia id audire nos ab homine seculari, maximis regni negotijs occupato. Quis omnium ita obligatur intendere diuinis laudibus, quàm Sacerdotes, qui manu contingimus & administramus res humanis oculis incredibiles, maximas, quibus maiores non fecit Deus, quibus cætera omnia velut compendio continentur. Quòd si tanta est Dei industria ad exercendos in-

tellecti

llectus humanos & Angelicos, quâ vtetur inentione tam efficaci, quàm illa quæ à nobis quo die tractatur?

Duæ inuentiones Dei præcipuæ.

Plurima inuenit Deus pro salute hominum, & t amorem illis suum ostenderet, digna admiraone. duo tamen cæteris vehementer excellunt. num est mirabilis & diuina Christi Incarnatio. ùm enim scelus hominis maximum attulisset etrimentum; inuenit Deus remedium peccati, uod tanto ipsis reis honori fuit, tantoque emoımento, vt exclamet Gregorius: *O felix culpa, quæ ılem ac tantum meruit habere redemptorem!* De eaem hac inuentione fatetur Augustinus: *Nec satiaar, illis diebus, dulcedine mirabili considerare altitudiem consilij diuini, super salutem generis humani.*

Greg. in benedictione Cerei.
Aug. lib. 9. Conf. c. 6.

Inuentio SS. Sacramenti excellit.

Altera inuentio, cæteris longè præstantior, est anctissimi Sacramenti: licet enim in ista præstierit Deus hominibus summa maximaque beneıcia, tantumque illos extulerit, quantum posset lesiderari: quippe tam sese intimè cum illis conunxit, vt factus sit homo, homo Deus esset, & vt alis ab omni creaturâ haberetur: ita tamẽ, vt illa communicatio & vnio personalis fuerit cum vna natura singulari, quæ est sacratissima Humanitas Saluatoris, quæ personaliter coniungitur Verbo diuino. Sed hîc medium Deus inuenit, quo sese vniret cunctis hominibus, & singulis in particulari: non quidem vnione hypostaticâ, aut personali (hoc quippe non conueniebat) ast illâ excepta, arctissima intimaque coniunctione. nimirum communicat singulis hominum suam diuinitatem, simul cum humanitate: Deum verum & ho-

minem perfectum: quod vnicâ buccella totum ſumitur, hominum includitur viſceribus: corpuſque eorum & anima, cum Chriſto tanquam cibo veriſſimo coniungitur, vt vna eademque res exſiſtat. O quanta hæc induſtria, quot hîc inuentionum miracula! Sanè in hac inuentione cumulatiſſimâ, eſt quod contemplemur, non tantùm hoc breuis vitæ momento, ſed totâ æternitate: quæ cùm longiſſima ſit, contemplationem in illâ figemus, quodque miremur, vſque ſufficiet, nec vnquam faſtidiemus contemplando. At quàm iuſtum eſt, cùm hanc Dei inuentionem manibus quotidie geſtemus, & huius miniſtri ſimus atque inſtrumenta, exerceamus nos, vitamque noſtram in huius ponamus contemplatione miraculi, vt eum perfectè aliquando amemus, qui tam mirabile opus, in noſtram vtilitatem, abſoluit?

CAPVT II.

Porrò oſtendit, quàm neceſſaria, & propria Sacerdotibus ſit conſideratio, & oratio mentalis.

Exodi 12. PRæcepit Deus in Exodo, vt Agnus Paſchalis nō crudus, nec coctus aquâ, ſed aſſatus comederetur. Myſterium hîc erat: nam quod coquitur aquâ, ollæ impoſitum cooperitur, nec eius ferè cura habetur, donec menſæ inferendum eſt. ei verò quod aſſatur, ſæpiùs aduigilandum, oculis manibuſque opus, vt ad ignem vertatur. vbi nota

huiuſce

uiusce diuini mysterij assiduam contemplatio-
em. Tali ratione comedendus est diuinus ille
gnus, qui per suam immẽsam misericordiã, pro
obis voluit in sacrificium verè offerri, & seipsum
cibum dedit, à quo oculos contemplationis
on licet auertere, & qui millies voluendus est
ijs flammis, de quibus ait Dominus: *Ignem veni
ittere in terram.* & Propheta: *In meditatione meâ
xardescet ignis.* Hic est ignis caritatis, quo Salua-
or hoc diuinum instituit Sacramentum: cuius
contemplatio sufficit, vt in cordibus nostris simi-
ẽ amoris excitemus. De hoc igne mãdauit olim
Deus: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in
ltari.* Si pro sacrificijs antiquis nefas erat ignem
eesse altari: quãtò magis altari nostro, sacrificio
ostro non deerit? Porrò ne ignis ille antiquus
eficeret, iussit Deus: *Ignis autem in altari semper
rdebit, quem nutriet Sacerdos, subijciens ligna manè
er singulos dies.* Hoc est proprium Sacerdoti, nu-
trire hunc ignem amoris diuini, assiduâ contem-
platione eius, quem ipse Dominus erga nos ha-
bet, & beneficiorum, quibus nos obstringit. hoc
enim ligno fouetur & succẽditur ille ignis, atque,
vt perpetuus sit, conseruatur. Illum altaris ignem
miserat de cælo Deus: sed voluit, vt ministerio, di-
ligentiâque Sacerdotum foueretur: Ita *caritas Dei
diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui da-
tus est nobis:* sed vult illam Dominus augeri &
crescere nostrâ vigilantiâ, & continuâ considera-
tione cælestium.

Christus cum amore, & consideratione, sumẽdus.

Luc. 12.

Psal. 38.

Leuit. 6.

Sacerdotis est, amoris diuini ignẽ nutrire.

Rom. 5.

Dicit S. Thomas, & est Philosophia certa, vsu
cognitâ, quòd aqua, quia naturâ suâ caret calore,

vt illum habeat, ad ſolem vel ignem debet incaleſcere: nec id ſufficit, verùm vt conſeruetur, ab eo remoueri non debet: ſi enim id fiat, ſubeunte frigore ad naturalem ſtatum conuertitur. Omnino ſic nobiſcum ſe res habet, qui, cùm calore illo caritatis naturâ noſtrâ non polleamus, neceſſum eſt, nunquam à Deo ſeparemur, qui illum in nos infundit: ſi enim ab eo fuerimus diſiuncti, continuò frigebimus, & ad ea quæ naturæ ſunt, deuoluemur: proderit autem exercitium orationis, quod conſulit Propheta: *Accedite ad eum, & illuminamini.* cuius lucem omnia genera bonorum conſequuntur.

Pſalm. 33.

Inter alia encomia, quæ de ſponſa prædicauit ſponſus cæleſtis, dicit: *Guttur tuum, vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labijſq; & dentibus illius ad ruminandum.*

Cant. 7.

Aduertit bene S. Auguſtinus, quòd vinū dentibus non ruminetur: quippe hoc ciborum eſt, qui maximè duri & ſolidi ſunt. vnde videtur cogitationem extollendam eſſe ad vinum communi excellentius, ad vinum ſuperſubſtantiale & cæleſte de quo Zacharias: *Quid eſt bonum eius, & quid eſt pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* includitur hoc, in pane & vino Sanctiſſimi Sacramenti, quod ſub ſpeciebus illis fidelibus & electis erogatur. Ac de hoc vino ſacratiſſimo, iure dicitur, ſaporem eius ab Eccleſiâ in gutture conſeruari, & nouo ſemper guſtu pollere, veluti continuò biberet, quia nunquam ab eius commemoratione diſcedit. porrò vinum tale eſt, quod non tantùm bibi oportet, ſed etiam cenſe-

Zachar 9.
Omne Dei bonū in SS. Sacramento.

censetur dignum, vt dente considerationis ruminetur. Etenim quod ruminatur, semel comestum in os denuò regeritur, iterumque conficitur dentibus: adeò vt idem eiusdem cibi sapor & gustus recurrat, tanquam crebrò aliquis vesceretur.

Quid sit ruminare spiritualiter.

Ait S. Chrysostomus, quod in animalibus est ruminare, in hominibus est cogitare. per cogitationem enim & considerationem renouantur gustus, vtilitas ac refectio, quæ in rebus diuinis habetur. Et hoc est, quod conuenit propriè Sanctissimo Sacramēto per considerationem. Sic D. Gregorius super hunc locum: *De hoc, inquit, vino, notandum est, quod omnes quidem potant, sed labia sola, & soli dentes ruminant: quia dum perfectiores quique, pòst auditum verbum ad memoriam reuocant, atque exercitatione assiduâ cogitant, quasi ad os reuocantes quod sumpserunt, quanta sit virtus cibi quem comederunt, sentiunt; idcircò in lege scribitur, quia animal, quod non ruminat, immundum habeatur: quia quisquis bona quæ acceperit, non recogitat, vacans à sanctis cogitationibus, necesse est vt immundis repleatur.* Et particulariter timeant Sacerdotes, nisi diuina, quæ celebrant, mysteria attentiùs ruminauerint, fore vt à Deo immundi & indigni, qui offerant, censeantur.

Greg. super Cant. 7.

Leuit. 11.

Consideratio, animæ dentes.

Hāc ob causā S. Propheta Ieremias, qui & ipse Sacerdos, inter cætera amarè (non tantùm nomine suo, sed totius Reipublicæ) lamentatur de damnis ab inimico illatis: *Confregit ad numerum dentes meos: cibauit me cinere;* ac proinde desipit omnis cibus.

Thren. 3.

Opus, opus habemus lacrymis Ieremiæ, vt hoc ipsum deploremus: nam defectu dentium, id est considerationis, quibus ruminemus diui-

na

na myſteria, quæ nos ſuſtentant, tam paruus delectat guſtus, velut cinere veſceremur. ſunt tamen illa (& quid negligimus?) manna ſuauiſſimum, quod omnem in ſe complectitur dulcedinem, & ſuauitatem.

CAPVT III.

Tempore Miſſæ, Sacerdos maximè ſit mẽte compoſitus; vt meliùs, & maiori attentione, myſteria altiſsima ſcrutetur.

QVamuis tam ſit propria Sacerdotibus meditatio, & oratio mentalis, vt meritò principaliter hac debeant occupari, vt dictum eſt: præcipuè tamen, cùm diuino ſacrificio incumbunt, tam neceſſaria eſt hæc diſpoſitio, vt ſine illâ fieri non poſſit, quin multi defectus, multa peccata committantur. quippe ipſe conſiderationis defectus, in re tam ſeria & graui, magnus ipſe reatus eſt. vnde nos admonitos voluit Spiritus ſanctus: *Quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ poſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen in poteſtate habes animam tuam.* Prou. 23. Quamuis hîc doceamur, quomodo ad menſas Principum inuitati, eò quòd varia & exquiſita fercula apponantur, modum debeamus præſcribere appetitui, ne fortè damnum aliquod nimiâ voracitate incurramus: certum tamen eſt hunc ſolummodò ſenſum non intendi à Spiritu ſancto, ſed etiam longè altiorem, magiſque ſpiritalem.

Glorioſi Doctores, Auguſtinus & Ambroſius,

de

e mensa altaris intelligunt. vt meritò velit nos
nonere Spiritus ille diuinus, vt, cùm ad mensam
llam regiã sederimus, cum Rege Regum, totius-
ue vniuersi Rectore comesturi, (qui ob infinitã
uam caritatem, cùm simus vermes terræ, vilissimi
omunciones, inuitat nos ad epulum regale, atq;
iuinum) aperiamus oculos mentis, & diligenter
ttentèq; consideremus id quod nobis apponitur,
uia materia inest maxima contemplationis: non
xistimemus esse instar aliorum ciborum villulæ
uius terrestris; sed eum esse cibum, qui mensæ
Dei apponitur, quo ipse, & Angeli sustentantur.
nde valdè necessaria est consideratio & attentio.
c proinde dicitur: *Statue cultrum in gutture tuo.*

In conuiuijs vulgaribus vtimur cultro, vt in
artes cibum diuidamus, & maiori vescamur vr-
banitate, atque modestiâ, ne helluones simus, &
voracitatis arguamur: quòd si culter gutturi ad-
moueretur, periculum esset ne comedendo suffo-
caremur. sed in hac mensa cælesti meritò consuli-
ur: *Statue cultrum in gutture tuo*, vt discernamus gu-
tum & saporẽ huius delicij, à cæteris; nec simus
velut hi, quos arguit Apostolus, qui non diiudi- 1. Cor. 11.
cant Corpus Domini: & isto cultro subijciamus
ensum gustûs, qui eundem saporem ex hoc, quem
x pane & vino communi percipit, & falsa sentire
dicamus, ac nescire quid gustet: nã hic panis nihil
est, pręter verum sacrosanctum Corpus & Sangui-
nem Christi. Porrò vt hanc rerum differentiã po-
amus, tantum nobis commendatur attentio &
consideratio. & sanè magnâ opus est, vt mysteria
tam diuina tractemus, quæ captum mentis longis-
sim è

Sub Missam, exuendæ omnes externæ cogitationes.

ſimè excedunt. Proinde iuſtum eſſet, vt inſtante hora celebrãdi, conaretur Sacerdos omnes exuere cogitationes externas rerum creatarum, imò & ſui ipſius, quoad externa corporis, ac meminiſſet ſola anima ac potentijs illius ad altare eſſe procedendum. Ad hoc ſeipſum hortabatur Bernardus, vt ipſe ſignificat hiſce verbis: *Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite aſcendamus ad montem, vbi Dominus videt, & videtur: curæ, ſollicitudines, anxietates, pœnæ, ſeruitutes, exſpectate me hîc, cum aſino corpore iſto, donec ego cum puero, ratione ſcilicet, & intelligentiâ, vſque illuc properantes, poſtquam adorauerimus, reuertamur ad vos: reuertemur enim, &, heu! quàm citò reuertemur!*

Bern. lib. de amore Dei.

Quàm æquum foret, vt Sacerdotes omnes idipſum faceremus, cùm celebraturi ad Eccleſiam contendimus? ad eius nempè fores & valuas, quæ impedire poſſent, exuendæ ſunt cogitationes, & ſolâ animâ atque intellectu comitante ad aram procedendum eſt. quo fiet, vt Abraham imitemur: qui filium ex Dei mandato oblaturus, alium noluit præſentem eſſe, & ad montis peden ſeruis ſuis præcepit: *Exſpectate hic cum aſino, ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.*

Gen. 22.

Exod. 19.

Cùm in verticem Sinai vellet Deus aſcendere, cum Moſe locuturus, & populo ſancturus legem, præcepit vt ſolus ipſe montem ſubiret, nec in illo eſſet homo alius, nec grex paſceretur. his nõ contentus montem ſpiſſa & obſcurâ nube inuoluit, atque illuc intrauit Moyſes cum Deo locuturus.

Enim-

nimuerò semper intellige, cùm dicimus illum um Deo locutum fuisse, ex veriori sententiâ, nõ isse Deum in persona & essentia, sed Angelum umtaxat, qui eius nomine loquebatur.

In Leuitico item, præceptum erat, vt Sacerdos oblaturus incensum, solus sanctuarium ingrederetur, ne fortè contingeret aliquid, vnde attentio psset turbari. Item vt incensum inijceretur thuibulo, quo fumi nebula excitata admoneret internam animi quietem esse seruandam. At, videamus modò quàm sit magis consentaneum, vt Sacerdotes hanc in nobis solitudinem præparemus, cutiamus quidquid natum est turbare attẽtos, mẽte simus diuinis mysterijs alligati Nec enim acedimus oblaturi, sicut Abraham filium; sed Dei Filium naturalem, verum Deum: nec arietem eius loco, vt ille, offerimus: at ipsum vnigetum Dei Filium in persona. nec locuturi sumus cum Angelo, vt Moyses, sed cum ipso Deo: nec i tantùm, sed & eundem manibus contingemus, ique animos nostros ac pectora transmittemus. Denique non adolebimus in sanctuario fumum icensi, sed verum Christi Corpus ac Sanguinem fferemus; quæ oblatio omnium est suauissima aque acceptissima, nec par vnquam Patri æterno offeretur. Leuit. 16.

Si verò consilium est Christi; *Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio* (occupationibus) *ora Patrem tuum in abscondito*; quantò iustius sit hoc procuremus, cùm ad Missam accedimus oblaturi? Matth. 6.

CA-

CAPVT IV.

Vt quis bonâ cum diſpoſitione celebret, duplici potiſſimùm affectione ducatur timore & amore: ad quas affectiones cæteræ reducuntur, in quibus deuotio conſiſtit.

§. I.

HÆc attentio, & conſideratio eius quod Sacerdos agit, & myſteriorum quæ celebrat fons eſt & origo, ex qua proficiſcuntur cęteræ affectiones bonæ, quæ hominem efficiunt, vt deuotus, aptus, & ritè diſpoſitus ſit ad dignè celebrandum. Quæ affectiones licet multæ ſint & diuerſę; quia multis eſt opus, vt quis dignè celebret & dicere poſſit ſe cum diſpoſitione debitâ accedere: omnes tamen ad duas principales, velut radices cæterarum, reducuntur. Prima eſt, timor & reuerentia Maieſtatis Diuinæ. Secunda, amor & fiducia, miſericordiæ eius & benignitatis. Hæ duæ

Amor & timor, ſẽper iungendi.

iunctę ſemper ſint, & velut ſororiantes, vt vna alteram iuuet, atque ab alterâ iuuetur: earum quippe diſiunctio, ſine periculo eſſe nequit. Nam ſi conſideret tantùm homo magnitudinem, maieſtatem, & iuſtitiam Dei; diſcrimen eſt, ne abijciat ſpem omnem conſequendæ ſalutis. Si verò ſolùm attendat eiuſdem miſericordiam, patientiam & benignitatem; temerarius euadit, audaciamque aſſumit peccandi. Quapropter Dauid

vtram

tramque cõiunxit, & visum est illi, vt Dei canerent misericordiam, huic (a) Superiori tam alto, (b) Bassum, vt vocant, subiungere, qui illum temperaret: quæ est consideratio maiestatis & iustitiæ Diuinæ: ait enim: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Hæ duæ voces suauissimam faciunt harmoniam, & in Dei operibus vbique coniunguntur: *Vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas.*

(a) Vox acuta.
(b) Vox grauis.
Psalm. 100
Psalm. 24

Pijssimus Bernardus, quodam sermone luculenter ostendit, quàm sit necessarium, vt duæ istæ affectiones simul ambulent, se mutuò tueantur: atque hoc asserit, declarando, quî debeamus adorare & osculari pedes Saluatoris. illos autem simul, non per se singulos osculemur. dicit porrò in hunc modum: *Magnus fructus est in primo osculo, quod ad pedes Domini accipitur; tamen curato, vt neutro fraudéris eorum: si enim iam dolore peccati, & iudicij timore compungeris; veritatis & iudicij vestigio labia impreßisti. quòd si timorem diuinæ intuitu bonitatis, & spe consequendæ indulgentiæ temperas; etiam misericordiæ pedem amplecti te noueris: alioquin alterum sine altero osculari non expedit: quia & recordatio illius iudicij in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem. Datum est & mihi miseræ, nonnunquam sedere secus pedes Domini Iesu, & modò hunc, modò illum, totá deuotione amplecti, in quantum sua benignitas dignabatur admittere. At si quando miserationis eius oblitus, stimulante conscientiá, iudicio paulò diutiùs inhærerem; mox metu incredibili, ac miserabili confusione deiectus, & tenebroso circumfusus horrore, hoc solùm palpitans de profundis clamabam; Quis nouit*

Bern. 6. sup. Cant.
Psalm 86.

nit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Quòd si eo relicto, pedem misericordiæ plus amplecti contingeret: tanta è contrario incuria & negligentia dissoluebar, vt confestim & oratio tepidior, & actio pigrior, & risus promptior & sermo incautior, & omnis denique vtriusque hominis status inconstantior appareret. Proinde, magistra instructus experientia, non iudicium solum, aut solam misericordiam, sed misericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine: cantabiles mihi erunt ambæ pariter iustificationes istæ, in loco peregrinationis meæ; quousque misericordia superexaltata iudicio, miseria conticescat, ac sola tibi cantet gloria mea, & non compungar.

Satis eleganter & doctè ostendit Sanctus, quantum referat, vt hæ duæ affectiones timoris & amoris, coniunctæ sint, & quantum immineat periculum, si à se mutuo separentur. Idem nos monet Spiritus sanctus, vbi ait: *Ne dicas; Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.*

Eccli. 5.

Videtur loqui cũ hominibus temerarijs, insolentibus, Dei nixis misericordiâ, qui hanc faciũt scelerũ tegumentum, & velut ansam arripiunt in peccato persistendi, dicentes: *Miseratio Domini magna est*, nec reddet mihi ex merito flagitiorum. Spiritus verò sanctus ait: *Ne dicas* hoc: scilicet, ne negligens, audax & sceleratus euadas. hanc audaciam mitiga iustitiæ condimento, & vtraq; simul misericordia & ira in mente versetur. dicit porrò Psalmista: *Bene placitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.*

§. 1

§. II.

QVAMVIS autem vtraque affectio & consideratio prodesse queat omnibus vtriusque sexus; Sacerdotibus tamen maximè, & singulari quadam ratione: nam in his principaliter consistit deuotio ac dispositio necessaria ad celebrandum. Est, ex vnâ parte altissimâ humilitate, timore & reuerentiâ ducantur, considerando supremam Dei Maiestatem, quæ veraciter continetur Sanctissimo illo Sacramento, eundemque esse Dominum, qui solâ voluntate suâ creauit, conseruat, & regit hanc immensam vniuersitatem, quam rursus in nihilum redigere, si velit, potest: in cuius aspectu ardentia Seraphim alas comprimunt, tremunt, percellũtur horrore diuino, atque maximâ reuerentiâ assistunt: cui stellæ matutinæ laudem nuntiant: cuius rigidâ lance vix mundi habentur spiritus beati. Ex alterâ parte accedant ad eundem auctorem omnium magno amore, grandi fiduciâ, de benignitate eius & misericordiâ: quæ sicut in omnibus, ita in hoc opere vehementer resplendescit. Atque ex hisce affectionibus, duabus velut radicibus innumeræ dimanant affectiones virtutum, quæ ornant animam & componunt, vt ipso Deo dignè pascatur.

Ad celebrandum opus amore & timore.

Pro assequendâ, de qua loquimur, deuotione, & affectibus, qui in ea consistunt, plurimæ orationes virorum illustrium reperiuntur. S. Ambrosius tomo 4. duas ponit, quæ ante Missam dicendæ sunt. Et in libello, qui plenus est sapientiâ & feruore, quem vocant Cõtemptus mundi, parte 4.

deuotissimæ sunt orationes & contemplationes Sanctissimi Sacramenti, & in Memoriali R.P. Ludouici Granatensis, inuenies luculentas, & quæ legentibus magno erunt emolumento, cùm efficaces conceptus & rationes complectantur, quibus deuotio queat excitari. Sed quotquot eiusmodi sunt orationes, quantumuis eleganter compositæ, hoc habent incommodi, quòd, si continuò aliquot diebus recitentur, ex consuetudine illa gustum perdant & attentionem ad sensum verborum, qui maximè prætenditur. Vnde vtilius multo erit nonnullas considerationes mente complecti, iisdemque exerceri per formam meditationis; & quilibet has instituat eâ ratione, quam ex affectionis præscripto, & spiritu docente, optimam iudicârit. Experientia enim ipsa docuit, eas orationes, quas vnusquisque suo modo instituit, longè maioris esse vtilitatis (licet careant eleganti & eruditione) quàm aliorum auctorum quantumuis elegantes & doctæ. Vnde visum mihi est, pro ope Sacerdotum, qui volunt seipsos exercere, & ad dignè, cum attentione, celebrandum incumbunt, nōnullas hîc miscere considerationes, quas multis annis mihi descriptas habui. & confido magnam fore ijs vtilitatem, qui has voluerint frequentare. sicut verè quidam perceperunt, qui conati sunt: non tantùm ad attentè & deuotè celebrandum, sed etiam vt toto die ambules in præsentiâ Saluatoris, eodemque fruaris affectu, quo sacrificium à te oblatum est. quæ res est summi momenti, vt quis spiritali lucro ditescat.

CA

CAPVT V.

Præambulum, ad considerationes, quas ad deuotè celebrandum Sacerdotes exercere possunt.

MVLTÆ sunt considerationes, quæ iuuare possunt, vt quis concipiat profundam de se humilitatem, timorem & reuerentiam Maiestatis diuinæ, quæ Sanctissimo Sacramento verè continetur. Aliæ multæ sunt, quibus spem, fiduciamque concipias misericordiæ eius & benignitatis, qua cum hominibus agit. Quæ sunt affectiones præcipuæ, quæ animam ad dignè celebrandum componunt. Et huic conformiter, sunt innumera nomina & tituli, qui Christo tribuuntur in Scriptura: ipse enim vnus animæ est, quodcunque illa desiderare posset, quocunque opus habere. vnde vocatur Deus & Rex, Magister, Pastor, Sacerdos, Medicus, Amicus, Pater, Sponsus, Lux, Fons, & eiusmodi sexcenta. Quorum alia pertinent ad maiestatem, & timorem, qui ex illa debet concipi: alia ad mansuetudinem, benignitatem & amorem, quo se hominibus communicat. Enimuerò cùm ex prauitate intellectûs humani, omnes hasce cõsiderationes mente cõplecti nequeamus, & multorum coniunctione quasi quædam caligo offundatur; vtile est quamlibet per se spectare in singulari, cuilibet diei suam assignando. quo fit vt tædium excutiatur quod oriri solet ex continua eorundem contemplatione. Atque diuisione istâ, post

post aliquod interuallum temporis, seipsam anima deprehendet plenam variâ consideratione, quæ facilè ad Mysteria dignè celebrandâ, queat excitare, quod hîc prætendimus per quatuordecim considerationes, quæ diebus totidem absequentu, quolibet suam ruminando: nam materia in singulis sufficiens est, non tantùm pro vno, sed & pluribus diebus.


In quibus notandum est, quòd studio tam breues & compendiosæ tradantur sine aliqua dilatatione, cùm tamen dilatari maximè potuissent, quia materiam tantùm sufficimus, quam pro libito vnusquisque extendat, exerceat, contempletur, suo modo & spiritu afflante. Et hoc mihi vtilius videtur. quam ob causam nolui eas mutare, nec augere, sed eadem ponere formâ & stilo, quo illas mihi conscripseram: hac enim ratione multi se profecisse confitentur.

Particulariter Nota, quòd verba Scripturæ, quæ in illis habentur, licet ob rationem iam dictam non exponantur fusiùs, plurimum vtilitatis possint adferre, atque in illis substantia principalis consistat. Quæ si benè expendantur, erit inuenire sufficiens pondus ad hoc quod tractamus. Et credat firmiter, qui lecturus est, si se exerceat aliquando ex instituto, & puncta infrà posita mente fuerit complexus, memoriaque hauserit, facillimum erit opus, nec quod sua ingratitudine tædium adferre possit. Porrò mirum non est, si principio aliquam difficultatem offendat, cùm nulla sit res, quæ non aliquid laboris includat, quamuis multo minoris sit momenti.

No-

Notandum etiam circa hasce considerationes, quòd prima & secunda magis pertineant ad affectionem timoris & reuerentiæ: nam in illis perpenditur maiestas & amplitudo Christi Saluatoris: in prima quidem secundùm diuinitatem, in altera secundùm humanitatem. Atque hæc consideratio maiestatis Christi memoriæ maximè inhæreat, tanquam fundamentum & basis cæterarum: quod est affectio humilitatis & timoris, quæ inde promanat: & quia hanc ob causam maior postea amor & admiratio oritur, considerando, quod tanta Maiestas se humiliet, & submittat ad necessitudinem cum hominibus constituendam, tam familiariter atque amicè. sicut in cæteris titulis consideratur.

Aduertendum est, quoad stilum & vsum particularem harum considerationum, quòd vbique hic ordo seruatur. Primò est vna consideratio siue argumentum, vt experrectus statim recorderis dicendam tibi esse Missam, & quanto spiritu & feruore dicenda: quâ diligentiâ alacriter è lectulo te corripias. hinc tria habes puncta, quibus te ante Missam parare possis. post quæ sequitur singularis affectus, quo te ad celebrandum componas Denique subiecimus gratiarum actionem à Missa faciendam, qua gratiam & fauorem cælestem merearis.



CAPVT VI.

Ponuntur septem considerationes, quæ per dies septimanæ distinguuntur: per has quotidie consideratur Christus, sub titulo seu nomine diuerso.

DIE DOMINICO.

Consideretur vt DEVS.

Ratio sese excitādi.

HAc die, excitatus è somno, oculos mentis in Deo fige, qui summâ benignitate esse tuum conseruat: existima te hodie creatum esse. atque ita agnoscēs te obligatum ad laudes diuinas, surge cū voto, religione te soluendi hoc die, & omnibus diebus vitæ tuæ. dicas porrò: *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.*

Psalm. 62. *Psalm. 33.*

Notandū hoc generatim.

In hac consideratione, sicut in reliquis, quotiescunque ad Missam te compones, imaginaberis te videre cælos apertos maximâ claritate, & Sanctissimam Trinitatem in Throno Maiestatis & gloriæ, omnes Angelos & Sanctos, qui in choris suis concinant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: qui oculos defixos habeant magno amore & reuerentiâ in illo Rege ac Domino, à quo tanta felicitate potiūtur: qui desiderent vehementer & expectent, vt celebres sacratissima mysteria, vbi recipias sub velamine Sacramenti eundem illum, quem ipsi clarissimè ad faciem intuentur.

Ete-

Etenim primò considera id, quod poteris intelligere, quoad perfectiones & attributa diuina. Prima cõsideratio. Summa perfectio num diuinarum.

Esse Illvd Infinitvm, quod sine aliquâ comparatione immensum excedit omne esse, omnemque perfectionem creaturarum. quod nequeant illæ mente aut cogitatione complecti, quod seipsum perfectè cognoscit & comprehendit. consideretur deinde

Eivs Æternitas, sine principio & fine, sine successione, sine mutatione. qui semper fuit, est, & erit idem, eademque ratione: cætera omnia mutantur, *& sicut vestimentum veterascunt: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Psalm. 101

Eivs Magnitvdo, *Cælum & terram ego impleo. Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum.* Isai. 66. Act. 7. Atq; in omnibus creaturis ita est præsens, sicut illæ in seipsis. In cuius comparationem tota hæc machina vniuersitatis, *quasi stilla situlæ, & tanquam momentum stateræ: & omnia quasi non sint, sic sunt coram eo, & tanquam nihilum & inane reputata sunt ei.* Isai. 40.

Eivs Maiestas, *Ad cuius aspectum columnæ cæli contremiscunt, & pauent: & in conspectu eius cælum & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & omnia quæ in ea sunt commouentur: & cùm conspexerit ad ea, terrore concutientur. Et millia millium ministrant ei, & decies millies centena millium assistunt ei; & non est numerus militum eius.* Iob 26. Eccles. 16. Dan. 7. Iob 25. Et hi famulantium greges, non sunt minùs quàm Angeli ac Seraphini: quorum infimus pluris æstimandus est, quàm tota machina sublunaris.

Eivs Fortitvdo. *Qui respicit terram, & facit eam tremere. Qui appendit tribus digitis molem terræ.* Psal. 103. Isai. 40.

Isai. 40. EIVS SAPIENTIA. *Qui numerat multitudinem*
Psalm 46. *stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Cognoscit perfectissimè, quod est, quod fuit, quod erit, & quod
Heb. 4. esse potest. *Et omnia sunt nuda & aperta oculis eius, etiam occultissima cordium.*

EIVS PROVIDENTIA, qui sine defatigatione conseruat, regit, fouet omnia: tam supremum Angelum, quàm vermem vilissimũ, & quemlibet ita in particulari tanquam de eo solo curam haberet. quid eueniet singulis, ipse præsciuit & prædestinauit, vsque ad motũ cuiuslibet folij in arbore præsciuit, caderetnè planum in terram, an obliquum.

Psal. 134. EIVS POTENTIA: *Omnia quæcunque voluit, fecit in*
Psalm. 32. *cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Ad creationem totius vniuersi, solùm fuit opus signũ vnum voluntatis, vt existeret cum omni copia & varietate. quin vnico illo actu produxit omnia, prout voluit, cum omni proprietate & particularitate. Enimuerò sicut facilè fuit producere, ita facilè est ei omnia creata in nihilum redigere, inque horum locum mille mundos præstantiores, qui nunc non sunt, ponere in rerum natura: nec mensuram habet eius potentia, nec voluntas, cui nemo potest resistere.

EIVS BEATITVDO: quam in se habet, nec dependet à creatura, cuius nec minui gloria, nec augeri potest, bono vel malo totius creaturæ. qui nemine tenetur, à quo cætera omnia dependent.

EIVS PVLCRITVDO: quem intueri, Angelos
1. Petr. 1. hominesque beatos efficit: *In quem desiderant Angeli prospicere.* cuius visionis tædio nunquam afficiũtur,

tur. in qua eorum consistit felicitas: *Cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur.* & omnis pulchritudo ac perfectio creaturarum simul iuncta, tantùm est pars exigua huius infiniti decoris.

Eivs Divitiæ. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Psal. 111.
Domini est terra & plenitudo eius. Tui sunt cæli, & tua Psal. 23.
est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti, Psal. 89.
aquilonem & mare tu creasti. qui plura creare potest, & omnia possidebit.

Eivs Sanctitas & Pvritas: qui non recipiet cælo aliquem, vel minimâ infectum labe: nec in amico suo familiarissimo dissimulabit minimam culpam venialem, sed hîc vel in futuro pœnam exiget condignam.

Eivs Patientia: qui tantam hominum nequissimorum multitudinẽ suffert, idololatras, hæreticos, blasphemos, periuros, ganeones, &c. ipsisque vitam, quam volunt, permittit, tanquam eos non intueretur, nec potestatem haberet puniendi. quibus tamen non claudit veniæ portam, illisque ipse alimentum præbet, naturalia bona largitur, multasque supranaturales inspirationes, opemque singularem indulget.

Eivs Ivstitia rigorosissima. qui consensit, maximum inferretur supplicium Filio, *in quo sibi benè complacuit*: ideò solùm, quia peccatis se alienis onerauit. qui vno tãtùm scelere prouocatus, principem Angelorũ cum asseclis cælo deiecit, omnẽque spem abstulit recuperãdæ salutis. qui propter vnum mortale delictum statuit, vt anima in æternum atrocissimis inferni cruciatibus affligatur.

Eivs Bonitas: *qui Solem suum oriri facit super* Matth. 5.
bonos

bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. qui nihil æquè desiderat, quam seipsum communicare omnibus, omnibus benè facere, sine alicuius detrimento, tantùm quia est qui est.

Psal.144. At MISERICORDIA EIVS *super omnia opera eius* qui, non obstante, quòd maximè detestetur mortale peccatum, quo grauissima iniuria sibi irrogatur; vnico actu contritionis excitato, homini

Ezech.18. vel infinita scelera remittit. *Et omnium iniquitatum eius non recordabor ampliùs.* Semperque peccatorem ad pœnitentiam inuitat, benefaciendo his qui nequiter operantur.

Denique omnes istæ perfectiones, aliæque innumeræ, singulæ per se infinitæ sunt, & excedunt immensum omne id, quod intelligi vel excogitari potest. Atque omnis infinitas perfectionum ipsius, in ipso est vna, sola, infinita & simplicissima perfectio, & vnus purissimus, infinitus & simplicissimus actus, qui est ipsum esse Diuinum. Talis autem est ipse Deus, vt ardentissimi Seraphini faciem alis contegant, & defixis mentibus contemplentur mirabilia Deitatis: quippe nesciunt vel minimum, quod in ipso est, enarrare. vnde solùm proclamant. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

Hasce perfectiones iam positas, vtile erit nonnũquam ex instituto diligẽter considerare, vt posteà de illis breuiter & facilè cõceptus formari possit.

Vbi ergo consideraueris omnem istam magnitudinem & excellentiã; mirare vehementer eam contineri vnâ hostiâ, in qua tuis manibus se velit

Psalm.8. Deus sistere. *Domine, quid est homo quòd memor es eius,*

2.Paral.6. *aut filius hominis quoniam visitas eum? Ergonè credibile est,*

est, vt habitet Deus cum hominibus super terram, Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quantò magis domus hæc? *Psalm. 10.* *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius, oculi eius in pauperem respiciunt*, &c.

Secundò considera, quantâ voluerit Deus veneratione tractaretur arca Testamenti, quæ, vt dictum est, figura tantùm erat SS. Sacramenti: quantâ voluerit esse sanctimoniâ ministros suos: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* necesse erat, nullâ essent labe infecti, non torti, non claudi, nec gibbosi, &c. vt suprà Tractatu secundo. *Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offerat incensum, nec panes Deo suo. Sancti erunt, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Secunda cōsideratio. *Tract. 4. cap. 4. §5.* *Isai. 52.* *Tract. 2. cap. 4.*

Hîc expende, quantâ maiestate descenderit Deus in montem, vt legem ferret. quantam verò in populo voluerit esse præparationem: *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus super montem Sinai: constituesque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Iamque aduenerat dies tertius, & manè inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat: totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, eratque omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur, dixitque Dominus ad Moysen: Descende & contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos, ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo: Sacerdotes quoque qui accedunt ad* *Exod. 19.*

Domi-

Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos, &c. Totum id caput valdè notabile est, vt intelligatur, quanta voluerit Deus reuerentiâ ab hominibus tractari.

Tertia considerатio.

Tertiò considera, quantam habuerit Deus curam, vt gens sua electa viueret in omni munditiâ, honestate, decoro, etiam quoad externa. cuius rationem ipse dedit: *Quoniam ego in medio vestri sum Dominus Deus vester.* quantam adhibuerit diligentiam, vt exterminarentur leprosi, & vtrum tales essent, examinarentur: nec tantùm homines, sed & domus & vestimenta: &, qui paterentur sanguinis fluxum, aut alio humore immundo infecti essent. Vna nocturna somnij illusio, virum istâ die à populo separabat.

Ex his colligi potest, quantus sit Deus amator puritatis: vnde & intellige, quantâ verecundiâ te deceat comparere ante oculos diuinæ Maiestatis: dic etenim cum Propheta: *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito: & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* (*Isai. 6.*)

Affectus ante Missam.

Cùm ad celebrandum te compones, expende & rumina, quòd operi illi diuino adstabunt millia millium Angelorum, naturæ cælestes, spiritus in gratia creati, & confirmati in gloria: qui assistent cum tremore, agnoscentes suam vilitatem præ Maiestate diuinâ. cum Iob effare: *Nunquid homo Dei comparatione iustificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem.* (*Iob 4.*) Et iterum: *Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non* (*Iob 15.*)

sunt

sunt mundi in conspectu eius: quantò magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

Quando adorabis, aut recipies Sanctissimum Sacramentum, poteris ex his nonnulla dicere: *Deus* *Psal. 117.*
meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi quoniam exaudisti me. Confitebor tibi *Psalm. 85.*
Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.
Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui *Psal. 144.* *Psalm. 88*
benedicant tibi. Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti, iustitia & iudicium
præparatio sedis tuæ. Tuus est dies, & tua est nox, tu *Psalm. 73.*
fabricatus es Auroram & Solem: tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem & ver, tu plasmasti ea. Tu es Deus solus, & non est alius Deus præter te. Tu solus Sanctus, tu
solus Dominus, tu solus Altissimus. Tu es splendor Patris, *Heb. 1.*
& figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis tuæ. Verbum supernum prodiens, à Patre olim exiens, qui natus orbi subvenis, cursu declivi temporis. Illumina nunc pectora, tuoq́; amore concrepa.

Quando celebraueris, considera paupertatem *Affectus*
tuam & inopiam, qua debitas Deo gratias agas. *& petiti-*
offer illi omnia laudum præconia, quæ Spiritus *ones à*
beati iam inde à creatione suâ obtulerunt: quæ- *Missa.*
cunque & Sancti, postquam cælesti gloriâ potiti sunt. Denique, quæ omnes creaturæ à principio dederunt, modò dant, & vsque in fines sæculorum dabunt. vt infrà latiùs. Desidera à te posse o- *In hoc*
mnes istas laudes cantari: & licet fecisses, fatere *Tract. c. 2.*
tamẽ tuam infirmitatem atque insufficientiã. læ- *§. 2.*
tare quòd Deum creaturæ collaudẽt, & tuos sup-

pleant defectus. Supplica illi, vt lumine suo mentem illustret, quo agnoscas aliquid perfectionum maximarum, quibus, prout fieri poterit, te exornet, similemque te sibi faciat, & suæ conformem voluntati. det tibi profundissimam reuerentiã & timorem in conspectu suo: & cùm animam tuam elegerit, quam inhabitaret, cùm datum sibi dicat *cælum cæli Domino*; eandem tuam animam cælum efficiat, conditiones in eâ cæli ponendo; quæ sunt magnitudo, claritas, firmitas, pulcritudo, incorruptibilitas, alacritas, puritas, altitudo, &c.

Hæc consideratio, memoriæ infigenda est, quia fundamentum est cæterarum.

DIE LVNÆ.

Consideretur vt REX.

HOc die, è somno excitatus, existima te compellari à sponsa: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis, & in die lætitiæ cordis eius.* Surge cum hoc desiderio videndi Regem pacificum, qui de seipso testatur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* huic toto die esto intentus.

Cant. 3.

Psalm. 2.

Prima cõsideratio.

Considera igitur primò maiestatem, qua fulget sacratissima Humanitas Christi Saluatoris in cælo, sedens ad dexteram Patris, super omnes creaturas, in quas imperio dominatur vniuersali; reuerentiam deinde & amorem, quâ adorant eum omnes Sancti, cælestesque spiritus, dando & resonando laudes perennes, Regem illum & Dominum suum salutando: *Dignus est agnus, qui occisus*

Apocal. 5.

st. accipere virtutem & diuinitatem, & honorem & gloriam. Hunc tu in tantâ veneratus maiestate, supplex & cernuus collauda: *Tu es ipse Rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Iacob. Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos.* *Apocal. 5.* *Psalm. 43.* *Psal. 94.*

Secundò considera, timorem & reuerentiam, qua coram Rege colonus aliquis afficitur, quomodo turbetur, & obliuiscatur eorum, quæ vt loqueretur, memoriæ tradiderat. Attēde, si cras cōuenire Regem deberes, aut eum hospitio suscipere, quātâ diligētia incūberes, vt meliori veste induerêris, mundus nitidusq; appareres? quas non verborum formulas excogitares, præsertim ab eo grāde aliquod beneficium petiturus? porrò cùm iam loquereris, quàm non tibi esses attentus & præsens, nec aliorum quorūcunque meminisses? Secunda considetio.

Tertiò considera, quomodo ille Rex Regum & Dominus Dominantium, vniuersi auctor & rector, tui te amore ita subiecerit, vt inuidiæ traditus Iudæorum, pro te coronatus sit spinis, arundineo sceptro percussus, cōtumelijs obrutus, sputo fœdatus, Rex denique falsus ignominiosè salutatus. In gratiarum actionem illi prosterne te summâ humilitate, venerare illum, & adora verum Regem sæculorum: impetra, si potes, det tibi gratiam adorandi in spiritu & veritate. qualem sibi latriam postulat exhiberi. Tertia consideratio.

Eodem te spiritu ad celebrandum compones. existima animam tuam esse castrum huius summi Regis, quod tu proditoris instar hostibus tradidisti. Nunc verò pœnitentia ductus, veniam petas læsæ maiestatis, & eidem à te promittas fidele

posthac obsequium esse præstandum, si modò animam ab inimicorum liberet seruitute. Considera, dehinc illum adesse magnâ Angelorum turbâ comitante, non ita inflammatum, nec præcipitem ad supplicia irroganda, sed volentem in mente tuâ, qua pulsus est, sedem figere, eandemque nouis, atque maximis beneficijs cumulare.
Ioan. 3. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et idem alibi: *Ego veni vt vitam habeant, & abundantius*
Ioan. 10. *habeant.* Recipe illum magno amore, renerentiâ, imò verecundiâ, quòd toties ipsum excluseris à te: aperi portas animæ tuæ, committe illi claues tuæ libertatis, & obsequium illi fidum pollicêre dicendo: *Rex Christe clementissime, tu corda nostra posside. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantùm in te recordemur nominis tui.* Postula, vt
Isai. 26. ingrediatur tanquam Rex potentissimus pulsis hostibus fugatisque: *Exurge Domine in ira tua, &*
Psal. 67. *exaltare in finibus inimicorum meorum. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius, sicut deficit fumus, deficiant, &c. Quando facies de persequentibus me iudicium?*

Affectus & petitiones à Missa. Postquam celebraueris, existima illum in animam tuam intrâsse, & dominium in eam atque ius sibi vindicasse: in medio autẽ cordis tui sedem illi statuas, tanquam Regi solium. veniam pete proditionis tuæ. Supplica, in anima tua conuentum agat, illam emundet & castiget à labe, legesque constituat ex beneplacito voluntatis. *Statue legem tuam in medio cordis mei,* quæ fixa ibidem stabi-

lisqu

iisque consistat, è cuius præscripto omnes affectiones & desideria componam: precare, vt arci tuæ vigiles præfigat, qui eam sic tueantur & muniant, vt nunquam possit in hostium transire potestatem.

Hoc die sæpiùs obsecrandum est, *Adueniat regnum tuum*: vt floreat Ecclesiæ militantis imperium, latèque dominetur toto mundo, fide & caritate: augeatur verò regnum triumphantis, implendo sedilia apostatarum Angelorum: regnet solus per gratiam in anima tua Deus, *vt non regnet peccatum in mortali tuo corpore. Vt non dominetur mei omnis iniustitia.* Et memineris, ait Apostolus, quòd regnum ipsius *non est esca & potus, sed iustitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Memineris etiam esse regnum eorum, qui pauperes sunt spiritu, & persecutionibus exercentur. *Regnum meum non est de hoc mundo.* ne scilicet affectus tui, cogitationes & vota, in his terrenis versentur, sed anheles ad cælestia, ad æterna, *& conuersatio tua in cælũ sit.* & hac affectione dices: *Adueniat regnum tuum*, scilicet *cæleste regnum.* Etenim vt à Deo confidenter petas beneficiũ, considera, quod Propheta affirmat: *Præparabitur in misericordia solium eius.* quòd Filium suum constituit domum misericordiæ: cuius regni diuitiæ in hoc potissimùm sitæ sunt, quòd *diues sit in misericordia. Expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideò exaltabitur parcens vobis.* cùm nempè alicuius piè miseretur, regnum eius & solium extollitur, quasi in hoc omnis honor, omnis opulentia foret constituta.

Hac cõtemplatione spes gloriæ cælestis reuiuiscat, vbi nimirũ sis certus te coheredem & Regem

Rom 6. *Psal. 118.* *Rom. 14.* *Ioan. 18.* *Isai. 16.* *Ephes. 2.* *Isai. 30.*

Rom. 8. cum Christo fore: *Hæredes quidam Dei, cohæredes autem Christi.* Concipe generosas cogitationes; quæ mundi sunt aspernare: nec te obstringe rebus vilissimis, sed memento, quòd *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* & aduerte ad hoc Apostoli:
Rom 8. *Si tamen compatimur, vt conglorificemur: quia si sustinebimus, & conregnabimus.*

Denique multum verere, ne & tu eo supplicii puniaris, quo afflicti fuerunt rebelles illi & contumaces, qui vociferabantur:
Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* In quorum internecionem & ruinam exercitum ferocissimum animauit. Id operere ne dixeris, sed Regem & Dominum fatere, morem illi geras, & sedem in mente tuâ præpara, vt in ea efficiat, quod sibi videbitur conuenire: si enim nunc præfracto & rebelli animo fueris, certus esto, fore vt terribili in te iudicio decernatur.

DIE MARTIS.

Consideretur vt HOSPES ANIMÆ.

HOc die excitatus tibi à Christo dici opinare:
Luc. 19. *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Cōsidera, quod offerat sese, vt tuo hospitio excipiatur. erigere magna diligentiâ, memor animæ tuæ domicilium debere à te mundari, & hoc tui esse muneris: nam ipse ornaméta secum conferet, & ditissimā suppellectilem explicabit.

Prima cō- Primò igitur considera amorem immensum,
sideratio. quo erga nos fertur, quippe cùm inhabitet cælum
Dan 7 empyreum, *Vbi millia millium ministrant ei, & decies*
Prou. 8 *millies centena millia assistunt ei*; suas tamen dicit *deli-*
cia

tias esse cum filijs hominum: ipsemet autem rogat: *Fili, præbe mihi cor tuum.* & in Apocalypsi: *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Considera, quòd hic Dominus semper sit cum Patre & Spiritu sancto: & hos tres nunquam posse ab inuicem separari: vnde huic Trinitati sedem esse præparandā: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quàm diues erit anima tua tanto hospite!

Prou. 23. *Apoc. 3.* *Ioan. 14.*

Memineris, quanta cura satagerit Abraham vt tres Angelos exciperet: quanta diligentiâ ipse & vxor, omnisque familia inseruierit: alij vt cibos appararent, mensam alij, pedes alij abluerent. vnde & tu excitare ad obsequium tanti hospitis, vt dignè eidem possis ministrare. Quemadmodum verò Abraham *tres vidit & vnum adorauit*; ita in diuino Sacramento mysterium SS. Trinitatis venerare. dic sicut ille: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum.*

Gen. 18.

Secundo considera, quantus hic Dominus sit amator munditiæ & puritatis. Nam vt homo fieret, quamuis matrem humilem & pauperem elegerit, eam tamē esse voluit virginem castissimam: quam inde à conceptione ab omni peccati labe conseruauit. Imò cùm mortem iam obijsset, sindonem nouam sibi comparari voluit, & hoc sepulchro tumulari, cui nullum vnquam corpus fuisset illatum. Quod verò magis ad rem spectat, licet semper humilitatem atq; paupertatem fuisset sectatus, voluit tamen, vt pro institutione Sanctissi-

Secunda consideratio.

Luc. 28. ctissimi Sacramenti esset *cœnaculum grande stratum*. Vt significaret se velle excipi in animis, qui capaces sunt & ampli, & virtutum maximarum splendore adornantur.

Tertia cōsideratio. Tertiò considera, vt Christus, quocunqu gressum direxit, quamcunque mundi partem e ingressus, hanc maximis semper beneficijs cumularit. Intrauit in vterum Virginis, & illam sexcentis gratiæ muneribus ditauit. Intrauit domum Zachariæ, adhuc visceribus matris inclusus, & a originis peccato Baptistam liberauit, matrem eiu impleuit Spiritu sancto, & Prophetiæ dono cumulauit. In mundum venit, & hunc luce doctrina, miraculis, salute, cæterisque bonis repleuit. I

Luc. 19. domum Zachæi, & dixit: *Hodie domui huic salu Deo facta est.* Mortuus infernum petijt, & ex h fecit paradisum, cùm sanctos Patres sua visione beatissimâ recreauit. Quin & arca veteris Testamenti figura huius quod excepta fuisset ab Ob-

2. Reg. 6. dedom: *Benedixit Dominus Obededom, & domui eiu* Hospitas Eliæ & Elisæi, quantis beneficijs affecit Porrò si Principes terræ eos magno honore dignantur & cumulant, à quibus excepti sunt quamuis vel vnâ tantùm nocte; tuum non est dubitare, si exceptus à te fuerit, quin mentem tuam cælestibus donis exornabit.

Affectus ante Missam. Celebraturus autem hoc affectu accede. Existima tibi obuiantem Christum, comitante Angelorum exercitu, & dicentem: Vis me excipere hospitio? tu verò subijcies: Id quidem lubenter, cùm i hoc mea consistat felicitas. sed domus mea pauper est & humilis, nec instructa ornatu debito

et tantus hospes excipiatur. Si tamen domum hanc tibi delegisti, ecce portã: tantùm supplico, vt tua ex supellectile mihi transmittas, quò illam tibi aptè præparare possim: *Quia domum tuam decet sanctitudo Domine.* Psalm. 27. ergo immundam vitijs emunda, & primò tua sanctitate purgatam digneris expolire: *Non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo.* Matth. 8. *Quia potens es subitò honestare pauperem.* Eccles. 11.

Affectus & petitiones à Missa.

Cùm consecraueris aut sumpseris, existima illum iam adesse: quem salutabis cernuo corde, magnaque humilitate, & precaberis, vt benedictionem tibi impertiatur. Inde grates age, quòd casam tam humilem abiectamque sit ingressus. veniam pete obsequij malè præstiti, & defectuum quos fortè cõmisisti. roga, hos suppleat, nec hac vice solùm, sed quotidie & semper, velut in domum suam, diuertat. Imitare hospitam Elisæi: quæ, eò quòd Propheta *frequenter diuertebat ad eam, fecit ei cœnaculum paruum, & posuit in eo lectum & mensam, & sellam, & candelabrum.* 4. Reg. 4. Si hac ratione & tu Deum exceperis, dicet tibi, quod ad illam Elisæus: *Ecce sedulò ministrásti nobis, quid vis vt faciam tibi, Nunquid habes negotium, & vis vt loquar Regi?*

Memineris, quomodo exceptus sit à Martha & Maria: quarum vna *satagebat circa frequens ministerium*: altera *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Luc. 10. vtrumque suo tempore fiat, necesse est. Cùm impediêris in operibus exterioribus obedientiæ, caritatis, misericordiæ erga proximũ, existima te occupari *circa frequens ministeriũ.* Vbi verò orationi, alijsuè exercitijs spiritalibus incum-

incumbes, existima quòd sis altera *Maria, sedens secus pedes Domini, audiens verbum illius.* Obsecra, cùm animam tuam elegerit, in qua sedem figat & requiescat; liberet eam omni alio hospite, & vnus
Psalm. 45. ipse ibidem dominetur. *Conserua domum istam immaculatam in sempiternum, Domine. Sanctifica tabernaculum tuum, Altissime.* Animam tuam ipse sic honora. Recordare quantâ in veneratione habuerit domum patris sui Rex Salomon, qui noluit vt in
2. Paral. 8. eam ingrederetur filia Pharaonis: *Dixit enim, non habitabit vxor mea in domo Dauid Regis Israël, eò quòd domus hæc sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.*

Deplora vehementer præteritos annos, quibus animam tuam in sedem dæmoni præparasti,
Ier. 7. & domum Dei speluncam effecisti latronum: quod per Prophetam ipse improperat: *Spelunca latronum facta est domus ista: ego vidi, dicit Dominus.*
Ier. 11. Item: *Quid est quòd delectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Humiliter veniam pete, vt ex hospitio à te nunc exhibito, obliuiscatur scelerũ priorum. *Fac cum seruo tuo secundùm misericordiam tuam.* Insuper cùm Rex sit potentissimus, soluat te seruitute peccati, & regiâ nobilitate donet. det tibi cogitationes nobiles, heroica desideria; te adscribat numero amicorum, à cubiculis te eligat, vt semper cum illo verseris. & huiusmodi, quæ ab hospite tam nobili & diuite peti possunt, & impetrari. potissimùm, cùm ipsa hospita pauperrima sit, & omni ope destituta.

DIE

Die Mercvrii.

Consideretur vt Magister.

HOc die excitatus, existima te percipere vocem Magistri diuini vocantis te ad scholam doctrinæ cælestis. *Venite filij, audite me, timorem Domini, docebo vos.* Et iterum: *Audi fili mi disciplinam Patris tui.* Hoc studio de lectulo surge, vt tanti Magistri lectione erudiaris. dices porrò: *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas. Manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.*

Psalm. 33. Prou. 1. Isai. 2. Isai. 50.

Primò considera, immensam Dei caritatem, qua erga nos ductus, non tantùm misit nobis Patriarchas & Prophetas, qui cælitùs informati nos instruerent; verùm etiam Filium suum ad nos destinauit sapientissimum Magistrum. *Multifariam multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouißimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.* Per Prophetam vero sic: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient vocem post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea.* Examina τὸ *post tergum*, id est, quamuis fugias, insequitur tamen, admonendo te, ne viam intres perditionis. Et alibi: *Filiæ Sion exultate in Domino Deo vestro, qui dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Quin ipsum ad magisterium promouit Pater cælestis, dũ diceret in Transfiguratione: *Hic Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Et ipse Chri-

Prima cõsideratio. Hebr. 1. Isai. 30. Ioel. 2. Matth. 17.

Matth. 23. stus hoc se titulo ornauit: *Ne vocemini magistri, quia*
Ioan. 13. *Magister vester vnus est Christus.* & iterum: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis: sum etenim.*

Secunda consideratio.

Lib. 2. de Virg.

Secundò considera, quòd, sicut ait S. Ambrosius: *Primus discendi ardor nobilitas est Magister.* Talis est nobilitas huius diuini Magistri, qui Verbũ est Patris æternum: *In quo reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Ipse est prima veritas, quæ nec decipere, nec decipi potest. *Ego,* inquit, *in hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati,* & doceam sapientiam quandam cælestem, *quæ abscondita est, quam nemo Principum huius sæculi cognouit, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.*

Coloss. 2. *Ioan. 18.* *1. Cor. 2.*

Tertia cõsideratio. *Actor. 1.*

Tertiò considera, quòd, cùm tam nobilis esset, tamque excellens Magister, tam humanus fuerit, tamque benignus & affabilis, vt *cœperit facere & docere.* Primò ipse, quod docturus erat, in se opere exprimebat. tam mitis, vt æquo animo sufferret Discipulorum imperitiam ac stupiditatẽ, quibus pro capacitate se accõmodabat, tantoq; instruebat amore, & tãta humilitate inseruiebat vsq; ad pedũ ablutionẽ: & (vt ait S. Clemẽs) de nocte surgebat, vt dormientes cooperiret. Felices Discipuli tali Magistro! *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine.*

Psalm. 93.

Affectus ante Missam.

Quando autem celebraturus accedes, existima te ire vt eius sis discipulus, & precare, vt ab illo talis habearis, & conditiones tibi ad hoc necessarias adijciat. quoad in te fuerit, conare illas obtinere. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem,* &c. *adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: & qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Recordare

Luc. 14.

eius,

ius, quod de illo testantur Euangelistæ: *Erat docens sicut potestatem habens.* roga, vt te tam potenter erudiat, non solùm intellectum illuminando, sed etiam ad opus mouendo voluntatem, vt te practicam doceat scientiam, quæ opere demonstratur. Matth. 7.

Post Missam considera, te velut Magdalena *sedens secus pedes Domini, audiens verbum illius.* Ibidem, persiste magnâ attentione, humiliter, nulli alteri intentus: *Quia qui appropinquant pedibus Dei, accipient de doctrina illius* dic illi: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Audiam quid loquatur in me Dominus meus.* Affectus & petitiones post Missam. Deut. 33. 1. Reg 3. Psal. 48.

Potissimùm & sæpiùs Deum rogabis enixè: *Doce me facere voluntatem tuam* audi Psalmistam toties petentem: *Doce me iustificationes tuas. Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me.* Pete, in duobus punctis principalibus te instruat, scilicet: *Vt nouerim te, & nouerim me.* aliquid nempe de multitudine mirabilium, quæ in ipso sunt, cognoscas: ex cognitâ ipsius humanitate, operibusque diuinis, incipias comprehendere tantillum perfectionum diuinarum: & incipias cognoscere aliquid eorum, quæ in te multa sunt, tuam vilitatem, peccata, imperfectiones, &c. Psal. 142. Psal. 118.

Recordare, quòd principalis doctrina huius diuini Magistri, vitâ eiusdem & exemplis continetur: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quòd tibi monstratum est.* Memineris etiam eius lectionis, quam in monte habuit, qua omnem doctrinæ suæ substantiam summatim recenset: *Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, beati qui persecutionem patiuntur, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici,* &c. Exod. 28. Matth. 5.

Con-

Considera duas principales lectiones, quas habuit ad Primam & Vesperas. Ad Primam quidem prælegit in cathedra præsepis, docuitque paupertatem, humilitatem, patientiam, mortificationem, labores, caritatem, &c. Ad Vesperas verò prælegit in cathedra Crucis, vbi nos docuit Primò, quomodo super omnia Deus diligendus sit, cùm ipse pro nobis vitam & sanguinem propinârit. Secundò veram obedientiam: *Factus obediens vsque ad mortem.* Tertiò paupertatem, & contemptum mundi, quibus in summo gradu ipse excelluit. Quartò dilectionem inimicorum: *Pater ignosce illis.* Quintò perseuerantiam in pœnitentia & mortificatione, nec esse audiendos eiusmodi qui in Christo inclamabant: *Descendat de cruce.* Innumeras denique virtutes, quarum hîc copiosa doctrina traditur.

Quid docuerit Christus in cruce.

Vltimò considera cum timore, quòd hic Dominus velit Discipulos suos esse dociles, atque in discendo veloces. Si enim ex sua institutione nolint proficere, deserit illos vt Magister, & venit vt Iudex. *Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te. Apprehendite disciplinã, ne quando irascatur Dominus.*

Ierem. 6. Psalm. 2.

DIE IOVIS.

Consideretur vt PASTOR.

HOc die excitatus, considera te velut ouẽ perditam, separatã à grege: & quòd ouis sit animal tam rude & indoctũ, vt semel perdita, nesciat inuenire pastorem, nec gregi se coniungere, adeò vt necesse sit ab ipso eam pastore quæri & reduci.

Quam

Quam in te inhabilitatem considerans, clama ad Dominum: *Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum.* *Psal. 118.* Cogita tamen te esse ouem rationalem, quæ cùm libero arbitrio donata sit, potest & debet aliquid ipsa conari, vt Pastorem inueniat. Hac diligentiâ surge ad quærendum illum, qui vocem tuam tanquam balantem percipiens, veniet, vt ad se perditum reducat.

Primò considera caritatem immensam, qua se in missione Vnigeniti erga nos ferri ostendit Pater æternus, vt ille Pastor noster esset, vt ait Propheta: *Saluabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinam, & suscitabo super eas Pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid, ipse pascet eas, & ipse erit eis in Pastorem.* Et alibi: *Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.* **Prima cõsideratio.** *Ezech. 34.*

Secundò, considera etiam amorem, quo erga nos ductus est Filius Dei, subiens hoc munus pastorale, tanto amore & diligentiâ, tam prouidè & sapienter, vt Propheta declarat: *Ecce ego requiram oues meas, & visitabo eas. sicut visitat pastor gregem suum, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum: in pascuis vberrimis pascam eas. & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus. Ego pascam oues meas & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram; & quod abiectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo; & quod pingue & forte, custodiam, & pascam illas in iudicio.* Memineris constanter horum verborum, vt in te hoc munus tam multiplex implere dignetur. Considerans **Secunda consideratio.** *Ezech. 34.*

derans porrò, quòd tam insigni Pastore gaudeas in mente reuolue per totum diem verba Psalmi-
Psalm 22. stæ: *Dominus regit me*, aut, vt habet altera litera: *Dominus pascit me*, vel *pastor meus est*, *& nihil mihi deerit*.

Tertia cõsideratio. Tertio considera, quòd voluerit Deus, vt opitularetur hominibus, fungi hoc munere Pastoris & tantos vltrò labores assumere. Nunquid meritò, & maiori ratione dicet cum Iacob:
Gen. 21. *Diu noctuq; æstu vrebar & gelu: fugiebatq; somnus ab oculis meis, sicq; triginta annis seruiui tibi: & ego damnum omne reddebam*. proprium nempe est Pastoris, resarcire omne damnum gregi illatum. Attende quanto amore quantaq; pietate de ouibus suis loquatur:
Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ & animam meam pono pro ouibus meis: & alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere*. Et, *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*. Quod signum est, eas esse in protectione ipsius, qui maximo erga illas amore ducatur. & quod excedit omnem exaggerationem, seipsum ouibus suis dedit in cibum: adeò vt carnem suam comedant, & sanguinem bibant.

Toto hoc die reuoluas animo parabolam de
Luc. 15. oue perdita. Cõsidera, quantũ amorem ostenderit bonus ille Pastor, qui reliquerit nonaginta nouẽ, vt eam, quæ de sua voluntate subtraxerat, & in viam declinârat perditionis, recuperaret. expende labores, quos exegit in quærẽdo per mõtes, valles, deserta, noctu & interdiu, per vias inuias, quas vt te inueniret, perlustrauit. quomodo inuentam,

quæ

ſæ perierat, ſuſtulerit in humeros, & maximè ſit
tatus, ac indixerit ſolemnitatē. Quod ſi ſemel
ntùm contigiſſet, non ita mirum videretur: ſed
ìm ipſe ſemel inuentus & reductus, audes iterū
erumq; & ſæpiùs fugere, & teipſum perdere, ille
ptimus Paſtor toties te quærit, inuentumque re-
ucit ad caulas. vnde procul dubiò maior debet
dmiratio cauſari.

Quapropter perge ad celebrandū magnis deſi-
erijs atque feruentibus, vt ſemper in grege illo
enſearis, ſub præſidio nobiliſſimi Paſtoris: liga-
uſque vinculis amoris, quò te duxerit, ſequare:
b his recedas paſcuis, quæ illi diſplicent, ipſo
olo contentus ora, vt carne ſuâ te nutriat, ſuis
erbis paſcat, atque exemplis. Affectus ante Miſſam.

Poſt Miſſā exiſtima te ab hoc Paſtore reductū
ſſe, qui ex tuâ inuentione vehementer lætetur. Poſt Miſſam.
Gratias illi immēſas age pro amore tibi exhibito,
quòd toties te quæſierit, & è rabidorum dentibus
eonum præſeruarit, qui te velut prædā rapiebāt,
t deuorarēt. ille verò cùm tu fugeres te quęſiuit,
& velut violentè ex inimicorū abſtulit poteſtate,
& denuò cū grege cõiunxit. Hinc veniam exora,
quòd toties fugientē retrahere ſit conatus. obſe-
cra tibi curet ſcabiem tuam, & paſtorale circa te
munus obeat: te regat, gubernet, paſcat, & tuo-
rum fructu operū benè afficiatur. puniat te quan-
tum placuerit, & quantum videbitur conuenire,
vt te à fuga prohibeat, ſubque eius ſemper tutela
& patrocinio deliteſcas. ſignet te ſignaculo ouiū
ſuarum, vt ſi aliquando te vltrò perdideris, ipſe
iterum in tuam ſalutem quærens accingatur.

Mira-

Mirare vehementer, quòd cùm sis in tutela optimi Pastoris, in nobilissimis pascuis ambules, debilis tamen, macilenta & scabiola ouis videaris: time autem, quod per Ezechielem testatur: *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus: ecce ego iudico inter pecus & pecus, arietum & hircorum: ecce ego ipse iudico inter pecus pingue & macilentum.*

Ezech. 34.

DIE VENERIS.

Consideretur vt REDEMPTOR.

HOc die excitatus, memor esto verborum Isaiæ: *Consurge, sede Ierusalem, solue vincula colli tui captiua filia Sion: quia hæc dicit Dominus: Gratis venumdati estis, & sine argento redimemini.* Considera te captiuum detineri in catasta, mancipium crudelissimi tyranni. cumque in tanta es seruitute, tibi nuntium ferri redemptionis, & verba supra dicta à te audiri. Alacriter surge spem concipiens libertatis, considerando, quod per peccatum homo à dæmone trahitur in seruitutem, & à proprijs vitijs, & malis affectionibus, tanquam à tyrannis affligitur: quæ sanè durior est quàm captiuitas Ægypti.

Isai. 52.

Prima cõsideratio.

Primò considera caritatem immensam, quàm hominibus Pater æternus demõstrauit. Nam cùm illi perdita sua libidine se hostibus subiecissent, misit Vnigenitum de cælo, qui miserijs & seruitute afflictos redimeret. ita tamen, vt ipse Dei Filius pro nobis venderetur, & inimicorum traderetur potestati. *Redemptionem misit Dominus populo suo.* Misit, *vt diceret his qui vincti sunt, Exite; & his, q*

Psal. 110.
Psal. 49.

in tenebris, Reuelamini. ipse verò de se testatur: *Misit* *Isai. 61.*
me Dominus, vt prædicarem captiuis indulgentiam, &
clausis apertionem. & Apostolus: *Proprio Filio suo non* *Rom. 8.*
pepercit, sed pro omnibus tradidit illum. Meritò excla-
mat S. Gregorius: *O inæstimabilis dilectio caritatis, vt*
seruum redimeres, Filium tradidisti! Considera item
caritatem eiusdem Filij. *Qui dilexit nos, & tradidit* *Ephes. 5.*
semetipsum pro nobis.

Secunda consideratio.

Secundò considera, quanti æstimet Deus animam tuam: certè nulli parcit pretio, vt illam redimat, quamuis ipse crudelissimis hostibus tradendus sit, qui tam immania supplicia sunt illaturi: idque, vt discas aliquando te ipsum æstimare, nec vilissimo te vendas pretio, qui summo redemptus es. vt etiam intelligas, quanto pro te labore nisus sit Saluator, & quomodo tu eum debeas miserari, cùm videris funibus arctatum, crudelissimè cæsum, cruci affixum, &c. qui propriâ suâ volũtate se tradidit manibus inimicorum, vt te liberaret. Si Princeps, ad quẽ à patre deuolueretur imperium, solo tui amore, se traderet infestissimo Turcæ, vt te ex tam crudeli hoste eriperet: postea autem rescires illum immanissimè cædi, & barbaro quodam furore laniari, quo non pio affectu mouerêre? Ac, vt pudore afficiaris, considera, quòd parcissimus sis in illis quæ tibi pro Deo tuo facienda incumbunt, & quòd timeas ipse pro hoc aliquid perpeti & effũdere, qui ad tuam salutem largiter omnia suppeditauit.

Tertia cõsideratio.

Tertiò considera, amorem illum atque sapientiam, quòd assertor tuus pretium hoc redemptionis in Sanctissimo reliquerit Sacramẽto: vt si fortè

sæpiùs ab hoste capiaris, sæpiùs liberari possis, quod in oratione petimus, *Vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.* Vnde potes colligere; quàm esse non tuus debeas, sed eius qui te tanto pretio liberauit. Sic ait Apostolus: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno* & S. Petrus: *Non enim corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis; sed pretioso sanguine, tanquam agni immaculati, Christi.*

2. Cor 6.
1. Pet. 1.

Vide quantam aliquis habeat potestatem in id mancipium, quod ære suo sibi coëmit. huic incũbit tota vitâ seruire. nullius rei dominũ esse, nec sui ipsius, nec suorũ laborum. hic flagris, verberibusque subiectus est, vendi iterum potest, & tractatur ex libidine magistri. Nunquid ergo potiori iure, tu qui summo & maximo pretio redemptus es, eris non tuus, sed eius qui te redemit?

Affectus ante Missam.

Vnde celebraturus, existima à te aperiri thesauros meritorum Christi, tantumque à te sumi, quantum satis est redemptioni tuæ, idque cum feruentissimo desiderio, vt in te primæ redemptionis fructus renouetur, orando Dominũ tuum, efficaciter te liberet è potestate inimicorum omnium, maximeque à teipso, vitijs tuis, affectionibus & libidine effrenata.

Post Missam.

Post Missam, etiam atque etiam Deo gratias age, quòd te tam liberaliter suis diuitijs asseruerit in libertatem: & pro omni eo, quod eatenùs fecit & perpessus est. Veniam pete, quòd toties illum ipse vendideris, quodque fueris causa, vt carissimum pro te pretium debuerit offerri. Omnibus viribus te in eius offeras obsequium, dicendo: *Tuus sum ego, saluum me fac ser-*

Psal. 118.

seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Offeras te enixè ad implendam eius voluntatem, & pollicearе te nihil facturum, nisi quod eidem placere præcognôris dic: *Confige timore tuo carnes meas*, sed tali, qui filialis sit, & quarem in nobis ipse desiderat. Quin etiam, licet seruus sis, det tibi cor animumque filij, quo ipsum vt parentem prosequaris, magisque seruias amore, quàm timore. te faciat seruum fidelem & prudentem in dispensatione tibi commissa, diligentem, vt talentis traditis superlucreris. te arguat & castiget, cùm opus fuerit, & sic habeat in suorum numero amicorum. *Corripe me Domine: veruntamen non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur auerte.* Te signet signaculo famulorum suorum, induat veste ac notâ centuriali, vt teipsum aliquando æstimes, & ab ipso probus & impiger habearis. vt ipse te custodiat, atque suis septis concludat, ne aliquando fugæ arripiendæ occasio offeratur. *Matth. 25.* *Ierem. 10.*

Die Sabbathi.

Consideretur vt Sacerdos *&* Sacrificium.

HOC die excitatus, considera teipsum tanquam Sacerdotem, qui oblaturus est grande atque solemne sacrificium pro suâ totiusq; mundi salute. Vide, quanta sit opus diligentiâ, surgat ille qui tanto munere est perfuncturus. Tu ergo excitare his Psalmistæ verbis: *Introibo in* *Psalm. 65.*

domum tuam in holocaustu, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Diligentissimè ad tantum opus te componas, quandoquidem à Sacerdotibus antiquæ legis pro sacrificiorum oblatione, tot tantæque præparationes exihebantur. vt supra declaratum est.

Tract. 1. & 2.

Prima cõsideratio. Primò considera immensam caritatem æterni Patris, qui Vnigenitum nobis Sacerdotem misit, quòd non esset alius, qui furorem conceptum posset mitigare. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* Considera caritatem Filij Dei, qui tam libens hanc in se prouinciam suscepit, cùm videret nullos alios Sacerdotes, nec Sacrificia sufficere. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo: lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum: vnde & saluare in perpetuum potest, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* talem ergo Pontificem nobis esse diligenter attende.

Psal. 109.

Heb. 7.

Secunda cõsideratio. Secundò considera, quàm benè functus sit munere Sacerdotis, pro gente sua deprecando, cùm in hoc totâ vitâ fuerit impeditus. *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesq́ obtulit, cum clamore valido & lacrymis, exauditus est pro sua reuerentia: & quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ: appellatus*

us à Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedec.


Nec vel in fine vitæ ab hoc munere cessauit, quin & in cælo *interpellat pro nobis.* Nec satis illi visum fuit se esse Sacerdotem, sed etiam in sacrificium voluit offerri. nec enim poterat aliud inueniri, quod esset infiniti valoris, quali nos opus habebamus. Adeoque, *non per sanguinem vitulorum & hircorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta.* *Heb. 9.*

Tertiò considera, quòd non contentus semel oblatum fuisse hoc sacrificium, quod pro mille mundorum redemptione sufficiebat, inuenerit modum, quo ipsum eadem efficacia & valore quotidie offerremus: & instituerit tot Sacerdotes, qui velut ministri & vicarij eandem haberent facultatem consecrandi & offerendi diuinum istud sacrificium, valore infinito. Et quamuis præsciret fore, vt tam multi in Sacerdotes legerentur, qui indigni essent, & nefarijs sceleribus dignitatem hanc contaminarent, ad id noluit attendere, vt seipsum communicaret his, qui tanto beneficio ritè vti & frui vellent. Nulla huic gratiarum actio potest respondere. *Tertia consideratio.*

Quapropter celebraturus considera te velut ministrum, & vicaria præditus potestate ipsius Dei, ac summi Sacerdotis: qui eius nomine, tanquam idem ipse fores, Patri æterno illud ipsum sacrificium immolabis. vnde & pro ijsdem titulis, eâdemque intentione, quâ Christus obtulit summus Sacerdos. Considera, quòd anima tua sit altare, in quo offertur hoc sacrificium, & effunditur sanguis Agni immaculati. Procura, vt in hoc *Affectus ante Missam.*

altari semper ardeat ignis diuini amoris, qui con-
sumat oblationem: sic enim mandabatur in lege:
Leuit. 6. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sa-
cerdos subijciens ligna manè per singulos dies.* lignum, quo
conseruatur hic ignis, est exercitatio virtutum.

Post Missam. Post Missam, Deo gratias age immensas, quòd
te in suorum legerit numerum Sacerdotum, & in
tam amplum honoris fastigium te sublimârit, vt
ipsos Angelos excellas dignitate. Pete humilite
veniam, quòd fortè indignè nonnunquam cele
brando diuina hæc mysteria profanaris. Similite
quod cordis tui aram pollueris, litando idolis ma
larum affectionum. Ora, vt denuò hoc animi al
Psal. 50. tare consecret: dic enixè, *Cor mundum crea in m
Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* roga
vt tibi infundat sanctitatem & munditiam, qu
dignè hæc cælestia mysteria celebrare possis. V
autem intelligas, quid tibi petendum, & cogno
scas religionem, quâ ex officio tuo obligaris; ex
pende solemnitatem cærimoniarum & vestium
quibus se induebat Sacerdos legalis, vt sacrifici
Tract. 2. offerret his longè inferiora. quod suprà latè de
c. 4. §. 6. claratum est. Obtestare, cùm te Deus nobiliori ex
tulerit dignitate Sacerdotis, det tibi conditione
istas, cæterasque, quas cærimonijs istis & vestibu
voluit significare: & tu tuâ ex parte coneris ha
conseruare: si enim minùs, quanto maior est di
gnitas, tantò tristius erit iudicium & pœna sub
eunda. vt dictum est.



CA

CAPVT VII.

Ponuntur item septem considerationes pro altera hebdomade: eâdem, quâ priores, forma & methodo.

Die Dominico

Consideretur vt Medicvs.

HOc die excitatus, considera te febri hecticâ laborare, desperatum esse à medicis, deque vita tua esse conclamatum. aut si mauis, æstima te cæcum esse, aut paralyticum, siue leprosum, & tibi nuntium perferri: Ecce Christus totum mundum peragrat *sanans omnem languorem & omnem infirmitatem*: & quòd nullus ab eo sanitatem consequitur, nisi qui ad eum accesserit: *Tunc saliet sicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum.* Quàm iustum est, à te talis Medicus conueniatur, cùm grauissimâ labores ægritudine, quam vnus ipse curare potest? quantumuis fores debilis & viribus defectus, nunquid conarêre? Surge ergo, & existima te ab illo curandum esse ab omni genere morborum.

Matth. 4.

Isai. 35.

Primò considera caritatem Patris æterni, qui Filium suum nobis Medicum transmisit. *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitu eorum.* & idem Filius sibi de hoc nomine gratulatur. *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus.* At

Prima cõsideratio.

Psal. 106.

Luc. 10. At seipsum innuit per Samaritanum, qui exceptum à latronibus clementer curauit. Aduerte verò, maximè eius esse muneris spiritales animi ægritudines auferre: nam ad hoc venit in mundū: *Isai. 61.* *Vt mederer*, inquit, *contritis corde*. In cuius fidem corpora etiam omni morbo liberauit.

Secunda consideratio. Secundò considera & expende, quantò amoris affectu medicum egerit, quanta facilitate & prōptitudine sanârit omnes, qui auxilium opemque implorârunt. Vt iret ad famulum Centurionis, tantùm fuit opus dicere: *Matth. 8.* *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur*: subiecit enim, *Ego veniam, & curabo eum*. Leproso qui dixerat: *Si vis potes me mundare*; respondit: *Volo, mundare*, ita sit. Cùm dictum ei esset à Iairo Archisynagogo, *Matth. 9.* *Filia mea modò defuncta est: veni, impone manum tuam super eam, & viuet*; nullo responso reddito, *surgens sequebatur eum*. Denique: *Luc. 4.* *Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens curabat eos; quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Et omnes qui cum fide & deuotione *Math. 14.* *tetigerunt fimbriam vestimenti eius, salui facti sunt*.

Benedictus sit hic Medicus, qui tam facilè vel grauissimos morbos persanat. non petijt salutem aliquis, qui non statim impetrauit. nec tantùm petentibus dabat, sed etiam non petentes ad petendum inuitabat. Paralyticum quidem ad *Ioan. 5.* piscinam percunctabatur: *Vis sanus fieri?* Cæ*Luc. 18.* cum: *Quid vis vt faciam tibi?* Viduæ Naim, *Luc. 7.* *Misericordia motus super illam, dixit: Noli flere*. Pluribusque alijs non petentibus, remedium obtulit & salutem.

Tertiò

Tertiò conſidera, quòd hic Medicus cæleſtis *Tertia cō ſideratio.*
n ſolùm tantâ præditus ſit ſapientiâ & pote-
ſtate, vt verbis duntaxat ſiue tactu, ſanet omnem
ægritudinem, & debiles confirmet; verùm etiam
anto flagret amore, vt in ſe omnes noſtras rece-
perit calamitates atque miſerias: *Languores noſtros* *Iſai.* 53.
ſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Ac in ſe om-
em medicinæ vim expertus eſt, qua nos egeba-
us, vt maiorem illa haberet efficaciam, & iubē-
ùs ea vteremur. * Rationem viuendi ſtrictiſſi- **Al.* diætā.
am ſeruauit 40. diebus ieiunando ſine vllius
bi ſumptione, totoque vitæ ſuæ curriculo frugi
uit, & amator parſimoniæ. Sudauit & ſanguinē,
ortis angore correptus. Fluxit ſanguine aper-
s vndequaq; venis, vt gutta nō remaneret. Pur-
atus eſt felle & aceto. & ſic de reliquis. Quod-
ue omnem excedit eloquentiæ facultatem, no-
is, vt ſanaremur, medicamen miſcuit Corpo-
is & Sanguinis ſui, quo omnes quotidie mor-
os radicitus depellit, præteritos fugat, præſen-
em infirmitatem abigit, & à futura ægritudine
onſeruat.

Igitur celebraturus coneris accedere eo affe- **Affectus ad Miſsā.**
ctu & deſiderio, quo illi, qui malorum ſibi reme-
lia poſtulabant. conſiderando, quòd nūc non ſit
ninori poteſtate, ſapientia, caritate, nec diuerſo
nimo, quàm tunc erat. Cumque illis tam facilè
conceſſerit ſalutem, quam precabantur; confidas
etiam conſtanter te tangendo & recipiendo Cor-
pus illius & Sanguinem, perfectam animi ſalutē
conſecuturum. Vnde meminiſſe poteris eorum,
quæ nonnulli dixerunt Chriſto, dum peterent ſa-

nitatem, velut, *Si vis, potes me mundare. Iesu fili Dauid miserere mei.* & similium.

Post Missam. Post Missam, considera quòd te tanquam Medicus visitârit. gratias illi age, quòd, cùm esset Summæ maiestatis, tale munus voluerit obire: tantaque erga ægrum caritate affici, vt velit te ab omni vulnere persanare, qui nihil habeas, quo respondere possis. Veniam pete, quòd tam tetros ex anima tua emittas odores, & mens tua sit nosocomium triste, & sordibus oppletum. Omnes illi morbos, & causas ægritudinum, indica, & si forsan id perfectè nequeas implere, roga, vt ipse sapiens & nobilis Medicus, venæ pulsum exploret, cognoscatque ita omnem languorem. tu autem clames, *Psalm. 6.* *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.* *Psalm. 39.* *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* *Isai. 1.* *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in me sanitas. vulnus & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Cognoscens in te tot genera morborum, pete ab illo, vt te restituat sanitati. *Ierem. 17.* *Sana me Domine & sanabor, saluum me fac, & saluus ero.* *Psalm. 40.* *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* O bone IESV, sis mihi IESVS, id est, *salus*, vel *salutaris*, vel *Saluator*. *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.*

Cùm autem Medicus tam sapiens sit, tam potens, & medicina tam efficax; si non persanaris, tibi culpam adscribe, qui ægritudinem omnem à te fugari nolis. *Eccli. 38.* Quapropter *da locum Medico, etenim illum Dominus creauit, & non discedat à te; quia opera eius*

... sunt necessaria. Da locum, vt tecum agat quod re tuâ esse videbitur: dic illi ad salutem perfe- è consequendam, *Vre, seca, castiga, corripe*, Obtesta- illum ne te deserat, donec salus tua fuerit con- rmata, habeasque medicinam, quâ eam conser- are possis: instruat te, quid facto opus, quid fu- iendum sit. Quod si nec tunc saneris, time ne ibi improperetur: *Numquid resina non est in Galaad, ut medicus non est ibi? quare ergo non est obducta cicatrix liæ populi mei?* Et iterum: *Curauimus Babylonem, & non st sanata, derelinquamus eam, quoniam peruenit vsque in cælos iudicium eius.* Ierem. 8. Ierem. 51.

DIE LVNÆ.

Consideretur vt AMICVS.

HOc die excitatus, memor esto horum verborum: *Comedite amici & bibite, & inebriamini carissimi.* Item: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Considera, quòd Christus Dominus solemne instruat conuiuium amicis suis & familiaribus, in quorum & tu numero censearis. Expende beneficij magnitudinem. quàm æquum sit te diligenter exsurgere, & magno voto præstolari horam, quâ cum cæteris accumbes. præsertim cùm te minimè lateat, has epulas apparari, vt confirmetur necessitudo semel constituta, ipsique familiares, beneuolentiæ percipiant certum argumentum. Porrò, nunquid iustum erit abstineas cibis vilioribus, qui stomachum fortè inflantes inpedirent, quo minùs exquisitis delicijs cum gustu vescereris? Cant. 5. Prou. 9.

Primò

Prima cõsideratio.

Primò considera, quanti Deus æstimet hominem, quantoque illum amore prosequatur. Cùm enim sit Rex potentissimus, cui obedit omnis creatura, vult tamen cum homine constituere amicitiam, eamque veram & propriam. & desiderans ab hoc amari, vt maior esset amor & æqualis videretur; similis nostri esse voluit & æqualis. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Et voluit per omnia fratribus similari.* Enimuerò cùm esset in quantum homo Dominus & Rex vniuersi, hoc dominio & maiestate vti noluit, sed modestè & familiariter agere, vt amabilior videretur. Vnde & candidè asseruit: *Vos amici mei estis. Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Dico autem vobis amicis meis*, &c. Estque hæc amicitia tam coniuncta & conglutinata, vt fratres eos appellet: *Nuntiate fratribus meis.* Imò & proditorem suum hoc nomine dignatus est: *Amice ad quid venisti?* Mirare tantam humanitatem, & dic cum Propheta: *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Et exclama cum S. Gregorio: *O quanta misericordia est conditoris nostri! serui digni non sumus, & amici vocamur! quanta est dignitas hominum esse amicos Dei!*

Philip. 2. Heb. 2. Ioan. 15. Luc. 12. Matth. 28. Matth. 26. Iob. 7.

Secunda consideratio.

Secundò considera quàm sit arctum vinculum veræ amicitiæ, quæ facit vt amicus sit alter ego. Expende, quàm verâ Christus amicitiâ discipulis fuerit coniunctus, quod & offert omnibus, qui hanc ipsam familiaritatem amicitiamque volunt contrahere, quo amore eos sit complexus, quantaque illos beneuolentiâ complectatur, qui se

eius

eis ſubdunt voluntati. Recordare eorum, quæ
gisti vel audiuisti, quantis illos Deus affecerit
neficijs, à quibus totâ mente obſequium ſibi
latum vidit, quantoque illos amore, & quibus
ficijs proſequatur, quos ſibi aſpicit dedicatos.
e autem moleſtum ſit aliena exempla inquire-
, tibi ipſe ſufficientem materiam ſuppeditabis;
ex teipſo id facilè intelliges. Quis tibi conſti-
ſet amicus, quamuis tua opera plurimùm eguiſ-
t, quem tu ineptiâ tuâ atque inhumanitate, op-
obrijs & contumelijs offendiſſes? Et ecce Do-
inus omnium, qui nec tui, nec vllius eget, cuius
hil intereſt humanarum rerum, quem tu pec-
ndo exulceraſti, in ſuam te amicitiam inuitan-
o trahit, facit ea, quibus ſuam in te beneuolen-
am teſtetur, & fecit tunc, cùm illum ſceleribus
is ad furorem prouocares. O bonitas infinita!
ræ cæteris hoc ponderandum eſt, quòd in ſi-
num amoris maximi, veræque amicitiæ, vitam
am donârit amicis, mortemque oppetierit: *Ma-* *Ioan. 15.*
rem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam po-
at quis pro amicis ſuis. Effectus etenim huius ami-
tiæ, & argumentum fuiſſe illam veram & can-
idam, hinc colligitur, quòd licet Chriſtus abeſ-
t corpore, animo nunquam. vnde & cælos a-
cenſurus conſolabatur mœſtos: *Ecce ego vobiſcum* *Matth. 28.*
m, vſque ad conſummationem ſæculi. Expende hîc
ntentiam illam melle dulciorem, quæ omnium
npreſſa & affixa animis eſſe debet: *Deliciæ meæ eſſe* *Prou. 8.*
m filijs hominum. Aduerte porrò ad ea, quæ præce-
unt: *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum, ante-*
iàm quidquam faceret à principio. ab æterno ordinata
ſum

ſum & ex antiquis antequam, terra fieret: nondum erat abyſſi, & ego iam concepta eram. & cætera quæ ſe quuntur. & poſt hæc, *Deliciæ meæ, eſſe cum filijs hominum.* Quis amor, quæ gratitudo ſufficiat, vt ſummam hanc beneuolentiam compenſet?

Tertia conſideratio. Tertiò conſidera, quòd præter honorem & dignitatem, quam ex hac amicitiá conſequitur homo, maximum etiam emolumentum proueniat: cùm enim ex prouerbio, *amicorum omnia ſint communia:* (mali ſint ſiue boni) infertur quòd bona Chriſti, tua ſint, & titulo amicitæ de his poſſis diſponere tanquam de re propriâ: quin & mala tua ipſe pro ſuis reputat, inque ſe recipit, ea ſe ſo-

Pſalm. 21. luturum vnde per Prophetam: *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* & continuò: *Delicta mea, à te non ſunt abſcondita.* tanquam fideiuſſor, quia alie-

Eccli. 29. num debitum adeſt ſoluturus. At *gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris; poſuit enim animam pro te.* Cùm autem tibi ille cuncta ſua bona communicet, & malorum tuorum in ſe recipiat pondus; par eſt, vt tu etiam ægritudinum ipſius particeps exſiſtas, condoleas dolenti, & parem tot iniuriarum atque opprobriorum in te miſerando recipias. Exiſtima tibi dici, quòd Alexander Rex Ionathæ Macha-

1. Mach. 10 bæo: *Vt voceris amicus noſter, & quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum, & conſerues amicitias ad nos.* Iuſtum eſt, ſi illi amicum te putas, eius incommodis tanquam proprijs afficiare.

Affectus ad Miſſam. Quapropter celebraturus, accede cum affectione amoris maximè inflammati. quandoquidem intelligas, à Chriſto id poſtulari, qui dicat delicias ſuas tecum exſiſtere: tu etiam fatere, te Chri-

ſto

velle coniungi, huic vniri sacrâ sumptione, vt
mor ille mutuus incrementum sumat, & suis tã-
m numeris absoluatur.

Post Missam, secede cum solo collocuturus, Post Missam.
i tuâ familiaritate vehemẽter delectetur. Gra-
s illi maximas age pro summo beneficio, quòd
suam te amicitiam elegerit. Veniam pete pro
nni inciuilitate, quam ei ostendisti. Deinceps te
llicearis ad ipsius voluntatem nutumque fore,
subiturum quoslibet labores ne vllo pacto de-
amicitiæ; ita denique gesturum magna, vt non
ediocrem ex tuâ societate percipiat lætitiam.
ga ignoscat, quòd amicus cùm ab eo vocatus
ses, & hoc ipse optaret; tu velut fueris inimicus,
modò cùm id petat, indignè tamen cum illo
dearis acturus. Primò igitur exhibitâ reuerentiâ
i Deum & creatorem agnoscas, teque fatearis
dignum, qui vel terram, quam pressit, osculeris,
it coram illo sistaris. Sed quandoquidem diuina
la Maiestas tecum velit amicitiæ consuetudine
uinciri, à se te tractari patiatur: tu porrò confi
, si id feceris amore candido, gratiam te illi in-
edibilem præstiturum. Deinde memineris sæ-
ùs illum amici nomine compellare. & quidquid
etieris, hac ratione petere: Si ita est, Domine,
uòd mihi sis amicus, tantoque me, vt affirmas,
mplecteris amore; indulge quod peto, & con-
ede id cuius me nosti indigere, *Si inueni gratiam
oculis tuis*. Etenim si tibi non videris eas acqui-
ere virtutes, pro quibus sæpiùs rogâsti, lamẽtare
eluc amore languidus: *Quomodo dicis, quòd amas
e, cùm animus tuus non sit mecum?* Iudic. 16.

Recor-

Recordare, quàm arcto necessitudinis vincu
1. Reg. 18. lo, constricti fuere Ionathas & Dauid, cumque il
le Princeps esset, hic verò miles gregarius, volui
Ionathas supplere hanc imparitatem, & amicun
suum Dauid propriâ veste, tunicâ, armisque in
duit, vt secum idem ipse videretur. Multò maio
ra præstat Christus in Sacramento, qui non tan
tùm largitur nobis sua vestimenta, suisq; nos pau
peres facultatibus ditat, verùm etiam participe
facit sui esse, vt similes ipsi eatenus simus, quate
nus alicui id creaturæ potest competere. Obte
stare igitur etiam atque etiã, efficaciter hoc in t
operetur, meritis suis te vestiat, virtutibus armet
fungaturque eo munere, quo Ionathas erga Da
1. Reg. 19. uid. cùm enim Saul Rex odisset Dauidem, *loque
batur Ionathas bona de Dauid ad Saul patrem suum*
Etenim hoc Ionathæ patrocinium tantæ fuit effi
caciæ, vt quamuis Saul decreuisset illi mortem
inferre, *placatus voce Ionathæ iurauerit: Viuit Dominus
quia non occidetur.* Recordare etiam amicitiæ, quan
inijt Alexander cũ Ionatha Machabæo. cui Rex
1. Mach 10 *Aptus es, vt sis amicus noster: nunc ergo constituimus t
summum Sacerdotem gentis tuæ,* &c. Vt in amiciti
constaret, honoribus, quibus potuit maximis
eum extulit, misitque purpuram, qua indueretur
coronam auream capitis insigne, aliaque don
regia, quòd deinceps amicus Regis esset vocan
dus. Vnde & tu materiam sumas alicuius benefi
cij petendi. præcipuè roga, det tibi animum ver
ac fidelis amici, amorem addat, quo illum can
didè ames, tantùm quia ipse est, & propter boni
tatem, qui ameretur, sine vllâ attentione, nun
aliqu

liquo inde damno afficiaris. Ora, te instruat, quæ ua voluntas sit, fauoremque conferat, quo eam mplere possis, vtque illi sis acceptus, vel grauisimis te offer laboribus exercendum.

DIE MARTIS.

Consideretur vt PATER.

HOc die excitatus, recordare statim filij prodigi, qui in se reuersus dixit: *Surgam, & ibo ad atrem meum, & dicam ei,* &c. Et hoc affectu surge iligēter: vide, quàm festinatò ille iuisset, si amoem, quo postmodum à patre est receptus, certò ognouisset. tu ergo in illo te positū itinere existima, totamque hanc historiam animo præsenti uolue. *Luc. 15.*

Primò considera, immensam Dei caritatem, qui cùm esset Dominus totius vniuersi, cui omnes creaturæ seruiunt, quem vt Deum venerantur & colunt, tanto homines amore complexus est, vt eos sibi in filios adoptârit, volueritque ab his Pater appellari. sic testatur Apostolus: *Misit Deus Filium suum in mundum, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et iterum: *Misit Deus spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* Vnde innumeris quasi vicibus hoc nomine Saluator vsus est, dixitque ita Patrem cælestem debere nominari: *Patrem nolite vocare super terram: vnus est enim Pater vester, qui in cælis est.* *Prima cōsideratio.* *Galat. 4.* *Matth. 23.*

Secundò considera, quòd non solùm nos in filios adoptârit, volueritq; vt Patrem vocaremus: verùm etiam tantùm afficiatur hoc nomine, vt *Secunda cōsideratio.*

hoc audiens inclinetur ad præstandum omne id, quod per ipsum petierimus: vnde præcepit, addemus hunc titulum: *Orantes dicite, Pater noster.* Et per Ieremiam dicit animæ peccatrici: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere,* in omnia te scelera ingurgitasti: *Saltem à modo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es,* Mirare amorem adeò exæstuantem, & dic cum Ioanne: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Ex hoc animos concipe, vt eum hoc nomine appelles cum Isaia: *Tu enim Pater noster es & Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos. Tu Domine, Pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum. quare errare nos fecisti de vijs tuis, indurásti cor nostrum, ne timeremus te?* Aduerte præterea, sicut magna est huius nominis dignitas; ita obligat multùm, vt tracteris tanquam filius à tali Patre: vnde cùm dixisset S. Ioannes: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri;* subiecit: *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Matth. 6. Ierem. 3. 1. Ioan. 3. Ioan. 1. Isai. 63. Ioan. 1.

Tertia cõsideratio.

Tertiò considera, quòd Deus non tantùm voluerit vocari & esse Pater noster, sed etiã matris sibi nomen assumpserit, cuius solet esse amor intensus, magisque sollicitus. ita per Isaiam: *Nunquid obliuisci potest mater infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: in manibus meis descripsi te. Quemadmodum si cui mater blandiatur, sic & ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini.* Et iterum: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.*

Isai. 49.

Amor

Amor tibi, & affectus horum verborum, maximè ponderandus est, vnde incipias confidere, & in huius Domini atque amantissimi Patris amorem inflammari. Considera, quòd, vt tu hoc nomine filij gauderes, non tantùm sufficiens pretium soluerit, sed etiam sanguinem effuderit cum vitâ, vt te adoptaret.

Quapropter celebraturus, æstima te velut filium prodigum, qui domo Patris desertâ omne patrimonium dissipâris, inque humillimâ conditione modò sis constitutus, & tandem de Patris tui benignitate spem concipiens, decernas animo te velle ire ad veniam impetrandam. sic autem ratiocineris: cùm Pater meus sit, nō poterit amor, quin me recipiet. recipiet me, ignoscet, amabit, curabit, instruet, adiuuabit, consulet, tuebitur, docebit, imò honorabit; cumque erit necessarium, puniet me, & tanquam pater castigabit. Expende verò, quòd filius prodigus ipse quæsierit patrem: sed hic Pater benignissimus non moratus est donec eum quæreres, sed te à se profugum maximis laboribus per vias difficillimas vestigauit. vnde rumina, quot gradus ille fixerit inuios, & indignos suâ Maiestate. Vbi igitur subibis Ecclesiam, aut illum in Missa adorabis, aduoluere eius vestigijs, magnoque perfusus pudore & verecundiâ, precare: *Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15.

Affectus ad Missam.

Cùm te sacris vestibus indues, recordare, quòd præceperit pater, vt filio prodigo vestes, calceamenta adferrentur, annulus digito imponeretur. ora, te vestiat & ornet, vt decet filium tanti Pa-

tris: ne fortè in eius oculis, velut scurra, nudatus appareas: *Redde mihi, Domine, stolam primam sanctitatis & innocentiæ, quam ego perdidi peccatis meis, ne nudus inueniar in conspectu tuo.* Vbi verò celebrabis, existima te in gratiam receptum, tibique præparatam esse mensam regalem. illum cum humilitate & confusione excipias, tuam confessus indignitatem.

Post Missam. Post Missam, absoluto prandio, te existima secedere cum Patre, cui iterum aduoluaris, gratiasque agas immensas, quòd tanto amore te receperit. dices porrò: *Domine mi, Pater mi* in me benignitatem tuam ostendisti, qui filius tuus cùm essem coopertus scelere & nequitiâ, atque optarem esse in numero famulorum tuorum, & comedere si quid mensæ tuæ superesset; tam benè fuisti erga me affectus, vt feceris ex tuâ bonitate, non ex meâ malitiâ.

Iterum roga, ignoscat peccatis tuis. seriem illi tuæ peregrinationis aperi, omniumque malorum & periculorum, in quibus à Patre profugus constitutus fuisti: narra illi famem, sitim, & penuriã, quam omnium rerum perpessus es. Atque hæc comparans cum honore, in quo nunc versaris, tibi Patrique restitutus, in amorem eius effundere, ac pollicere constanter, te fore deinceps ad ipsius nutum atque voluntatem. Attende quantâ ad id tenearis religione, postquàm clementer receptus es. & quàm foret indignum & barbarum, vt quis exceptus hoc pacto, nollet se ad obedientiam Patris conformare, tantam sperneret beneuolentiam, nec de gratijs referendis cogitaret. Ora, det tibi

ibi affectum veri filij, & talis eum diligas & mes: det tibi Magistrum sui timoris, qui te manu ucat, inijciatque libidini tuæ frenum. cumque ciat tuam ad mala propensionem, includat te, ne ursus fugam inire aliquando possis. Quodcunque olueris, pete constanter, certus te voto potitu- um; nihil enim negare vnquam poterit: *Quis ex obis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit ei? Si rgo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, uantò magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum etentibus se?* Quòd si non persolueris quod debes, ide ne tibi improperetur: *Si pater ego sum, vbi est onor meus? Væ filijs sceleratis! dereliquerunt Dominum, balienati sunt retrorsum.* Et iterum: *Væ filij deserto- es, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt ad- deretis peccatum super peccatum.* Vbi autem impugna- ere aliquo dæmonis impulsu, quo te à Deo ab- ducere conabitur, dic, teipsum arguendo *Nunquid on ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit e? memento dierum antiquorum.*

Luca 11. Malach. 1. Isai. 1. Isai. 30. Deut. 32.

Vt verò præteritorum memoriâ criminum af- ficiaris pudore, dices: *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

Die Mercvrii.

Consideretur vt Sponsvs.

HOc die excitatus, puta à te audiri Sponsum vocantem: *Surge propera amica mea, speciosa mea, & veni. ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in*

Cant. 2.

in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.
Tu autem illectus tam dulci alloquio, surgens
Cant. 5. vtere verbis Sponsæ: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Hac tibi diligentia surgendum est, vt quæras Sponsum, cui studeas vehementer placere. pro quo medium erit conueniens, vt manus myrrham distillent, id est, omnia opera fiant cum mortificatione sensuum, tam internorum, quàm externorum.

Prima consideratio. Primò considera, quàm mirâ suauitate, quàm blandè cum hominibus conuersetur Christus. qui Deus cùm sit, & Dominus tantæ maiestatis, Rex omnipotens, non satis duxit, si Magister noster, Redemptor, Pastor, Sacerdos, Medicus, Pater & Amicus esset; voluit etiam Sponsus appellari: qui titulus est arctissimus, summæ index familiaritatis, quâ inter homines maior esse non possit. Imò hîc ille maior est & perfectiôr, quàm in matrimonijs humanis solet esse. Ipse Dominus, nomine
Matth. 9. hoc se appellat in Euangelio: *Non possunt filij Sponsi, quamdiu cum illis est Sponsus, lugere,* &c. Et sic illum
Ioan. 3. vocauit D. Baptista: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Porrò in Canticis, sæpiùs animam nomine Spon-
Apoc. 19. sæ compellat Dominus. Et in Apocalypsi: *Beati qui ad cænam nuptiarum Agni vocati sunt.* Et iterum: *Venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit se.*

Hæc despôsatio facta est cum totâ naturâ hu-
Psalm. 18. manâ, in Incarnatione Verbi: *Ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo.* & celebratur cum qua-
Osee 2. libet animâ, fide & caritate in baptismo: *Sponsabo te mihi in fide, & in iustitiâ, & in iudicio, & in miseri-*

cordia.

cordia, & in miserationibus, & sciens quia ego Dominus.

Vnde eius altitudo, maiestas, nobilitas, pulcritudo, diuitiæ, cæteraque attributa multùm ponderanda sunt: ex altera parte, humilitas naturæ humanæ, inopia, deformitas & miseria, quodque nulla fuerit ratio desposantionis, præter hanc charitatis & clementiæ. quam concepit, quia maximè erga illam afficeretur, vt Samson ait de Philistæa: *Hæc placuit oculis meis, & hanc accipite mihi* *Iudic. 14.* *vxorem.*

Secunda consideratio.

Secundò considera, quòd diuinum illud matrimonium, quo arctissimâ vnione Verbum Incarnatum naturam sibi humanam coniunxit, renouatur, & quodammodo extenditur ad quemlibet hominem singularem in SS. Sacramento: quod proinde vocat Chrysostomus extensionem Incarnationis. Nam posito quòd non conueniebat, vt se Christus iungeret personaliter & substantialiter, id est, vnione hypostaticâ, cum qualibet naturâ in particulari: ne tamen videretur id euenisse amoris defectu, quæsiuit medium, quo se tam arctè cuilibet hominũ adstringeret (quod fit in sumptione Sacramenti) vt arctius vinculũ expeti, nec excogitari, posset. vnde ipse testatur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem,* *Ioan. 6.* *in me manet, & ego in illo. Et qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Atque adeò, velut ibi se inclusit vtero Virginis; ita hîc se includit ventri peccatoris. Et sicut, mediante illo mysterio, cum hominibus conuersatus est; ita mediante hoc Sacramento, cum iisdem tractat, maximaque ipsis beneficia impendit.

Tertia cō sideratio. Tertiò considera, quòd tantus sit erga animas huius Sponsi amor, vt non tantùm eundem ijs ostendat, dum debitum ab ipsis accipit obsequiū; sed etiam, quod omnem excedit admirationem, si qua sit, quæ sexcenties fuerit in adulterio deprehēsa, sceleribus obnoxia, eā ipse quærit, inuitat, & trahit ad se, iterumque & iterum in gratiā recipiet, modò illa dolens reuertatur. adeò, vt quantumuis fuerit flagitiosa, si seriò meliorem frugem polliceatur, eundem ei exhibiturus sit amorem atque beneuolentiam, velut si nunquam fidem datam fefellisset. Recordare verborū, quæ protulit Ieremias: *Vulgò dicitur, si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus.* Et iterum: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere: ergo saltem à modo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es: nunquid irascēris in perpetuum, aut perseuerabis in finem?* Ac per Ezechielem: *in quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus, cùm facias omnia hæc opera mulieris meretricis & procacis?*

Ierem. 3.

Ezech. 16.

Expende, quanto Dominus desiderio feratur, vt expurget illam ab immunditiā iniustâq; adulterij labe, iterumque castigatam maritali amore prosequatur.

Affectus ad Missā. Quapropter confirmare animo, & spem concipe, licet fueris multis criminibus infamis, si ductus pœnitentiā reditum instituis, excipiet te tāquam sponsus, benignoq; fauore complectetur. Vnde celebraturus, considera te coniugem esse,

quæ pluribus à marito affecta beneficijs, adulte-
ris sectata fuit. Nouit tamen tantã eius esse pie-
tatem & mansuetudinem, vt facilè veniam datu-
rus sit, & solito amore atque beneuolentiâ rede-
untem excepturus. Accede magnâ humilitate &
verecundiâ, teque benignè excipiat precare; &
renoua, quæ tecum in baptismo sponsalia cele-
brauit. ora porrò, vt ornamenta tibi necessaria
addat, quibus ipsi sponsæ præpareris. Celebrans,
puta à te vocem illam audiri: *Ecce sponsus venit, exi-* *Matth. 25.*
te obuiam ei. te verò esse in itinere, vt venientem
excipias. Quando eum adorabis in Sanctissimo
Sacramento, dices, vt lubet: *Sponsus sanguinum tu* *Exodi 4.*
mihi es. Recordare, quanto pretio hæc ei sponsa-
lia constiterint, & quomodo sanguinem copiosè
effuderit, vt te adornaret. Sumpturus autem, dic
verba sponsæ: *Veniat dilectus meus in hortum suum, &* *Cant. 4.*
comedat fructum pomorum suorum.

Post Missam, existima te iam receptum esse in **Post Mis-**
gratiam, & cum solo collocuturum secedere. **sam.**
gratias illi immensas age, quòd te peccantem sus-
tinuerit, & reuertentem maximo amore com-
plexus sit. Pete veniam de peccatis. roga, igno-
scat, & cùm se tibi tam præbeat beneuolum, te
non posse omittere, quin amore eum arctissimo
tibi adstringas, & tractes amicissimè. nempe me-
retur, cùm tibi pepercerit, omnem amorem at-
que beneuolentiam. Memineris quod dixit de
D. Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quo-* *Lucæ 7.*
niam dilexit multùm. cui autem minus dimittitur, mi-
nùs diligit. Atque hâc fiduciâ exercere potes om-
nem affectum amoris & beneuolentiæ, prout

ſcies, & prout Spiritus ſanctus dictabit. Hîc recordare verborum: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* quæ verè pronuntiabis. Et horum: *Erunt duo in carne vna.* quod, teste Apoſtolo, meliùs verificatur *in Christo, & in Eccleſia.* Idemque dicitur rectè, cùm Chriſto iungimur & vnimur in Sacramento. Conſidera diuinum hunc Sponſum, qui ex India cæleſti delabitur opum maximarum vi onuſtus, & margaritas deferens pretioſiſſimas, quibus te exornare deſiderat, modò blandè ſuauiterque eas petieris. Noli hîc tepidus eſſe aut verecundus; roga, te inſtruat omni virtutum ſplendore, vt maximè ei acceptus ſis: iam ceſſet aliquãdo animæ ſterilitas, vt deinceps fructum percipias bonorum operum atque exemplorum. Obteſtare, cùm ei cognita ſit tua infirmitas, & mala propenſio, tueatur te, includat, omnem auferat occaſionem, corrigat vel leuiùs delinquentem, ne fortè minima contempta facem præferant ad ſcelera maiora. Denique, toto hoc die magis magiſque inflammandus eſt amoris affectus, & ſingulari voto ac diligentiâ incumbendum tibi eſt ad gratiam Sponſi, & procuranda ea quibus gratiſſimus illi eſſe poſſis, cum amore, humilitate, & reuerentiâ.

Geneſ. 2.
1. Corin. 9.

DIE IOVIS.

Conſideretur vt CIBVS ANIMÆ.

HOc die excitatus, puta à te audiri præconem, Sapientiam ſcilicet diuinam: de qua in Prouerbijs: *Sapientia foris clamat, in plateis dat vocem ſuam: Venite,*

Prou. 9.

Venite, & comedite panem meum. Ipse panis meus electus, qui meus nominari meretur. Aut verba, quæ Deus locutus in Exodo: *Ecce ego pluam vobis panem de cælo: egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singules dies.* Nota, quanto studio manè surrexerint Israëlitæ, vt manna cæleste colligerent præsertim cùm scirent colligendum esse, priusquàm Sol radios emitteret: eo enim illucescente totum resolebatur. Quod factum fuisse ait Spiritus sanctus: *Vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem Dei, & ad Orientem lucis adorare Deum.* Tu igitur tali diligentiâ surge, vt colligas panem illum, & manna diuinum, quod in se omnem dulcedinem, atque suauitatem complectitur. Surge alacer, & dic velut priuatus ille Assueri: *Hodie cum Rege pransurus sum.* Exod. 19. Sap. 16. Esther 5.

Prima consideratio.

Primò considera, quàm sublimis fuerit inuentio, plenaq; sapientiæ, quòd se in cibum fidelibus dederit Christus. Nunquã industria humana, aut Angelica, excogitasset rem adeò vtilem atque proficuam; & beneficium tam immensum petere nemo ausus fuisset. Putabant homines, nihil sibi potuisse à Deo vltrà contingere, quàm quòd ille humanæ consors naturæ, suam salutem saluti nostræ posteriorem duceret, vitâ sanguineque nobis profuso: At ecce rationem inuenit sapientia & caritas Dei, quâ arctissimè se illis communicaret, factus esca & cibus: qui modus se vniendi intimus est, & quo non est præstantior, commodiſue vberior, si excipias vnionem hypostaticam & personalem. Quemadmodum enim ex cibo & comedente, vna eademque res efficitur, cibi sub-

ſubſtantia conuerſa in ſubſtantiam comedentis: ita ex Chriſto & ſumente vna eademque res efficitur, non quidem Chriſto conuerſo in recipientem, ſed hoc in illum; quia id magis conſentaneum eſt rationi. Vnde in hoc opere oſtendit Deus immenſum amorem, quo erga homines ducitur. qui diuinæ affectus caritatis hic, præ reliquis quæ ad ſalutem noſtram inſtituta ſunt, maximè eluceſcit. Quippe in hoc Sacramento ſingulis arctiſſimè coniungitur, includendo ſe eorum viſceribus, & in ſe conuertendo. Et hic proprius eſt veri amoris effectus, coniungere ſe cum re amata, illique ſe totum communicare. Non potuit certè excogitari maius monumentũ caritatis. Vnde hoc ipſum altâ conſideratione ponderandum eſt: deficiunt enim verba & ſententiæ, vt id exaggeremus.

Secundò conſidera, quomodo hic panis cæleſtis præcognitus ſit in manna, quod datum eſt filijs Iſraël in deſerto, dum peterent terram promiſſionis; quod vocatum fuit propter excellentiam panis de cælo, panis Angelorum, omnem in ſe continens dulcedinem atque ſuauitatem. Expende, quomodo omnia iſta encomia verè & propriè huic diuino cibo conueniant. Ille enim ſe veris Iſraëlitis donat ad veſcendum, qui de poteſtate Pharaonis erepti, & profugi ex Ægypto, per mare rubrum Pœnitentiæ, ac huius vitæ ſpiſſam ſolitudinem tendunt ad veram terram promiſſionis: ille cibus eſt his queis defecit farina Ægyptia, conſolationum ſcilicet terrenarum refectio. *Hic*
Ioan. 6. *eſt panis qui de cælo deſcendit, non ſicut manducauerunt*

patres

patres vestri manna. Non enim Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Hic est panis Angelorum, factus cibus omnium. adeò, vt & Dei cibus dici possit, quamuis dispari nobiscum ratione. Quòd autem ille contineat *omne delectamentum, & omnem dulcedinem, & saporis suauitatem,* ei proprijssimè conuenit. nam vt dicit S. Thomas: *Suauitatem huius Sacramenti, nullus exprimere sufficit, per quod spiritalis dulcedo in suo fonte gustatur.* Sap.16. S. Thom. in off corp. Christi.

Meritò cum Sapiente exclamabis: *O quàm suauis est, Domine, spiritus tuus in nobis, qui vt dulcedinem tuam, quam habes, in filios demonstrares, pane suauissimo de cælis præstito reples eos, habente in se omnem dulcedinem, & omnis saporis suauitatem.* Et cum Psalmista: *Panem cæli dedisti nobis, panem Angelorum manducauit homo.* Sap. 12. & 16. Psalm.77.

Tertiò considera proprietates & conditiones cibi; quæ sunt, sustentare & conseruare vitam, reficiendo quod consumitur ex humido radicali: vegetare & augere corpus: ad laborandum solidare: famem pellere appetitu sedato: gustum delectare. Qui effectus vt producantur, est necessaria dispositio & calor in stomacho, vt cibus digeratur: si enim hic deficit, corpori infertur damnũ, & mali procreantur humores. Attende porrò, quàm rectè hæc conueniant cibo huic cælesti: ille enim largitur, conseruat & sustentat vitam spiritalem: *Panis enim Dei est, qui descendit de cælo, & dat vitam mundo.* Vnde, quia dat vitam & eam conseruat, panis vitæ vocatur. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis* Tertia consideratio.

bebitis

bebitis vitam in vobis. Hic incrementum addit virtuti & sanctimoniæ. per hunc restauratur, quidquid calore noxio deperditur, mala scilicet inclinatione: & reparatur, quidquid deprauata consuetudine amittitur. Vires confert ad sufferendos labores, & reprimendos dæmonum impulsus.

Psalm. 22. *Parásti in conspectu meo mensam, aduersùs eos qui tribulant me.* Et,

1. Reg. 19. *Elias ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb.* Hic vnus, mitigare potest omnem animæ appetitum, & excludere famem ac desideria rerum mundanarum, quæ temporibus gubernantur, & breui intercidunt. Quod

August. tract. 26. in Ioan. affirmat S. Augustinus: *Cùm cibo & potu, id appetant homines, vt non esuriant, neque sitiant hoc verè non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit.* Etenim delicias & suauitatem, quam ille in animæ palato gignit, solus ille poterit effari, qui gustârit. At hoc certum est, præ istâ dulcedine, cuncta huius mundi irritamenta, videri insipida atque iniucunda. Est quippe manna absconditum, *quod nemo scit, nisi qui accipit.* est vera mentis suauitas & refectio. Denique cibi habet proprietatem, vt necesse sit bonam esse dispositionem in stomacho, calorem caritatis, & considerationis digestionem: conformiter enim ad hæc, fructus, atque emolumentum consequitur.

Affectus ad Missam. Itaque celebraturus, existima animam tuam fame esse afflictam, omninò infirmam & debilem, vt vel gressum figere non possit, fatigatam laboribus vitæ, plenam amaritudine atque tristitiâ; porrò hunc cibum, vt hæc damna reparentur,

(…)um esse, qui mederi possit. Considera te à
Christo inuitari, qui dicat: *Venite ad me omnes* Matth. 12.
qui laboratis, & ego reficiam vos. Accede & excusa
t, cùm inuitet omnes eos qui fatigati sunt &
onusti, te etiam adrepere depressum peccatis, va-
rioque fatigatum impulsu, vt fruaris spiritali re-
fectione, quam ille afflictis atque laborantibus
pollicetur. dic autem: *Domine, semper da nobis pa-* Ioan. 6.
nem hunc. Panem nostrum quotidianum supersubstantia- Matth. 6.
lem da nobis hodie. Cumque ille miseratus sit eos,
qui per desertum sequebantur, & dixerit: *Dimit-* Matth. 15.
tere eos ieiunos nolo, ne fortè deficiant in via; ora vt te-
cum agat similiter, nec patiatur te aridum & ie-
iunum ab hac mensâ recedere.

Post Missam recordare, quòd à filijs Israël, ob Post Missam.
missum manna, voluerit Deus, sibi gratiæ redde-
retur. præcepit enim, vt vase conclusum ponere-
tur in arca ad memoriam sempiternã. memineris
etiam quanto furore sit accẽsus, quòd cũ fruerẽ-
tur hoc edulio nobilissimo, crudos eosque vilissi-
mos Ægypti cibos appetierint. Gratias illi refer
agẽtes, quòd amore ductus maximo, vsus sit om-
ni sapientiâ & potestate, vt institueret suaue hoc
hominibus Sacramentum, volens ipsis arctissimè
communicari. Age item gratias, quòd te parti-
cipem fecerit. Veniam pete, quòd eum toties ac-
ceperis indignè, quòd sæpiùs, defectu dispositio-
nis, carueris fructu vberrimo, sæpiùs etiam tan-
tum beneficium malè collocâris. Roga, cùm ci-
bus sit verus & proprius, omnem in te cibi effe-
ctum producat: (quem recensebis, prout tertio
puncto continetur) atque in te gignat bonos co-
gitatio-

gitationum humores: te in se transformet, vt iã
Ioan. 6. per te non viuas, sed per ipsum. *Qui manducat me, viuet propter me.* impleat in te vnionem illam, quam ipsemet significauit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Cùm verò ad huius institutionem Sacramenti permotus sit amore erga homines vehementissimo; aliquam tibi huius amoris partem offerat, vt eum perfectè ames, semperque cum eo sis caritate coniunctus. Et sicut duo Discipuli eũ cognouerunt in fractione panis: ita in diuina hac panis communione aperiantur mentis oculi, vt
Luc. 24. & tu cognoscas, & dicas: *Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?*

Admirare vehementer, cùm toties hoc cælesti cibo pascaris, anima tua debilis permaneat atque infirma. certoque tibi persuadeas te in causa esse, si non digeras illum calore caritatis, & exercitio considerationis. Postula, vt, cùm tibi Dominus talem cibum largiatur, det tibi etiam calorẽ atque considerationem: & caue plurimùm appetas aut procures, delicias viles cõsolationum terrenarum. Aduerte, quòd filios Israël, cùm farinâ fructuque terreno vescebantur, defecit cibus cælestis, quo & deinceps caruerunt. Præ omnibus
Ioan. 13. verò metue, ne & tibi contingat, quod Iudæ: *Post buccellam, introiuit in illum Satanas.* Ita credendum est, si non adsit debita dispositio, tibi fore in ruinam, quod futurum erat in emolumentum. Nam *qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.*

DIE

DIE VENERIS.

Consideretur vt FONS AQVÆ VIVÆ.

HOc die excitatus, existima à te audiri hæc verba Isaiæ: *Omnes sitientes venite ad aquas, &* Isai. 55. *qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione, vinum & lac.* Considera teipsum velut ambulantem æstate feruente per deserta calidissima, siti confectum: & crede maiorem esse sitim, qua animus Deo inhiat, qui hoc vno potest saturari. Etenim quantâ alacritate sequereris inuitantem, qui te ad fontem dulcissimum & frigidissimum esset ducturus? hoc affectu surge, dicens: *Quemadmodum* Psalm. 41. *desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.*

Primò considera, quanto Deus feratur desiderio, vt ab hominibus ametur; quandoquidem sibi omnes attribuat titulos, quibus eos ad amorem suum inuitet. Et quia illi, qui vehementer sitiunt, maximè sibi exoptant aquas & fontes, se fontem aquæ viuæ appellat. Ita per Ieremiã: *Me* Ierem. 2. *dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* Et in Psalm. 35. Psalmo: *Apud te est fons vitæ.* Et in Apocalypsi: *Ego* Apoc 21. *sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* Ac de Christo per Zachariam speciatim prædictum est: *Erit fons* Zach. 13. *patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoru & menstruatæ.* Quin ipse Saluator, quamuis esset siti languidus, Samaritanam inuitat

Prima cõsideratio.

Ioan. 4. tat ad aquas: *Si scires donum Dei, &c. ipse dedisset tibi aquam viuam.* Et subijcit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Denique *in die magno festiuitatis* clamauit ipse Dominus:
Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

Secunda consideratio. Secundò considera, animam tuam esse hortum, qui varijs, pulcherrimisque florum stirpibus abundet: esse tamen periculum, ne breui omnes, quòd iam penè marcidæ sint, moriantur siccitate. Per aquam verò reuirescit omnis pulchritudo, & flores fructusque producuntur. ita scriptum
Iob 14. est: *Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant: si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cùm primum plantatum est.*

Tertia cōsideratio. Tertiò considera, quàm multos effectus aqua producat. sitim extinguit, & reficit sitientes. quod sordidum est, emundat; quod siccum, irrigat; æstuantem refocillat; flammas restinguit; plantarum radices, vel mortuas, elicit ac producit.

Affectus ad Missā. Vnde celebraturus, loquere ad Dominum, cùm sit fons viuus, & ad se inuitet omnes qui sitiunt, & tu maximè sitias; auferat à te sitim & desideria rerum temporalium, augeatque in te & accendat sitim eorum, quæ æterna sunt, & quorum animus cogitatione, incredibili voluptate perfūditur: de
Eccl. 24. qua dictum est: *Qui bibunt me, adhuc sitient*: &, *Bea-*
Matth. 5. *ti qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Indica illi hortum animæ tuæ præ aquarum penuria arescere, plātas

tuas

…as languidas esse atque exustas: *Ecce anima mea* *Psal. 142.* *…cut terra sine aqua tibi.* Te cœno peccatorum o-litum, indigere munditiâ, cùm ipse sit fons *in ab* *Zach. 13.* *…itionem peccatoris & menstruatæ.* Te siccum esse sine …euotionis affectu: *Quis dabit capiti meo aquam, &* *Ierem. 9.* *…culis meis fontem lacrymarum?* Exstinguat in te con-…upiscentiæ flammas, libidinis, omniumque ma-…orum affectuum, mitiget ardores, ac fateare te id-…rcò ad celebrandum accedere.

Post Missam, existima quòd in sacratissimis *Post Missam.* …hristi vulneribus refectus sis, ac sitim tuam …estinxeris fonte diuino. *Haurietis aquas in gaudio* *Isai. 12.* *…fontibus Saluatoris.* Puta à te haberi eundem …ontem viuum, & eundem qui te inuitauit, qui …bi fontem ostendit: vnus enim idemque est. …ratias illi age pro beneficio accepto. Ora, igno-…at quòd tam negligens fueris in fonte illo per-…uirendo: quòd toties tàm solicitè vestigâris …quas sordidas & putentes, consolationum ter-…enarum, quæ animæ sitim non mitigant, sed ac-…endunt. Obtestare iterum, iterumque, vt in te, …icut opus erit, omnes aquæ producat effectus: *…aua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana …uod est saucium, & extingue ardorem totius carnalis …oncupiscentiæ.* Fruere bonis à Deo concessis, aquâ …itæ satiare: per hanc refocilleris, totamque men-…em tuam irriga abundanter. Aduerte, vt terra …uæ dudum caloribus exurebatur, cadentem a-…iquando pluuiam tam auidè absorbeat, vt tota …uasi os vnum efficiatur. In hoc fonte teipsum …peculare, omnes tuos defectus turpitudinesque …onsidera singulatim, ac propone constantem

emendationem. Ad hoc fauorem & gratiam pete illius qui te ad fontem inuitauit. Afficere verecundiâ, quòd circum vndique arbores fructiferas contempleris, & vide quâ religione adstringaris, vt sis *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Quòd plantatus sis in Ecclesia, vt nobilibus Sacramentis continuò irrigeris. Denique cum timore rumina hæc verba Apostoli: *Terra sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.*

Psalm. 1. *Hebr. 6.*

Hoc die sæpiùs ingemes: *Domine, da mihi aquam viuam, vt non sitiam ampliùs*; vt fugiam cloacas immundas terrenarum consolationum. Dices etiam Psalmum: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.*

Ioan. 4.

DIE SABBATHI.

Consideretur vt SOL, *&* LVX VERA.

HOC die excitatus, audi Isaiam: *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Et Apostolum: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

Isai. 60. *Ephes. 5.*

Existima, quòd fueris plures annos in obscurissimo conclaui, *sedens in tenebris & vmbra mortis* quodque ad te vox delabatur: Ecce illuminabi-

Sol· Exurge alacer, vt lucem hanc clarissimam intuearis.

Primò considera, quòd Christus sit vera lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Sol iustitiæ: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Et Zacharias testatur, quòd Christus venit *Oriens ex alto: illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Et Simeon de Christo ait: *Lumen ad reuelationem Gentium.* Ipse verò clarissimè: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Prima consideratio. *Ioan. 1.* *Malac. 4.* *Luc. 1.* *Luc. 2.* *Ioan. 8.*

Secundò considera, quàm triste sit, & quàm periculosum, versari in tenebris. Porrò sine hoc diuino Sole, omnia tenebris sunt plenissima, plena obscuritate mortis: *Qui non manet in illo, in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Et in Prouerbijs: *Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.* Secunda consideratio. *1. Ioan. 2.* *Prou. 5.*

Tertiò considera, varios effectus Solis, vt mentem eleues ad ea, quæ spiritaliter in anima Christus producit. Tertia consideratio.

Sol illuminat res omnes, sint albæ, sint nigræ, quo deficiente omnibus tenebræ offunderentur, nec illarum cognosceretur momentum aut pulchritudo. Secundò, quæ per noctem tristia sunt & obscura, per Solem lætitia quadam clarescunt: Tertiò, quod frigidum est, calore accenditur, glacies resoluitur, quod durum est mitigatur. Quartò, pluuiam Sol producit, qua terra fecundatur, quam & ille suo influxu aptat ad frugem educendam. Quintò, plantas radicesque elicit, flores fructusque producit. Sextò, in abditis terræ venis Effectus Solis.

aurum lapideſque pretioſos gignit. Denique in omnibus mirabilia operatur: adeò vt, ſi qua in herbis, lapidibuſque, occulta vis deprehenditur, Solis attribuatur virtuti, qui in eiuſmodi naturalia ſuo influxu dominatur.

Affectus ad Miſſam. Pſal. 33. Ioan. 3. Iſai. 58.

Vnde celebraturus, conſidera te ipſum, velut ad Solem accedas, vt lumine eius & calore perfruaris: *accedite ad eum, & illuminamini. Qui facit veritatem, venit ad lucem. Implebit Dominus ſplendoribus animam tuam, ſi glorificaueris Dominum.*

Poſt Miſſam.


Poſt Miſſam, puta Solem animæ tuæ cubili incluſum eſſe. Ecce quàm clara erit, quàm pulchra quàm inflammata, quàm plena cæleſtium diuitiarum influxu. Gratias illi immenſas age, quòd luce ſuâ te illuſtrarit, & dic: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Ora, vt effectus omnes in mente tua producat, quos Sol in viſibilibus operatur. Illuminet te lucis ſuæ radijs, quibus omnes animæ tuæ angulos perluſtres, & bonum à malo pulchrum à turpi diſcernas. Oſtendat tibi omnes atomos culparum minimarum, quas pro nihilo hactenus duxiſti. *Deus meus, illumina tenebras meas: illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Splendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens, lux lucis & fons luminis dies diem illuminans, veruſq; Sol illabere micans nitore perpeti, iubarq; ſancti Spiritus, infunde noſtris ſenſibus Illumina nunc pectora, tuoq; amore concrema. O lux beatiſſima, reple cordis intima, tuorum fidelium.*

Iſai. 9. Pſalm. 17. Pſalm. 12. Pſal. 42.

Obſecra porrò, animæ tuæ infundat ſpiritalem illam alacritatem, quæ effectus eſt gratiæ, & do-

num Spiritus sancti: *Redde mihi lætitiam salutaris tui. Lætifica animam serui tui.* Frigiditatem tuam accendat in amorem sui; glaciem & asperitatē cordis tui obfirmati dissoluat; animam sterilem fecundet; exustam caloribus irriget; in eam denique copiosum lacrymarum imbrem effundat. Virtutum plantas eliciens, gemmare faciat ac producere flores, fructusque bonorum operum & exemplorum. Mille diuitiarum cumulos in animæ tuæ penetralibus congerat, donorum suorum gratiam impertiendo. Denique agat, vt solet, influendo particulari auxilio & fauore, vt in omnibus, quæ ad cultum eius spectant, inueniaris aptissimus. Qua fiducia dices: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo.* Et diligenter aduigila, vt commodum ex eius luce & influxu capias. Nam licet Sol sua influat virtute, & ad omnes res naturales cōcurrat; nisi tamen causæ particulares se ad operandum applicent, cum isto concursu, nullus sequetur effectus. Quid prodest lucere Solem, si claudas oculos, nec fenestras, vt lumē subintret, aperias? Caue ne inter eos censearis, de quibus dicitur: *Ipsi rebelles fuerunt lumini.* Et de quibus conqueritur ipse Dominus: *Quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: erant enim mala eorum opera. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non manifestentur opera eius.*

Psalm. 50. *Psalm. 26.* *Iob 24.* *Ioan. 3.*



CAPVT VIII.

Quid faciendum sit immediatè, ante & post Missam.

Accedat Sacerdos cum actu humilitatis & obedientiæ.

COnetur Sacerdos antè, & ipso tempore, quo celebraturus est, in actibus cùm obedientiæ, tum humilitatis se exercere. Ad humilitatem quidem se excitet, se indignum confitendo, qui accedat ad Dominum tantæ maiestatis, & compareat in eius conspectu, nedum recipiat: nimirum quòd sit vilissimus vermis terræ, puluis & cinis. Ad obedientiam verò, testando, quòd si audeat recipere ipsum Deum, sit ex eius præcepto, qui ita velit, vt Sacramenta recipiantur: cuius cùm intelligat voluntatem, atque in hoc ipsum delectari, se audere, aliàs non ausurum.

§. I.

De consideratione, qua sacris se vestibus induere Sacerdos debet.

CVm se vestiet ad Missam Sacerdos, existimabit se præparari ad celebrandum sacræ Incarnationis mysterium: in qua videtur Saluator noster, Verbum Patris, se exspoliâsse maiestate suâ, & circumdedisse sibi panniculos humanitatis nostræ. *Cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quâ consideratione orabis: *Domine Iesu Christe, qui tegumen nostræ immortali*

Phil. 2.

Oratio, cùm sacræ vestes induuntur.

ilitatis induere dignatus es, obsecro te per mysterium S. Incarnationis tuæ, vt exuas me veterem hominem cum omnibus actibus suis, cum vitijs & concupiscentijs, & indu- me nouum hominem, qui secundùm te Deum meum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis, vt adimpleatur in me, quod Apostolus tuus præcepit, dicens: Induimini Dominum Iesum Christum.

Consideret Secundò, se inuitatum esse ad nuptias Christi & Ecclesiæ, atque his se indui ornamentis, ne inueniatur *sine veste nuptiali.* Se venisse ad domum parentis velut alterum prodigum, omnino nudatum ac derelictum, cùm omnes opes dissipârit: exceptũ verò esse à Patre pijssimo magnâ eiusdem lætitiâ, qui dixerit: *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Ora, det tibi omne, quod externis illis vestibus significatur, tunicam nuptialem caritatis, & stolam primã sanctitatis atque innocentiæ: *Vt Sacerdotes eius induantur iustitiam, & Sancti eius exultent.* Luca 15. Psal. 131.

Considera Tertiò, quomodo, vt Isaac benedictionem impertiret filio Iacob, quæ erat primogeniti, & magis dilecti, mater eũ induerit vestibus pretiosis Esau: *Et statim vt sensit pater vestimentorum fragrantiam,* benedixit illi: & fuit benedictus. Igitur existimet, quòd optima mater Ecclesia conferat vestes primogeniti Christi, qui Filius est Patri maximè dilectus, vt sit ei acceptus, & similis filio amãtissimo, cuius personam repræsentat, benedictionis munus adipiscatur. Enimuerò conformiter ad hanc considerationem, quamuis vestes Sacerdotales, multas habeãt & mysteriosas significationes virtutum, quibus internè

Sacerdotis anima debet exornari: quia tamen de his suprà latè diximus; modò benè ad propositum intelligemus vestes, seu instrumenta Passionis Christi. hæc enim potissimùm in hoc mysterio consideranda est: & quia ista consideratio facilis est & communis.

Tract. 2. c. 4 5 & 6.

Amictus. Amictus, significat velum, quo os Christi in passione opertum fuit. Cùm id capiti impones, obsecra per immensam caritatem, quâ hoc ludibrium pertulit, det tibi quod in oratione postulat Ecclesia: *Impone Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos omnes diabolicos & humanos incursus.*

Alba. Alba, significat vestem candidam, qua Saluator à rege Herode per contemptum indutus est. Cùm hac indueris, ora, per contumeliam, quam hîc passus fuit: *Dealba me, Domine, & munda cor meum, vt in sanguine Agni dealbatus, gaudijs perfruar sempiternis.*

Cingulũ. Cingulum, significat flagra, quibus toto corpore compunctus fuit. Ora per acerrimos dolores, quos tunc pertulit: *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, & exstingue in lumbis meis humorem libidinis, vt iugiter maneat in me virtus continentiæ & castitatis, ac veræ mortificationis.*

Manipulus & Stola. Manipulus & Stola, significãt vincula, quibus constrictus est Saluator, tàm in manibus, quàm in collo. Postula, propter horum venerationem: *Merear, Domine, portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione percipiam mercedem laboris.* Et ad Stolam: *Redde mihi, Domine, stolam primam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatione primi parentis.* Ac pote-

poteris ſubiungere quolibet modo: *Abſolue, Domine, vincula peccatorum meorum, quia funes peccatorum circumplexi ſunt me, & constringe me vinculis mandatorum & conſiliorum tuorum: vt omnes animæ meæ vires voluntati tuæ perpetuò adhæreant: ne vnquam ad lubricam carnis ſectandam libertatem meâ culpâ laxentur.*

Caſula ſignificat veſtem purpuream, qua Dominus indutus fuit, tanquam Rex opprobrij & illuſionis. Obſecra, per ignominiam, quam tunc paſſus eſt: *Domine, qui dixiſti, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: fac vt iſtud portare ſic valeam, quòd conſequar tuam gratiam.* Ac pro arbitrio ſubnecte: *Indue me, Domine, veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumda me: vt congruis decoratus ornamentis, ſacroſancta myſteria tua digne celebrare valeam.* Caſula.

Indutus ſacris veſtibus, eleues mentem in Deum, & obſecra, non attendat ad eum qui hiſce induitur, ſed ad illum quem repræſentas, & cuius hæc ſunt ornamenta: ac per amorem, quo erga illum fertur, impertiat tibi benedictionem Filij maximè dilecti. Quo affectu ad altare procede, vbi ea attentione, grauitate, deuotione, verſeris, quâ declaratum eſt.

§. II.

Exercitium ordinarium, poſt Miſſam.

POst Miſſam Sacerdos conetur ſemper in his quatuor punctis ſe exercere, plus minúſue temporis inhærens, prout opportunitas edocebit. Primò, gratias agat pro beneficijs acceptis. Secundò, veniam roget ob defectus commiſſos. Tertiò, cale- Quatuor poſt Miſſam exercenda.

cælestem sibi gratiam deprecetur. Quartò, offerat Patri Filium, cum omni cumulo meritorum.

Quæ gratiæ Deo agendæ.

Quoad Primum, sub Missa considerare eum oportet, quàm sit sufficiens ad reddendam Deo gratiarum actionem, pro tam immenso beneficio. vnde omnibus votis exoptet, vt pro hoc eum collaudent omnes creaturæ, & ad dandas gratias opitulentur. Offerat Deo omnes laudes, quas iam inde à mundi principio illi dederunt, quasque daturæ sunt in longissimam æternitatem.

Primò quidem illas, quas dixit sacratissima Saluatoris Humanitas in puncto incarnationis, totoque vitæ decursu, & maximè cùm hoc Sanctissimum condidit Sacramentum: quia tunc optimè cognouit grande beneficium, quod tam in vno, quàm in altero homines recipiebant. Vnde videns nullos sufficere pro reddenda gratiarum actione; ipse velut caput totius generis humani, omnium nomine gratias retulit, & perfectissimas laudes Patri æterno, atque Sanctissimæ Trinitatis.

Secundò illas offerat, quas dedit Saluatori sacratissima Deipara, cùm eum suis ipsa visceribus concepit, & quas toto vitæ suæ curriculo, potissimùm quoties sublatum in cælos in Sanctissimo Sacramento excepit.

Tertiò, quas dederunt omnes Sancti & Sanctæ, dum in terris versati sunt, in sumptione eiusdem Sacramenti: & præcipuè, quas nunc refert in gloria omnis exercitus Beatorum.

Quartò, illas quas in mundo ij, qui ritè & cum fructu, Sanctissimum excipiunt Sacramentum. Harum laudum participem se faciat tanquam mem-

membrum Ecclesiæ, atque desideret vehementer Dominum laudare omnium cordibus atque linguis, & fateatur quamuis cunctorum vnus daret, pro se tamen imparem ac debitorem tantis meritis, tantæque bonitati; *Quia maior omni laude.* Pro quo defectu supplendo, optet, vt ipse Deus seipsum amet & laudibus prosequatur. Solus enim est, qui id affatim præstare possit.

Quoad Secundum punctum, humillimè roget veniam omnium delictorum: præcipuè, quòd sæpiùs illum indignè receperit in Sanctissimo Sacramento. ac singulatim de modicâ dispositione, qua nunc eum excepit, deque omnibus defectibus, quos in Missa commisit.

Quoad Tertium punctum, ea petat beneficia, quæ labores maximè, quibus affligitur, leuare possint. Petat confidenter omne id, quod voluerit: quia ille nihil negabit, qui se in cibum dedit. Quando autem nihil sciet in singulari petere, obsecret Deum, cùm nouerit ipse fines, ob quos hoc Sacramentum institutum est, & effectus qui hoc mediante in anima produci possunt, ipse hos in mente peccatoris operetur, prout ei videbitur conuenire, nec permittat, vt vel defectu dispositionis fructu careat Sacramenti.

Quoad Quartum punctum, aduertendum est, quòd in Sanctissimo Sacramento Christus Dominus seipsum consignet, in potestatem recipientis omni cum thesauro meritorum, adeò vt, quidquid fecit ipse, & passus est, tunc ille possideat tanquam rem suam. non enim minùs nostrum est quod datur gratis, quàm quod nostris laboribus com-

Aduertentia notabilis.

comparamus. Ac secundùm hoc, cùm thesauro tam ingenti potiatur, iustum est eum offerat æterno Patri, vt defectus suppleantur, sibique certò persuadeat, nihil æquè gratum acceptumque diuinæ Maiestati esse posse: vt suprà declaratum est. Cùmque hoc maximè referat, visum fuit hîc rectè subiunctum iri formam offerendi, quâ ad hoc melior excogitari non potest.

Tract. 1. cap. 9.

Oratio, quâ Christus æterno Patri offertur.

DOMINE DEVS, Pater sanctissime, qui per abundantiam caritatis tuæ dedisti nobis Vnigenitum Filium, *vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: & vt thesauro meritorum ipsius, nostri suppleantur defectus: Ego miserrimus peccator, sed tuâ misericordiâ fidelis Christianus, & seruus Domini Iesu Christi, velut Ecclesiæ membrum, hunc recepi, & meo illum in pectore complector, tanquam rem meam & mihi coniunctam: atque vt talem in vnione caritatis, quâ seipsum largitus est, & obtulit pro nobis in cruce, & se dat modò, & communicat in hoc Sacramento, tibi eum offero, cum omnibus meritis atque virtutibus, in æternam gloriam & laudem, ac infinitam gratiam & beneplacitum tuum: *Vt in illo tibi perfectè complaceat: vt qui tibi placere de actibus nostris non valemus, dilectissimi Filij tui meritis & patrocinio, perfectè tibi placeamus.* Offero tibi, Pater sanctissime, omnem eius caritatem, religionem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, mansuetudinem, patientiam, cum alijs omnibus virtutibus, quibus præditus fuit, vt illis totum, quod

Ioan. 3.

mihi

mihi deficit, suppleatur. Cumq; ego tibi debitas nequeã gratias agere, pro beneficijs in me collati, offero tibi omnes laudes quas ipse dedit, cùm in vita nobiscum versaretur, & quas tibi nuncsonat in gloria: cumque parum satisfacere queam pro peccatis; offero tibi omnes eius labores, ieiunia, vigilias, fatigationes, orationes, quidquid denique fecit, aut pertulit, à primo instanti conceptionis, donec expirauit in cruce: omnes dolores ac tormenta passionis, omnem sanguinem pro me effusum, omnia vulnera pro me accepta, ac mortem pro me toleratam. Hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam spem reposui; hæ sunt diuitiæ, quas offero in satisfactionem debitorum. Aspice, Domine, os Christi tui: & cùm sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi benè semper complacuit, qui nunc mihi est intimè conglutinatus; supplico tibi, me quoque aspicias misericordiæ tuæ oculis. Sub eius protectione & tutelâ, sub vmbrâ meritorum ipsius compareo coram te, vt illum primò aspiciens, me clementer ac benigè intuearis, tanquam rem eius, & seruum iuratum. Ne permittas, vt pereat illa anima, quæ toties in se excepit Filium tuum; aut vt illa ab hoc vnquam separetur, per infinitam tuam misericordiam & pietatem. Amen.

Subiũget postulata pro libito: ac certus sit, qui Filium dedit, nihil negaturum. Similiter qui recipit à nobis munus tam immensum, tamque acceptum, quod hîc offerimus, an non talionis vice reddet omne quod petierimus, si ad suam gloriã, nostramque salutem, pertinebit?

Hæc

Hæc quatuor puncta valdè consideranda sunt: quibus ruminandis, plus minusuè temporis impendet, prout opportunitas edocebit, applicando ea ad particularem considerationem, in qua se illo die speciatim exercebit.

CAPVT IX.

Ponitur forma & modus generalis, instituendi Memento, & offerendi sanctum Missæ sacrificium, pro quibus debet offerri, aut pro quibus Sacerdos ordinarit.

In Missa thesauri infiniti.

IN sanctissimo Missæ sacrificio, includuntur infiniti thesauri cælestium diuitiarum: in illo enim continentur omnia Christi merita, quæ infinita sunt, nec vllo limite circumscribuntur. quorum in Missa habet potestatē Sacerdos, vt ex arbitrio applicet ad quemlibet finem, & pro quorumcunque salute. Vnde securo animo liberalis esse potest in applicando hoc thesauro, nec timeat eum minuendum esse, aut minoris fore vtilitatis, quamuis pluribus vno eodemque sacrificio applicetur. Ex quo inferri quis nō videat, eos Sacerdotes non effugere reprehēsionem, qui hîc parci sunt, ingentesque diuitias breui termino circumscribunt? & contrà dignos esse maximis laudibus, qui largi sunt, tamque grandia proximis suis bona largiuntur, alieno, non suo labore comparatâ, quæ quantumuis multis communicentur nihil

Cauenda illiberalitas in applicando.

nihil ex suâ virtute aut efficaciâ deperdunt? Quapropter vt nôrint Sacerdotes, & habeant in promptu methodum, quâ facilè pluribus rebus, tũ generalibus, tum particularibus, applicent hoc diuinum sacrificium, ne per ignorantiam proximos ingentibus bonis, quæ eis possunt conferre, priuent; rectè me facturũ existimaui, si methodum quandam subnecterem, quâ dirigantur, aut saltem huius exemplo alteram instituãt, prout singuli magis expedire iudicabunt. Pro quo, necessariò quædam sunt consideranda.

Nil refert quis primò, quis secundò ponatur in Memẽto.

Primò, rem esse nullius ferè momẽti, (cuius religione plures ducuntur) quos primo, quos deinde, & vltimo loco in Memẽto ponas. Sufficit à Sacerdote haberi intentionem directam, offerendi sacrificium iuxta leges iustitiæ & caritatis: eâ formâ & ordine, quo Christus eum vult applicare, & velut applicari volent qui id petierint. Quantum igitur ex suâ parte, intẽtionem habeat satisfaciẽdi illis integrè, pro quibus ex obligatione offert ratione stipẽdij, aut eleemosynæ acceptæ, aut promissione obstrictus: atque applicet ex sacrificio, quantum ipsis debetur. Ac sine horum detrimento, offerre poterit & applicare pro pluribus, & ad plures fines, vt libuerit. Nec limes hîc aliquis definiendus est: si enim pro pluribus fiat, melius est: sicut quando intentio est pro omnibus ac singulis speciatim, velut si pro vno tantùm offerret, optãs vt eis totum sacrificium aut illa pars saltem, applicetur, quæ licitè, & sine aliquo alterius incommodo, poterit. Hac intentione & affectu, securus celebrabit pro omnibus, tam viuis quàm defun-

ctis, & ad plures fines, certus ob tantam multitudinem nihil minùs prodesse. Vnde nullius esse momenti deprehenditur, quis primò, qui vltimò ponantur: hoc enim solùm ad ordinem cõducet. Quilibet se huic conformabit ex deuotionis affectu, aut iuxta id quod melius ei videbitur, aut memoriam conseruabit. Tantùm consulo omnibus Sacerdotibus, liberales sint in offerendo sacrificio, pro omnibus causis generalibus & particularibus, vnde aliquis possit fructus dimanare; affectum, deuotionem & desiderium, applicando, vt singulis particulariter applicetur modo iã dicto. Etenim fideiussor sum, nihil eum pro quo offertur, perdere, nec offerentem.

Multis applicandus est valor Missæ.

Secũdò notandum est, quòd licet hæc methodus instituendi Memento, prolixior sit; percepta tamẽ ipsius substantia, punctisque siue articulis, qui ea continẽtur, reductis ad ordinem, facilè instituetur. At supposito communiter tantas moras non trahi, quæ iuxta hanc methodum essent trahendæ; poterit, & iustum est vt alterâ horâ, secũdùm ordinem hîc positum, Memento formetur, prout cuique erit opportunum, deinde in Missa illuc se remittat. Si verò singulis diebus id facere non possit, saltem aliquoties in septimana, & reliquos dies remittet ad postremam vicem, qua extensiùs applicauit. Porrò attendet maximè, vt ad singulos aut singula in particulari affectũ extẽdat.

Tertiò notandum est: etsi non liceat Missam offerre pro hæreticis & schismaticis, quòd excommunicati priuatiq; sint Ecclesiæ suffragijs; licitũ tamen est, atq; opus magnæ caritatis, dicere Missam

Qui orandum in Memẽto, pro hæreticis & infideli-bus.

ſan & offerre ſacrificium, atque orare in Memẽto pro conuerſione omnium infidelium, attendendo principaliter ad exaltationem fidei Catholicę, augmentum Eccleſiæ atque proſperitatem: & pro hoc Deum obteſtari, illuminet & conuertat cunctos infideles, tam hæreticos, quàm paganos, Iudæos & ſchiſmaticos, reducatque illos in ſinum Eccleſiæ, ac mittat prædicatores veritatis: promoueat Euangelij promulgationem atque conuerſionem Gentium : conformiter ad id, quod Diſcipulis ſuis dixit Chriſtus: *Rogate Dominum meſſis vt mittat operarios in meſſem ſuam.* *Luc. 10.*

Sequitur Memento, ſeu forma offerendi ſacrificium pro omnibus, pro quibus poteſt & debet offerri.

DOMINE DEVS Omnipotens, Pater æterne, qui cum Vnigenito tuo & Spiritu ſancto, in Trinitate perfecta vnus es Deus viuus & verus: qui per tuam infinitam caritatem dediſti nobis Vnigenitum Filium tuum, atque vt hic offerretur pro ſalute generis humani, voluiſti. Ego pauper & miſer peccator, ſed tuâ gratiâ fidelis Chriſtianus, tanquam membrum huius corporis myſtici, quod eſt Eccleſia, & in nomine eius; & velut miniſter ipſius, in gradu mihi conceſſo, conformante me generali intentioni totius Eccleſiæ, offero tuæ diuinæ Mnieſtati hoc ſanctum ſacrificium, & omnia quæ in hac horâ toto mundo offeruntur, etiam & omnia, quæ à primâ inde inſtitutione vſq; nunc oblata ſunt. In vnione iſtius infinitæ caritatis, quâ ipſe nobis dediſti Vnigenitum tuum: & huius

Cui offertur ſacrificium.

Quis offert.

huius SS. sacrificij, quod Filius tuus ipsa oblatio in cruce immolauit. Ita offero, quoad mihi datum

Quid offertur.

est, omne, quod is tunc obtulit, Corpus eius & Sanguinem, quem statim consecrabo, conformiter ad hoc quod pręscripsit, vt in suam memoriam fieret: cuncta ipsius merita & labores, quidquid fecit & pertulit in vitâ suâ, iam inde à cõceptione vsque in mortem. Simulque offero omnia merita SS. Virginis Matris eius, omniumque Sanctorum, quidquid fecerunt, aut perpessi sunt, dum nobiscũ versarentur in terrâ: atq; omnes laudes, quas tibi dederunt, & modò dant in gloria. Similiter tibi offero omnia merita iustorum, qui nunc supersunt in mundo: omnem eorum fidem, spem, caritatem, deuotionem, pœnitentiam & mortificationem, & quidquid horum placet oculis tuæ diuinæ Maiestatis. Cum his omnibus iuncto Ecclesiæ thesauro, ex meâ parte tibi offero omnia facta, dicta, cogitata, totius vitæ meæ, quæ tibi accepta fuerunt, gaudeoque in his aliquid tibi fuisse acceptum: & vellem omnia mea opera & cogitationes fuisse eiusmodi, vt sisti potuissent coram te: sed qualia qualia sunt, ea in altari tuo pono, atque offero.

Ad quos fines offertur.

Totum hoc sacrificium, ita cumulatum, tibi offero, ad maiorem gloriam tuæ diuinæ Maiestati tanquam primum & principalem finem: in cultum supremæ adorationis, & signum honoris atque reuerentiæ, quam par est, creatura debeat creatori. Secundò tibi offero, ad honorem & reuerentiam sacratissimæ Humanitatis Domini mei Iesu Christi, in memoriam & reuerentiam sacratissimæ eius Incarnationis, & Natiuitatis, omniumq; mysteriorum

iter

steiorum vitæ, passionis ac mortis, & gloriosæ resurrectionis atq; ascensionis eius: & ad gloriam & venerationem sacratissimæ Virginis Mariæ matris eius, omniumque Sanctorum & Sanctarum cælestium, præsertim eius Sancti vel Sanctæ, cuius hodie festum celebramus, & cunctorum qui hac die gloria æterna potiti sunt, cuiuscunque status aut conditionis: &, quibus ego ipse maximè afficior, N. N. & ad honorem omnium Spirituum beatorum, Angeli potissimùm Custodis, & generaliter omnium ciuium aulæ cælestis, tam hominum, quàm Angelorum: *Vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedant in cælis, quorum memoriam agimus in terris.*

Pro quibus offertur in generali.

ITAQVE hoc sacrificium offero tuæ diuinæ Maiestati, primò & principaliter pro Domino meo Iesu Christo, in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs concessis isti SS. Humanitati: pro omnibus donis, gratijs & prærogatiuis eidem collatis. Gratias pro his ago maximas & immortales. Porro in gratiarum actionem omnium beneficiorum, quæ sacratissimæ Virgini contulisti, omnibusque Spiritibus supremis, & Sanctis, & iustis in terra, utique generi humano, & generaliter omnibus creaturis. Pro quibus omnibus debentur tibi infinitæ grates, quas tibi ago, & in quem finem à me hoc sanctum sacrificium offertur.

Offero etiam in satisfactionem omnium peccatorũ totius mundi. Et in oblationem pro omnibus necessitatibus spiritalibus & temporalibus

meis & proximorum meorum, sint viui, sint defuncti, iusti, peccatores, fideles & infideles: generatim pro ijs omnibus, pro quibus in cruce obtulit Dominus meus Iesus Christus: in vnione istius caritatis, qua omnes complexus est, & voluit, omnibus prodesset, neminem à participatione meritorum includens. Ita desidero, hoc sacrificium prosit omnibus, nemine excepto: & speciatim his, quibus obstringor, in gradu & ordine mihi concesso, & ea formâ, quâ diuina tua Maiestas postulat sibi offeratur, ac prout magis tibi gratum erit, acceptumque.

Pro quibus offertur sacrificium in particulari.

Pro Missam petente.

PARTICVLARITER offero hoc sacrificium. primò pro his aut illis, pro quibus Missam dico, aut quibus id à me debetur, cum voluntate vt applicetur tantum, quantum ex iustitiâ ipsis obtingit, conformiter ad intentionem & deuotionem, quâ id petiuerunt, aut velut ipse pollicitus sum: sine vllo tamen incommodo eorum, dum alijs etiam hoc ipsum intendo applicare.

Pro his quibus obligatus.

Secundò, in gradu quo possum offerre & applicare, offero pro omnibus, quibus sum obligatus, & nondum vel sponte, vel ex negligentiâ satisfeci: vt per hoc sacrificium, omniaque opera bona, quæ facturus sum, tantum ipsis obueniat, quantum sufficit, omni onere sim expeditus.

Pro seipso & suis necessitatibus.

Tertiò, offero pro me indigno peccatore, misero & egeno, tàm enixè quàm possum, sine aliarum obligationum præiudicio. Et offero in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs acceptis,

tis, generalibus & particularibus, spiritualibus & temporalibus, iam inde à creatione meâ, vsque præsens momentũ: sicut cognoscis me recepisse, tibi gratias ago. Quin hoc sacrificiũ offero in supplementum gratiarũ, quas tibi, quia pauper sum, sufficienter reddere nõ possum. Et in satisfactionem omnium peccatorum meorum, quæ cõmisi à primo rationis exercitio, seu vsu, vsque modò, opere, verbo, cogitatione & omissione, mortalia & venialia: omnia, qualiacunque tandem sint, impono huic sancto altari, vt immensæ caritatis tuæ flãmâ consumantur: vtque omne, quod me deficit quoad veram satisfactionem, suppleatur huius sacrificij infinitâ virtute. Similiter offero in victimam & hostiam salutarem, pro omnibus necessitatibus meis, spiritualibus & corporalibus, vt eius vi & efficaciâ, perfectè me ab omni peccato absoluas, à futuris custodias, libetes à vitijs, passionibus & affectibus effrenatis, & ab omni illo, quod tibi posset displicere, aut ansam aliquando offerret peccandi, aut impediret, quo minùs obsequio tuo perfectè forem mancipatus.

Porrò liberum ab omni malo perficias in omni bono: da veram fidem, caritatem, timorem sanctum, veram religionem, obedientiam, paupertatem, castitatem, & munditiam cordis: cum sapientia, fortitudine, prudentia, temperantia, iustitia, cæterisque virtutibus ac donis Spiritus Sancti. Fac me participem virtutum & gratiarum, quibus illi fruuntur, qui tibi acceptissimi sunt, & fuerunt iam inde à mundi principio. Denique talem me, qualem vis, efficias; & qualem decet esse,

vt ritè hoc munere ſanctiſſimo defungar. Omni mea ad maiorem tuam gloriam dirige, ac conce de, vt in tuâ gratiâ conſtitutus feliciter decedam.

Pro parẽtibus, fratribus, & ſibi confœderatis

Eâdem ratione & formâ, quâ rogaui, & obtu pro me hoc ſacrificium, offero, & rogo pro parentibus meis, fratribus, & ſingulis eorum, ſecundùm ſtatum & conditionem, & neceſſitatem ſingulorũm. Atque in hoc eodem gradu, pro omnibu fratribus meis ſpiritualibus, quibuſcum ſingulariter deuinctus ſum, vt exaudias omnes ipſorum orationes, omnia vota impleas, omnibuſque malis corporalibus & ſpiritualibus medearis.

Pro amicis, benefactoribus, & cõmendatis

Similiter tibi, Domine, ſupplico pro omnibu conſanguineis meis, & amicis, & benefactoribu vt eorum tu ſis præmium, & referas gratias pro omni bono mihi præſtito, opere & voto, ſeu cogitatione. Ac pro omnibus, qui precum mearum au Miſſæ ſuffragia implorârunt, aut quibus id polli citus ſum, iuxta eorum fidem & deuotionem, offero omnia deſideria atque neceſſitates.

Pro inimicis.

Pro omnibus inimicis, qui mihi aliquam iniuriam intulerunt. Ego, Domine, quia ſic te velle cognoſco, remitto omnem iram atque vindictã ipſiſque præſtes omne bonum, quod mihi, meiſq amicis & benefactoribus, oro, vt impendatur.

Pro Eccleſia, & eius augmento & proſperitate.

Supplico, Domine, tuæ diuinæ Maieſtati, ſuſci pe hoc ſanctum ſacrificiũ, pro omni ſtatu Eccleſiæ Catholicæ. Vt in hac conſerues & augeas veram ſinceramque fidem, atq; religionem: eam gubernes & dirigas in omni proſperitate. Eiuſdem inimicos, viſibiles atque inuiſibiles, retũdas. De ſtruas errores, hæreſes, falſitates, ſuperſtitiones

ſcan

ſcandala, quidquid denique illam perturbare poteſt. Et hunc ob finem cuſtodias atque perficias ſtatum S. Inquiſitionis, omnibuſq; eius miniſtris virtutem addas, atque auctoritatem.

Supplico tibi, Domine, pro Summo Pontifice, quem nobis Paſtorem, Prælatum, atque Vicarium tuum conſtituiſti: ſapientiam illi infunde, gratiã, ſpiritum, cæteraſq; virtutes, quæ neceſſariæ ſunt ad populum Chriſtianum ſanctè & religiosè gubernandum. Similiter pro omnibus Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis & Prælatis omniũ Religionum: & generatim pro omnibus Paſtoribus Eccleſiaſticis, ab ipſo Papa, vſque ad infimum Confeſſarium, cui animarum cura incumbit. omnibus ſapientiam, ſpiritum & gratiam infunde, vt ſuis ſubditis ſaluti eſſe poſſint. Pro Pōtifice Max. & Prælatis Eccleſiæ.

Similiter tibi ſupplico pro omnibus Prædicatoribus, Confeſſarijs, Lectoribus & Magiſtris: ac pro omnibus qui doctrinâ & exemplo Eccleſiam ornant, & proximis facem præferunt virtutũ. infunde illis augmẽtũ gratiæ, vt cum ſanctitate doctrinæ coniunctâ, Eccleſiã verbis & opere cõfirment. Pro his qui animarum ſaluti inuigilant.

Supplico tibi pro omnibus Sacerdotibus & Diaconis, atque omnibus miniſtris altaris: vt eis munditiam vitæ & ſanctimoniam largiaris, qua indigent, vt ad gloriam nominis tui dignè munere ſuo fungantur. Pro omnibus Sacerdotibus & miniſtris altaris.

Recordare, Domine, omnium eorum, qui ſeſe in Religione aliquâ tibi deuouerunt: largire ipſis gratiam, vt vitâ honeſtâque conſuetudine, habitu ſuo digni videantur, & profeſſione, quam ediderunt, ac ſtatui ſuo reſpondeant. Pro Religioſis.

Pro omnibus Religionibus.

Aſpice, Domine clementiſſime, oculis tuæ pietatis, ſtatum omnium Religionum: recordare quanto ſpiritu & feruore initio floruerint; recordare Sanctorum, qui eas tuo numine inſtituerunt: cumque ſis omnipotens reforma illas, & reduc ad ſpiritum antiquum ſanctitatis. conſerua eas, auge, & prouide illis de gente ſanctâ, de veris cultoribus, qui in vineâ tuâ operam diligentem nauent.

Pro Regibus, Principibus & eorũ miniſtris.

Supplico tibi etiam, Domine, & Rex clementiſſime, pro ſtatu ſeculari, pro Regibus & Principibus Chriſtianis, conſiliarijs eorum atque miniſtris: pro omnibus Magnatibus, Dominis, Iudicibus, & Primipilis: pro ijs omnibus, qui in ſubditos imperio potiuntur: vt eis des ſpiritum & gratiã, quâ tanquam veri ſerui tui exerceant poteſtatem à te ſibi conceſſam in Eccleſiæ tuæ vtilitatem, cũ ſubiectione, & agnitione Prælatorum ſpiritualiũ & Eccleſiaſticorum.

Recordare, Domine, omnium Regnorum atq; Rerum publicarum, quæ Chriſtianam fidem profitentur. conſerua in illis veram fidem & religionem, pacem, cõformitatem, proſperitatem ſpiritualem & temporalem. defende illas, & cõtra hoſtes nominis tui ſancti clementer tuearis. Specia-tim tibi ſupplico, vt oculis tuæ miſericordiæ aſpicias hæc regna Hiſpaniæ, in quibus tamdiu fidem, & religionem Chriſtianam, inuiolatam atque incorruptam conſeruaſti. Secunda, auge & accumula omnibus virtutibus: prouide, vt his Reges & Principes maneant Catholici, quique virtutem ſibi ſectandam arbitrentur.

Pro noſtro Regno.

Miſe-

Miſerere Regis & Principis, quos modò habemus: da illis ſalutē & omnē proſperitatem, ſpiritualem atq; temporalem: tribue ſapientiam, fortitudinem, religionē, & omnem virtutem: vt velut miniſtri tui, hęc regna feliciter & in pace tueātur. Pro noſtro Rege, & Principe.

Supplico tibi, Domine, pro omni Eccleſiæ ſtatu: pro coniugibus, viduis, virginibus, orphanis, &c. cuilibet ſecundùm ſtatum & conditionem, virtutes addas neceſſarias, vt tibi perfectè & integrè famulentur. Pro omni ſtatu.

Generatim tibi ſupplico, faueas omnibus qui in gratiâ tuâ conſtituti ſunt, ne ex tam felici ſtatu prolabantur. Speciatim eos tibi commendo, qui in tentationibus, periculis, aut occaſionibus peccandi verſantur: da illis fortitudinem, vt nihil eos à te ſeparare poſſit, ipſoſque perfice in omni virtute atque ſanctimonia. Pro omnibus iuſtis.

Recordare, piiſſime Domine, omnium eorum, qui perſecutione aliiſque calamitatibus affligantur, qui captiui, qui maris tempeſtatibus iactātur, itineribus inuiis feruntur, qui pauperes, qui infirmi, & illorum qui particularem aliquam neceſſitatem, corporalem ſiue ſpiritalem, patiuntur. vt cuilibet ſuccurras atq; opituleris, prout tuâ indigent ope atq; ſubſidio. Speciatim his, qui in articulo mortis periclitantur: defende illos contra hoſtium impulſus, libera ab omni diſcrimine, vt in tuâ gratiâ ſanctè defungantur. Vellem, Domine mi, cunctorū ſaluti fortuniſq; conſulere, modò facultas mihi adeſſet: ſed cùm hæc me deficiat, ſupplico tuæ diuinæ Maieſtati, vt tanquam communis omnium parens remedia ſuppedites indigen- Pro omni neceſſitate.

gentibus, & cunctorum promoueas, tum corporis, tum animi salutem. Etenim pro generali remedio, fruges terræ liberaliter & abundanter largire. Da & conserua, tuâ paternâ prouidentiâ, opes temporales, vt hoc iuuamine subleuati, extollamus mentem in Deum, & his quæ æterna sunt inhiemus.

Pro fructibus terræ.

Recordare etiam, benignissime Domine, eorum, qui in peccato mortali versantur, *quandoquidem nolis mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat.* Scis, Domine, eos sine gratiâ tuâ conuerti non posse. Supplico tuæ infinitæ pietati, eis concedas auxilium efficax, quo ad veram pœnitentiam trahantur, atque iterum viuis tui mystici corporis membris vniantur.

Pro his qui in peccato mortali existunt.

Supplico tibi, Domine clementissime, pro exaltatione S. Fidei Catholicæ, & Ecclesiæ augmẽto: & ad hunc finem extendatur pietas tua & misericordia ad omnes infideles, qui nunc eiusdem gremio excluduntur: vt tandem aliquando *fiat vnum ouile, & vnus pastor.* Vnde & aspice clementer hæreticos & schismaticos, qui aliquando oues tuæ consignati fuerunt charactere baptismatis. Ab erroribus eos vindica, per quos à cœtu fidelium segregantur. Recordare Iudæorum gentem miseram, & obcæcatam pertinaciâ; aperi illis oculos, vt cognoscant Regem suum atque Saluatorem. Pius esto in Paganos, Idololatras, Barbaros, dæmonis falsitate, atque illusione, deceptos. *Da testimonium, quia ab initio creaturæ tuæ sunt: & effunde misericordiam tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Emitte lucem

Pro infidelibus.

Eccli. 33.

Psalm. 78.

Psal. 42.

em tuam & veritatem tuam in corda eorum. Ipsis destina prædicatores, qui verbo & exemplo eos doceant, & conuertant: *Vide, Domine, quia messis quidem multa, operarij autem pauci: mitte ergo operarios in messem tuam, & da verbum euangelizantibus virtute multa, vt omnes gentes, quascunque fecisti, veniant, & adorent coram te, Domine, & glorificent nomen tuum.* Luc. 10. Psalm. 85.

O Domine Deus viuus & verus, Pater æternus immensæ maiestatis: pro omnibus hisce necessitatibus, & ijs qui hîc continentur: & pro quolibet in particulari, singulariter & distinctè, tibi offero hoc sanctum sacrificium, tanquam pro vno solùm offerretur, in gradu, forma & ordine, quem nouisti, prout debeo, & prout me offerre desideras, attentis meis, & proximorum, necessitatibus atque obligationibus, vt cuilibet obtingat pars debita & conueniens; secundùm ordinem æternæ sapientiæ tuæ: ad maiorem gloriam & honorem, laudesque tuas sempiternas. Omnium horum, tibi supplico, recorderis, *Et omnium circumstantium, &c.* Peroratio & Conclusio.

Forma breuior, instituendi Memento.

IN Missa, non potest communiter tamdiu, Memento extendi: vnde id aliâ horâ fiat, & illuc te remittas in Canone, aut resume breuiùs. Cui subsequens forma poterit deseruire.

Domine Deus omnipotens, offero tibi, nomine Domini mei Iesu Christi, hoc sanctum sacrificium, tàm integrè quàm possum, & prout ab illo institutum est, pro omni fine, intentione & personis, pro

pro quibus voluit, & vult vt offeratur. Particulariter tibi offero pro his, quibus sum obligatus, & pro meipso, parentibus meis, fratribus spiritalibus & carnalibus, consanguineis meis, amicis, benefactoribus, & qui se meis precibus commendarunt, inimicis & maleuolis: & pro his quibus ipse aliquam intuli iniuriam, aut scandalum aliquod dedi. Pro tota Ecclesia tua, Prælatis, Pastoribus, ministris, & membris, & capitibus tam spiritualibus, quàm corporalibus: ac pro omni statu & conditione, & necessitatibus spiritualibus & temporalibus proximorum: ac pro omnibus, pro quibus rogare soleo & debeo, & pro quibus me rogare desideras. Omnium istorum recordare, atque miserere, *Et omnium circumstantium, &c.*

Hoc modo magis minusue extendendo instituetur, secundùm opportunitatem temporis, procurando, vt affectus ad quemlibet in particulari extendatur, & ad omnes omnium necessitates.

Memento defunctorum.

IN Mementò, seu commemoratione defunctorum, sic rogabis: Primò, pro illo, aut illis, quibus offertur sacrificium: vt pars debita eis obtingat.

Secundò, pro animabus, quibus particulariter sum obstrictus, quacunque tandem ratione: vt sine primorum damno applicetur his ea pars, quæ applicari potest ad tollendam obligationem. Tertiò, pro patribus, maioribus & consanguineis. Quartò, pro familiaribus & amicis, benefactoribus & commendatis. Singulatim pro his, quibuscum fraternitatem, aut fœdus spiritale contraxi.

uintò, pro omnibus Sacerdotibus & Religio-
s: potissimùm qui in meo Ordine, aut familia, ensentur. Sextò, pro his qui in Ecclesiæ munere efuncti sunt, velut prædicando infidelibus; aut eiusmodi ministerijs occupati, quæ ad Ecclesiæ ómodum, & salutem animarum, instituta sunt. eptimò, pro ijs animabus, quæ ab omnibus de-rtæ sunt, nec habent intercessorem & pro his, uæ grauioribus pœnis torquentur, & pro illis, uibus instat dies libertatis & redemptionis.



TRACTATVS VII.

DE FREQVENTATIONE SS. SACRAMENTI

QVÆ TAM SACERDOTIBVS, QVAM LAICIS, INCVMBIT.

EX quo cœpi ſcribere hunc librum, præci-
puè Tractatum de Miſſa, & multiplic
eius excellentiâ, in oculis fero, aut, v
veriùs loquar, cordi affixos habeo nonnullos Sa-
cerdotes(ſi tamē illi hoc nomine digni cēſentu
qui ad tam nobile munus ſublimati, quibus th-
ſaurus immenſus concreditus eſt, quo facilè ip
diteſcere, alioſque innumeros ditare poſſunt, m
râ negligentiâ, aut ob cauſas friuolas, ſeipſos, to-
tamque Eccleſiam, ingentibus opibus priuan
multos dies atque hebdomadas, imò menſes,
Miſſâ deſiſtendo. Quodque vehementer deplo-
randum eſt, nonnulli ſunt ita immemores, Dei
ſuiipſorũ, muneris ſui atque dignitatis, vt, ta-
quam laici eſſent, toto anni curriculo abſtinean
cùm dicat Apoſtolus: *Hortamur vos, ne in vacuu*
gratiam Dei recipiatis. Qui me excruciant magi
quàm ſi viderem fame perituros, eò quòd noli
veſci cibis ſibi appoſitis, iiſq; exquiſitis, per cra-
ſiſſimam pigritiam nolentes ori eos inferre, n
du

Indigni ſunt nomine Sacerdotis qui longo tempore abſtinent à celebrando.

1. Cor. 6.

um admouere. quod ipsum à Sapiente dicitur: *Prou.19.*
bſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum *& 26.*
pplicat eam. quæ res turpiſſima foret, omnium-
ue excitaret cõmiſerationem. Porrò maius eſt,
uod modò dolemus, cùm bonum præſtantius
mittatur, & pernicioſor fames graſſetur. Ete-
im vt reſipiſcant Sacerdotes & laici, qui hîc
ummâ negligẽtiâ deficiunt, nec ſalutis ſuæ me-
ninerunt, crudeles ſibi ipſis, quòd recuſent eum
heſaurum, qui Sanctiſſimo Sacramento contine-
ur: vtque intelligant, quantum interſit Eccle-
iæ, & particularis quarumlibet animarum emo-
umenti, quin magis, gloriæ Dei: de hac materia
onnihil ſubijciendum eſſe duxi. Nec benè dico
me id dictum iri, quia nihil putaui ſcribendum,
quod non ex Sanctorum Patrum doctrinâ, tanquã
onte, hauriatur. Vix enim aliquid, præter eorũ
ententias, ſum allaturus.

CAPVT I.

Dæmon, conatur impedire frequentationem Sanctiſsimi Sacramenti; quia in eo virtus animæ, & vtilitas ſumma, continetur.

DÆmon, cùm ſit infenſiſſimus generis humani hoſtis, conatur ei damna maxima, ipſamque internecionem inferre, tollendo omne id, ex quo aliqua poſſet vtilitas mentibus obuenire. quod vt efficere queat commodiùs, omni aſtu

doloque nititur, vt, quantum fieri poſſit, impediatur vſus & frequentatio Sacramentorũ: quod vbi fit, langueſcit animus, adeoque debilitatur, vt nullo alio impulſu aut prælio, ſuâ infirmitate ſe dedat inimicis, aut mortem oppetat, æternũm fors moriturus. Quo in bello, hoſtis callidiſſimus eâdem vtitur induſtriâ & ſtratagemate, quo dux [*Iudith 7.*] Aſſyriorum contra Iudæos Holofernes; qui Bethulianis vehementer infenſus cinxerat obſidione ciuitatem. Porrò, vt minori labore, ac ſine vllâ ſanguinis effuſione, eos ſibi ſubijceret, quorumdam conſilio, qui terram illam diligenter veſtigarant, hoc remedium adinuenit. Cùm deprehenſi eſſent aquæductus, quibus fontes in vrbem ducebantur, eos iuſſit dirumpi, vt deficiente aquâ, aut morerentur ſiti, aut ſeſe dedere cogerentur. Et ſanè alterum futurum erat, niſi auxiliante eis Dei prouidentiâ, mirabiliter per caſtiſſimam Iudith liberati fuiſſent. Idem conatur magnus ille nominis Chriſtiani hoſtis, qui cùm ſciat Sacramenta eſſe velut aquæ ductus, per quos in mentes noſtras aqua cæleſtis gratiæ deſcendit: & ſunt fontes illi diuini, de quibus Iſaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*; omnem nauat operam, & diligentiſſimè enititur, vt ponat obicem, quo minùs ad aquas horum fontium accedamus. Potiſſimùm, quia SS. Euchariſtiæ Sacramento ipſe Chriſtus, omnis fons & plenitudo gratiæ, continetur, totis viribus incumbit, vt pauciſſimis detur aditus ad nectar illud diuinum. Enimuerò priuſquam inſtitueretur, ſe acriter oppoſuit, cœpitque in hominibus deprauare volũ-

tatem

tatem & affectum, ac persuadere nihil esse aliud, præter vanam quandam pollicitationem, quæ omnem excederet intelligentiam & veritatem. Hinc est, vt Christo dicente: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; multùm scandalizati sint: *Durus*, inquiunt, *est hic sermo, & quis potest eum audire?* Alij verò intra se litigabant æstimantes non tantùm durum, sed etiam fieri non posse, quod diceretur: *Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Adeoque id inualuit, vt non solùm ad Iudæos incredulos, verùm etiam ad Discipulos Christi pertingeret, quibus & hæc res dura videbatur; vnde & nonnulli ab eius consuetudine recesserunt. quapropter Saluator ijs qui manserant, dixit: *Nunquid & vos vultis abire?* quos vt confirmaret in fide, promisit se cœlos subiturum, quem ipsi intuerentur, & tunc credituros quidquid de Sanctissimo Sacramento docuisset. *Ioan 6.*

Ex eadem hac radice, & crudelissimo bello, quod dæmon in diuinum hoc Sacramentum excitauit, tot hæreses, tamque varij errores dimanârunt, vt toto quasi mundo lues grassata sit, & maxima semper fuerit difficultas credendi: tunc etiam cùm veritas tanti mysterij innumeris miraculis comprobata esset. Deníque, instante mundi exitio, grauissima omnium erit calamitas, huius (quoad vsum) cessatio Sacramenti. Infandus enim ille Antichristus in id primò & principaliter incumbet, vt è medio auferat Missæ sacrificium, velut à Daniele prænuntiatur. *Dan. 8. 11. & 12. iuxta interpretationem SS. PP.*

Etenim hæretici Lutherani, Caluinistæ, cæterique

Hæretici oderunt vsum SS. Sacramenti. que satis euidenter ostendunt, dum Ecclesiæ ad uersantur, se ministros esse dæmonum, quando quidem ita abhorreant ab vsu Missæ & SS. Sacramenti, vt maximo rigore & immanitate ipsum proscribant, iisque è regionibus mittant exulatum, ad quas impia sua dogmata inuexerunt. Quod fieri dæmone magistro, clarum est, vt impediatur fructus, quem ex frequentatione percepturi sunt Christiani. quo cibo si animus exspolietur, eum fame perire necessum est, ac liceb illi dicere: *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum.* Psal. 101.

Quo animo erunt milites, vt cum versutis fortissimisque hostibus confligant (quales sunt ipsi dæmones, qui carne & mundo comitante, bellum nobis indixerunt: qui vel domestici maiora nobis damna parturiunt) quo, inquam, animo erunt milites, qui nullum sibi robur comparant, & integris hebdomadis, atque mensibus, nullo cibo reficiuntur? talis certè deficiet, & aptè fatebitur: *Oblitus sum comedere panem meum*, panem verum, qui de cælo lapsus, vitam dat mundo; qui solus verè cibus est animarum: de quo Christus: *Caro mea, verè est cibus; & sanguis meus, verè est potus.* Illum panem, de quo Propheta: *Panis, cor hominis confirmat.* Illum, de quo idem alibi: *Panem Angelorum, manducauit homo*: vertit Hieronymus *Panem fortium.* & velut S. Chrysostomus, qui homines leones facit terribiles, atque formidandos dæmonibus. vnde & Regius Vates in alio Psalmo: *Parásti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.* non dicit eum prouidisse de scuto, gladio, hastâ, aut eiusmodi armis

SS. Sacramentum, robur animæ. Ioan. 6. Psal. 103. Psal. 77. Psal. 22.

armis, quibus se contra hostium incursus tuerentur: sed de mensa, quæ maiorem addit fortitudinem, quàm omnia genera armorũ. Gloriosus doctor & martyr Cyprianus luculentè: *Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus. Nam quomodo docemus & prouocamus eos, in confessione nominis Christi sanguinem suum fundere, si eis militaturis sanguinem Christi denegamus? aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum priùs in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus?* Et S. Gregorius: *Inter cætera arma, quæ contra Principem mundi, Deo fauente consuli, potissimum est, vt Corpus Domini frequenter accipieres.*

Cyprian. lib. 2. ep. 2.

Greg. in epist ad Marsili. l. 7. reg. c. 31.

Cùm sciat dæmon, certissimò hoc ita esse, in nullo tantam adhibet diligentiam, quàm vt multiplici ratione impediat vsum huius diuini Sacramenti: cumque id perficere nequeat, quòd hæc apud fideles, Deo iuuante, sit nimiùm inueterata consuetudo, & altissimis defixa radicibus (quæ apud hæreticos nulla est) omni tamen dolo & versutia nititur diminuere hanc frequentationem in singulis, quantum potest. Vnde mihi constanter persuadeo, illum sibi de maxima plaudere victoriâ, quotiescunque aliquem, suâ astutiâ, à communione abducit: contra, vehementer indolere, maximeque discruciari, cùm Christianos illuc accedentes intuetur: præsertim, vbi celebrant Sacerdotes ritè & condignè. Credo, flammas inferni non tantam illi pœnam infligere, quantam percipit, cùm videt vnius Missæ sacrificiũ offerri.


Dæmon cruciatur, vbi celebrantem aut communicantem videt.

Sicut enim magnis contra nos torquetur inuidiæ stimulis; ex vnâ parte vbi conspicit, quantus Deo honor accrescat, quantoque inde potiantur gaudio, quantâ gloriâ sancti in cælo: ex alterâ verò parte, quantam Deus hominibus indulgeat gratiam, quàm vario fructu eorum animæ cumulentur; ægrescit maximè, & incredibili rabie accenditur. Vnde mirum non est, si omnem moueat lapidem, vt impediat id, ex quo bonum nobis, sibi pœnam, sentit dimanare.

Omnes Christi serui, procurent frequentationem SS. Sacramenti.

Ex dictis inferendum est: quemadmodum dæmon cum suis ministris suum esse putat, aut totum auferre; sin minùs potest, impedire ex parte vsum SS. Sacramenti; sic è contrà, qui se Dei ministros confitentur, quales Prælati, Prædicatores, Confessarij, cæteriq; qui in animarum salutem incumbunt, proprium sibi munus existiment, consulere & procurare frequentationem tanti mysterij: in hoc enim sanctis Patribus, Ecclesiæque Doctoribus, similes reddentur; qui omnibus neruis, linguâ & stylo, idipsum inculcârunt, quorumque testimonia fusè Enriquez allegat, ac concludit: *Prædicatoris officium est, generaliter hortari ad frequentiam communionis, vt in more habent Patres.* Enimuerò quòd hæc materia grauis sit, vt benè confirmetur, suamque induat auctoritatem, pro consolatione & parænesi Sacerdotum, omniumque eorum qui hæc lecturi sint, nonnullas de hac Sanctorum opiniones & sententias inseremus.

Enriq. lib. 8. de Euchar. c. 53.



CA-

CAPVT II.

hristus crebrò, & enixè omnes inuitat ad frequentandum SS. Sacramentum: nec excludit quemquam, nec terminum, limitemuè circumscribit.

§. I.

SI ergo primo è fonte aquam hauriamus, inuenire erit, quòd ipse Dominus auctor tanti Saramenti, nos ad huius frequentationem, in sacris iteris multifariam inuitet. In Canticis, cùm ponsus cælestis variè suæ Incarnationis mysteum declarâsset, instituit generale conuiuium o- *Cant. 5.*
nibus qui in gratiâ essent, dicendo: *Comedite* Christus
mici, & bibite, & inebriamini carißimi. inuitat amicos.

Piæ atque venerabilis memoriæ Pater Fr. Al- *B. Orosco*
onsus Orosco (cuius corpus etiamnum inte- *super Cát.*
rum atque incorruptum seruatur velut immenus thesaurus, Madriti in Collegio S. Augustini) n Commentarijs super Cantica, dicit, inter reliuas declarationes, hunc locum conuenire Sanctissimo Sacramento; atque esse hæc verba Christi, quibus nos amicè & familiariter ad sui communionem inuitat. Quodque per, *comedite amii, & bibite*, alludat ad verba Cœnæ: *Accipite, & comedite*: & statim, *Accipite, & bibite ex eo omnes.* Hunc cibum comedite, qui est corpus meum: hunc calicem bibite, qui sanguis meus. Atque amplius ad-

aduertit inuitari omnes amicos, qui scilicet in gratiâ sunt: solos inimicos excludi, qui in mortali crimine versantur. Verum est, differentiam esse inter amicos & carissimos. Quòd amici quamuis in aliquo, non tamen grauiter, deficiãt comedere possint, fructúmque ex esu decerpere licet non tantâ plenitudine & abundantiâ. Sed carissimis dicitur, *inebriamini*, donec fames saturetur, maiore certè copiâ & vbertate: sicut enim *Tract. 4. c. 1.* diximus suprà, quantò perfectior est dispositio in recipiente; tãtò maior & cumulatior fructus percipitur.

Aliud conuiuium, non huic admodum dissimile, idem Dominus instruit in libro Prouerbiorũ *Prou. 9.* vbi hæc scribuntur: *Sapientia ædificauit sibi domum* *Sapientia æterna ad panẽ suũ, & vinum inuitat.* *excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, misit ancillas suas vt vocarent ad arcem: si quis est paruulus veniat ad me & insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Quæ ad rem *Cypr. lib. 2. Ep. 3.* declarant SS. Doctores, Cyprianus, Augustinus *Aug. l. 17. de Ciuit. cap. 20.* Dionysius Carthusianus, cuius sententiam sequemur. Dicit ergo: *Sapientia*, id est, Verbum æternum incarnatum, *ædificauit sibi domum*, id est, san*Dionys. Carth. super Prou. 9*ctam Ecclesiam: *excidit columnas septem*, id est, septem Sacramenta. Et speciatim tanquam de magis præcipuo facit mentionem de SS. Eucharistiæ Sacramento, *miscuit vinum* suauissimum atque dulcissimum, *& proposuit mensam* regiam & dignam suâ Maiestate, vnde & *suam* vocauit: *misit ancillas suas*, id est, prædicatores & ministros, non vt timore gentem afficerent, sed ad regale palatium

men-

enſamque inuitarent. Omnes porrò: non tan-
m magnates, ſapientes, opulentos, Præfectos
Rectores, ſed etiam paruulos, pauperes, idio-
s, omnes denique nemine excluſo. Etenim ver-
is admodum gratioſis & blandis inuitat: *Venite,*
medite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.
Magnam habet emphaſim τὸ *Panem meum*: diui-
um, inquam, panem, qui ſolus continet ſuaui-
atem, diuitias, precium omnium deliciarum, quæ
b homine poſſent optari: qui verè panis meus
ppellatur, dignus meâ amplitudine & magnifi-
entiâ, ad quem tantùm inuito, qui ſolus tã abũ-
lantem, pretioſam delicatamque menſam in-
truit, vt nihil vltrà expeti poſſit aut dari, ne qui-
lem de abſolutâ Dei potentiâ. Panis eſt, cui Za-
harias ineſſe teſtatur bonitatem, pulchritudi-
nem, & diuitias Dei: *Quid eſt bonum eius, & quid pul-*
rum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans
virgines?

Nullus excluditur à Dei conuiuio.

Quid velit hoc, *panem meũ.*

Zachar. 9.

Porrò, ſi oculos paululum retrò conuertamus
ad figuram huius SS. Sacramenti, vbi populum
ſuum Deus maximo affecit beneficio, mittens pa-
nem de cælo nobiliſſimum, qui omne delicium,
omnemq; ambroſiam complecteretur, Manna,
inquam, huius figuram Sacramenti, dixit: *Ecce ego*
pluam vobis panem de cælo, egrediatur populus, & colligat
quæ ſufficiunt per ſingulos dies, vt omnis inedia pella-
tur. Omnibus id diebus ſeptimanæ licebat; ſolo
Sabbatho nihil inueniebatur: quia tunc dies erat
quietis, & non laboris. atque adeò ille, qui pridie
nihil collegerat, Sabbatho ieiunare cogebatur.
Idem nunc agitur: qui in huius vitæ hebdomada

Populum Deus ad manna olim inuitauit.

Exod. 16.

hoc cælesti Mannâ non vescuntur, nec proficiunt ex abundantiâ, quam ipsis Deus largitur; neque ex amore, quo ad hoc inuitat; in Sabbatho lætitiæ & quietis æternæ, ieiunabunt eiusmodi, tantisque delicijs priuabuntur: tunc enim tempus transijt colligendi, adest verò tempus comedendi & fruendi eo, quod in huius vitæ septimanâ cumularis.

§. II.

SEd enim à figurâ descendamus ad veritatem, ipsaque verba Christi Saluatoris. In Euangelio S. Matthæi, epulum generale proponit, dicendo: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Conuiuium profectò amabile, festiuum, verba tam suauia, tam blanda, vt putem nullum esse pectus adeò saxeum, atque adamantinum, nullam mentem adeò fractam aut debilitatam, quin rursus animata velit accedere ad talem hospitem, qui tanto amore omnes omnino inuitat. Rectè auctor libelli, qui Contemptus mundi inscribitur:

Matth. 11.

Conuiuium Christi opiparum.

Contemptus mundi. l. 4. c. 1.

Excitant me sanè verba ista summæ pietatis, plena dulcedine, plenâ immensi amoris. O dulce & amicum verbum auribus peccatoris, quòd tu Dominus meus inuitas pauperem & mendicum ad Sacratissimi Corporis tui communionẽ! Quid sibi vult hæc tam pia misericordia, tam amabile conuiuium? Angeli atque Archangeli tremunt horrore, Sancti corripiuntur sacro quodã metu, & tu dicis: *Venite ad me omnes?* Nisi tu, Domine, hoc ipse dixisses, quis fidem tam audacẽ haberet?

Nisi

isi id præcepisses, quis foret ausus accedere ? Certum igitur esto, omnem auferri à Christo etum & pusillanimitatem, cùm tam amicè & miliariter nos inuitet. Etenim, si attentè expen-amus, videtur ille, quoties de hoc agit myste-o, suis verbis conari, vt inertes excitet animos, que sui desiderium accendat. Quid enim sibi ult tam crebra repetitio, magnos fructus manere is qui suscipiunt; damna illis, qui negligunt? Quid sibi hæc volunt: *Ego sum panis viuus, qui de-endit de cælo.* qui est cibus animarum: *Qui mandu-it hunc panem, viuet in æternum.* Et, *Qui manducat eam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, r ego in illo*: ac plura eiusmodi, nisi quòd inuitant omines, vt hoc recipiant, vnde innumera pos-nt commoda percipere? Profectò ex alterâ parte ictum est: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & iberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nihil nde intelligas, quàm prorsus frequentandum sse SS. Sacramentum. *Ioan. 6.*

§. III.

ENIMVERO si consideremus nonnulla verba, quibus de hoc mysterio tropicè Saluator vius st, reperiemus eum aliquando dixisse, quòd qui-lam potens opum atque deliciarum grandem nstruxerit cænam, plurimosque inuitârit, semel terumque famulos emittendo, qui inuitatos vo-carent. excusantibus autem se friuolè grauiter in-lignatus est, tulitque sententiam, fore, vt, si ali-quando vellent, nunquam admitterentur. Quod erribile supplicium est, & clarum argumentum, *Luc. 14.* Conuiuiũ magnæ cænæ.

Deum

Deum molestè ferre, si recusent adesse vocat[i], cùm per hoc æternùm eos priuaturus sit: vt inf[ra] dicetur. Hoc clarè per Isaiam: *Iurauit Dominu[s] dexterâ suâ, & in brachio fortitudinis suæ, si dedero tri[ti]cum tuum vltrà cibum inimicis tuis, & si biberint filij alie[ni] vinum tuum, in quo laborásti: quia qui congregant illu[d] comedent, & laudabunt Dominum; & qui comporta[nt] illud, bibent in atrijs sanctis meis.* Sunt verba nota[tu] digna, & quæ timorem meritò incutiant. Cù[m] iureiurando ingratis pœnam, gratis præmiu[m] Deus constituit. Item in Euangelio contra inu[i]tatos: *Amen dico vobis, nemo virorum illorum qui voc[ati] sunt, gustabit cœnam meam.*

In hoc Tract. cap. 9. §. 1.
Isai. 62.
Minæ terribiles.
Matth. 22.

Iterum dixit, à Rege quodam ad filij nupti[as] inuitatos esse quamplurimos, quibus vocandi[s] iteratò seruos emisit verbis hisce dulcibus [&] blandis: *Dicite inuitatis: Ecce prandium meum parau[i], tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite a[d] nuptias.* Nolentibus autem venire, tristem senten[tiam] tulit.

Conuiuiū nuptiarum.
Ibid.

Porrò ad vtrumq; conuiuium debiles & clau[dos], pauperes, cæcos, è vicis & compitis præcep[it] vocari, qui instructissimo epulo fruerentur. E[a] est enim benignitas Saluatoris, vt omnes inuitet, excludat neminem, quantumuis humilem & abiectum. Quod & ipso opere compleuit, vbi cum Publicanis & peccatoribus communiter versatu[s] est: Pharisęis verò, qui se religionis & Dei zelo ac[c]ensos venditabant, id ægrè ferentibus, cùm exi[s]timarent hoc indignū sanctitate Christi, respon[dit]: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* Atque omne murmur excussit, dicendo: *Non ven[i] vocar[e]*

Matth. 9.

care iustos, sed peccatores. Benedicta sint, ô Domine Christus venit, vt inuitaret peccatores.
[...]i, viscera misericordiæ tuæ, qui tanto amore, [...]ementia & suauitate, peccatores amplecteris; [...]n que tales nos simus, animos addis, vt ad hoc [...]cedere conuiuium, mensam tuam, & Sacra[...]entorum pascua audeamus.

Sed aduertendum, à Christo vocari eos pecca[...]res, quos pœnitet scelerum, quique meliora iam [...]nceperunt. Si enim adhuc obdurati, præsumant [...]uic epulo accumbere, certi sint venenum fore, [...]uod præsentissimam sit mortem allaturum.

§. IV.

VNDE & Dominus, quamuis præcepisset vocari omnes debiles & claudos; vbi vidit [...]uendam sine veste nuptiali, mandauit, vt pedi[...]us manibusq; colligatis, mitteretur in tenebras [...]xteriores. Per hanc tunicam nuptialem intelli[...]itur caritas, quæ sola operit multitudinem pec[...]atorum. Qui hac fuerit indutus, licet miser esse [...]ideatur, tutò intret: quippe per illam omnis ma[...]ula occultatur. Qui verò sine hac ingressus fue[...]it, procul dubiò eidem supplicio addicetur. Et [...]ac ratione debet intelligi. Nimirum, quòd in [...]alatio huius Regis ditissimi, fuerit aliquod cu[...]iculum siue conclaue, in quo hæc vestimenta [...]uptialia distribuebantur omnibus qui erant in[...]gressuri, vt decenter ornati accumberent. Id o[...]mninò dicendum est: nam videretur iniustus esse, qui nudos inuitâsset, & vt tales exterminâsset. Vnde autem sibi pauperes & mendici vestes comparent nuptiales? Sed si istæ offerebantur vltrò

Qui intrauerat sine veste nuptiali, punitus est.

Matth. 22.

1. Petri 4.

vltrò inuitatis, iam ſcelus eſt intrâſſe ſine ve
nuptiali, & meritò, quiſquis fuit, pœnas ded
Sic ad propoſitum, Chriſtus ad menſam regia
Sacramenti omnes pauperes, ægros & peccator
inuitat. Verùm ad portam conclaue eſt veſtiur
nempe Sacramentum Pœnitentiæ: in quo ſuf
cienter ornamur veſte nuptiali, quæ eſt carita
Hac circumdati, licet innumeris vulneribus mo
biſque confecti ſimus, benè & abundè regimur,
ſecuri intrare conuiuium poſſumus, nec eſt c
vltrà timeamus.

Hæc in Euangelio, circa hanc reperi materia
Quidquid in eo perque totam Scripturam à n
legitur, verba ſunt inuitationis, quæ animent pa
peres atque infirmos, & ab omni puſillanimita
retrahant. Nec eſt, quòd directè, vel indirectè, al
quem deterreat, niſi eos qui caritatis, non fueri
amicti veſtimento. Vltrà, quid Sancti de hoc ſe
ſerint, veſtigemus, & quam doctrinam ex Eua
gelij, ac Scripturæ fonte, hauſerint, inſpiciamus.

CAPVT III.

Ab Apoſtolis confirmatam eſſe conſuetudi nem, vt fideles quotidie communica rent. quæ deinde aliquot annos i Eccleſiâ perdurauit.

PRIMI Eccleſiæ Patres & Magiſtri, qui imme diatè è fontibus Saluatoris hauſerunt, exqu ore dicentis arripuerunt doctrinam vitæque in ſtituta

ſtuta, Apoſtoli ſunt: quos Eccleſiæ ſuæ Chriſtus conſtituit Vicarios, vt eam abundè inſtruerent de his quæ neceſſaria forent ad ſalutem. Enimuerò, vt hoc ſine errore prudenter efficerent, Spiritum miſit veritatis, qui illos ſapientiæ luce impleuit, & confirmauit in gratiâ, ne in huius inſtitutione Reip. vllatenus hallucinarentur. At videamus quid ſanctiſſimi Doctores in hac re iudicârint: quid de verbis Chriſti, quid denique cùm Eccleſiam ipſi regebant, faciendum curauerint.

S. Lucas in Actis Apoſtolorum, vbi miſſionem Spiritûs ſancti, & multitudinem fidelium quotidie accreſcētem deſcripſiſſet (modò enim quinque, modò tria millia crediderant) ſubiecit de vitæ inſtituto: *Erant autem perſeuerantes in doctrinâ Apoſtolorum, & orationibus, & communicatione fractionis panis.* — *Actor. 2.* Perſeuerabant fideles in oratione & communione.

Omnes Sancti & interpretes, Scripturæ hîc fractionem panis intelligunt eſſe communionem S. Sacramenti. Ex quo loco aliiſque, & hiſtorijs Eccleſiaſticis ſatis conſtat, quamdiu vixerunt Apoſtoli, quin & aliquot poſt annos, fuiſſe cōſuetudinem fixam in Eccleſia, vt in Miſſa quotidie communicarent fideles. Sic etenim ordinatum eſt in Canonibus Apoſtol. in Liturgia, ſeu Miſſa S. Iacobi. Porrò hæc conſuetudo tam ſancta, pia, & ex doctrina Saluatoris, aliquot annos à morte Apoſtolorum durauit. Cuius rei fidem facit Clemens Papa Petri diſcipulus: & Dionyſius Pauli hic teſtatur: *Poſt Euangelium, & ſacrarum literarum lectionem, qui ad ſumendam Euchariſtiam parati non erant, foras mittebantur, atque omnibus tradita communio-*

Cant. 8. Apoſt. Cōmunio quotidiana multis annis durauit.

Clem l 8. conſt. Ap. c. 18. aliàs 20. Dion. Eccl. Hier c. 3.

munione diuinâ Sacerdos gratias referens, finem mysterij imponit. S. verò Anacletus (qui à Petro quintus Ecclesiam in annum 112. gubernauit) mandat, v hæc consuetudo per Canones Apostolorum stabilita, & eousque conseruata, sarta tecta custodiatur. adeò vt qui nolint communicare, prohibeantur Ecclesiâ. verba eius sunt: *Peractâ consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Et S. Hieronymus, etiam su ætate id apud Romanos, Hispanosq;, in vsu fuisse asserit: & S. Augustinus diuersis idem locis testatur.

In c. Peracta. de cõsec. dist. 2.

Hieron. in Apol. cõt. Iouin. & ep. ad Lucian.

Aug. l. 2. de serm. Dom. in mõte, c. 21 & serm. 28. de verb Domi. & epist. 121.

Denique certissimum est, hanc ab Apostolis consuetudinem profluxisse: sed ab ipsorum morte, paulatim deferbuisse feruorē illum caritatis quamuis in nonnullis Ecclesijs hic mos, sicut vtriusq; sexûs non nemine, conseruatus sit. Qui hodie in Æthiopia, latissimo imperio Presbyteri Ioannis, viget ille per omnes Ecclesias, quemadmodum perhibent historiæ autenticæ; multiq fide digni, testes oculares horum temporum retulerunt. Ad minùs cōstat, id nullo vetitum præcepto fuisse, cùm in Iure habeatur: *Non prohibeat dispensator, manducare pingues terræ in mensa Domini.*

In Æthiopia adhuc viget quotidiana communio.

In c. Non prohibeat. de cons. dist. 2.



CAPVT IV.

mnes Sancti enixè commendant sacram communionem: & nullo eam limite circumscribunt, nisi cùm prævia deficit præparatio.

§. I.

Videamus porrò sententiam in hac materiâ eorum, qui in altero, post Apostolos, sæculo ixerunt.

S. Basilius, quater in hebdomade, diebus, Doinicâ, Lunæ, Mercurij, & Sabbatho, fideles ait ommunicare solitos: quin & cæteris, si alicuius ancti festum occurreret. *Basil. ep. ad Probã Patritiã.*

Epiphanius, ter in septimana suos subditos, & uidem de præcepto: reliquis porrò diebus non illicitum: imò multi accedebant. *Epiph. in compendio doctr.*

S. Ignatius, discipulus Ioannis Apostoli, ad freuentandam communionem sine die hortatur: *ate operam, vt frequentiùs congregemini ad Euchariam: quando enim hoc agitur, expelluntur potestates atanæ, qui actus suos conuertit in sagittas acutas ad peccatum.* *Ign. in ep. ad Ephes.*

S. Cyprianus, his proximus, super Orationem Dominicam, exponit τὸ *Panem nostrum*, aitque inelligi de SS. Sacramento: sic verò inter cætera: *anem nostrum, id est, Christum, dari nobis quotidie peimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctifiatione & corpore eius non recedamus: ne qui in Christo*

manemus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abstenti, & non communicantes, à cælesti pane prohibemur; à Christi corpore separemur. Timendum enim est & orandum, ne dum quis separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute. Item alio sermone, vehementer ad frequentem communionem instigat.

In serm. de Cœna Dō.

Athan. sup. 1. Cor. 11. S. Athanasius super hæc verba Apostoli: *Probet autem seipsum homo, &c.* dicit: *Conscientiâ examinatâ, semper accede ad sacrum Christi Corpus, non exspectes festos dies.*

Ambr. l. 5. de Sacr. c. 4. & refertur in c. Nō iste. de consecr. dist. 2. S. Ambrosius item, super Orationem Dominicam, explicat τὸ *Panem nostrum*, de SS. Sacramento: *Iste*, inquit, *panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit, panis quotidianus est: accipe ergo quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue, vt quotidie merearis accipere. qui non meretur quotidie accipere, non merebitur post annum. quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. quotidie ergo vtiliter sumitur, quod docet Dominus quotidie petere.*

Ambr. l. 4. de Sacr. c. 6. & refert c. Si quotiescunq́. de conse. dist. 2. His autem, qui se excusant, velut peccatores, adeoque indignos, qui cælesti cibo pascantur, respondet idem: *Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur; debeo meritò semper accipere, quia semper pecco; & quia semper infirmus sum, debeo semper accipere medicinam.* Quod de peccatis venialibus intellige, aut de mortalibus, si de his contritus egeris pœnitentiam. sic enim Sancti consulunt frequentationem Sacramenti, quòd antidoton sit excellens contra omnem ægritudinem.

Hilar. inc. Si nō sunt. de cons. dist. 2. Ita S. Hilarius: *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet à quotidianâ medicinâ*

Cor-

Aug epist. 118. lib. de Eccl. dogmat.

Corporis & Sanguinis Domini separare. quia si peccare quieuerit, communicare non desinat.

Quî intelligendum sit, nō probari communionem quotidianam.

Idem omninò Augustinus, epistolâ quadam. Verum quidem est eum alibi dicere: *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero;* id hoc intelligendum de consuetudine generali; cùm enim iam degenerâsset feruor pietatis, moresque multorum essent deprauati, pro his vniuersis non esse laude dignum censet. at si speciatim rogaretur, de his qui ad virtutem seriò incumbunt, haud dubiè probaret; quemadmodum alijs locis consulit & dilaudat. quin ipse communionem Panem quotidianum interpretatur, vbi ait: *Si quotidianus est, cur post annum illum sumas, quem admodum Græci in Oriente facere consueuerunt? accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit: sic viue, vt quotidie merearis accipere.*

Aug. ser. 28. de Verbis Domi.

S Tho. 3. p. q. 80. a. 10.

Panis quotidianus, quem petimus, est SS Sacramentum.

Eâdem ratione, S. Thomas explicat hoc Augustini, *quotidie accipere, nec laudo, nec vitupero;* scilicet id generatim accipiendum esse: quia multi dispositione necessariâ carerent: qui autem rectè essent dispositi, hos probat, laudat, & hortatur. atque ipsum porrò S. Thomas confirmat. Etenim communiter Sancti, panem, quem quotidianum petimus in Dominicâ oratione, exponunt de quotidianâ frequentatione Sacramenti. Ita August. Tertull. Hieron. Athanas. Ambros. Cyprianus, Hilarius, alijque grauissimi auctores.

Aug. suprà & epist ad Probã & l. 4. cot. 2. ep. Pelag. c. 9. Tert. l. de Orat. Hiero: sup. Matth. 6. Athan. l. de Incar. Ambr. l. 5. de Sac. c. 4 Cyp ser. 6. de ora. Domi. & ser. de Cœna Dom. Hil. in Matth.

Quod sanè figit doctrinam, quam dedimus, de frequentiâ communionis; cùm velint Sancti, vt hæc pro quotidiano pane accipiatur, & talem nobis à Christo institutam esse, & relictam.

Cyrillus Alexandrinus, consulit enixè hanc communionis frequentiam; monetque, eos qui illam procrastinant, & rariùs accedunt, non ideò accedere maiori cum obseruantiâ: contrà verò euenire, vt huiusmodi minùs dispositi accedant. verba eius accipe: *Ego igitur probo me ipsum, & indignum inuenio, & abstineo: quando igitur, quicunque tu es, qui ista dicis, dignus eris? Nam si peccando indignus es, & peccare non desinis (delicta enim quis intelligit?) expers omninò eris viuificæ huius sanctificationis. Quare pias, quæso, cogitationes suscipias, studiosè sanctèq; viuas, & benedictionem participes, quæ (mihi crede) non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit: sedat enim, cùm in nobis manet Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi exstinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, ab omni nos erigit casu.*

Cyrill. lib. 3. in Ioan. c. 37. & l. 4. c. 17.

§. II.

Auctoritates Sanctorum porrò adducuntur.

SAnctvs Chrysostomus, aureâ cælestique suâ eloquentiâ, mirificè sæpiùs hanc materiam tractat. Ex omnibus verò locis, duo potissima colligi possunt, digna acri consideratione, quæ ad rem hic ipse efficacibus argumentis, & luculentâ oratione, prosequitur.

Abstinere à SS. Sacramento non est plus deferre.

Vnum, vt nemo existimet se, qui abstinuit, maiori cum reuerentiâ accedere. id enim falsum. immò verò plus habet ille reuerentiæ, qui benè compositus recipit SS. Sacramentum. irreuerentia etenim sola est, cùm indignè, & mente sceleratâ, ad

ad mysterium itur. Hanc doctrinam ponit S. Doctor pluribus locis. quodam sic ait: *Hoc est quod vniuersa perturbat, quia non munditiam animi, sed interualla temporis longioris meritum putas, summamque arbitraris reuerentiam, si non sæpè cælestem illam adeas mensam, ignorans, quoniam indignè accedere, etiamsi semel tantùm fiat, supplicio tradet; dignè verò, etiamsi sæpè accedas, salutem inde conquires? Non est audaciæ, sæpè accedere ad diuinam mensam: sed indignè accedere. Nec intelligimus miseri, quòd hi, qui Christum crucifixerunt, semel tantùm id fecerunt; & qui Christum prodidit, semel tantùm prodidit: quid igitur hanc rem temporis interuallo metiris? tempestiuum accedendi tempus, munditias conscientiæ facit.*

Chrys. hõ. 5 sup. 1. ad Timoth.

Alterum, quod suprà retulimus ex Cyrillo, idemque docent, Ambrosius & Augustinus, est, nihil facere procrastinationem ad hoc, vt quis digniùs, & maiori cum dispositione, recipiat Sacramentum: adeoque ipsa frequentatio meliorem addit dispositionem. Vnde de die, quærendum non est: sed, vt adest conscientiæ puritas, adest tempus, & hora communionis. Hoc sæpiùs repetit idem Sanctus. Alicubi dicit: *Non est expectanda solemnitas, vt accedas ad hoc Sacramentum, sed semper est solemnitas, cùm adest cordis munditia: quam si habueris, semper poteris celebrare solemnitatem, & semper accedere. id enim solum tempus præscribit Paulus, cùm ait: Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Item alibi: *Tempestiuum accedendi tempus, munditia conscientiæ facit: nihil habet ampliùs, quod in Pascha consummatur mysterium, illo quod continuò celebratur. Semper Pascha est.* Et iterum: *Non tempus accessus dignos facit,*

Cyr. Alex. Vbi suprà.
Ambr. l. 5. de Sacrã. cap. 4.
Aug serm. 28. de Verbis Dom.
Non confert dilatio, vt quis digniùs accedat.
Chrys. hõ. 28. sup. 1. Cor.
Hom. 5. sup. 1. ad Timoth.
Ho 3. sup. ad Ephes.

qui accedant ad sacra Christi mysteria, sed mentis sinceritas ac puritas; cum illa semper accede, sine illa nunquam. Quæ postrema particula, valdè notanda est. Idemque repetit alibi: *Qui mundâ conscientiâ sunt, & vita irreprehensibili, isti semper accedant ad diuina Sacramenta: qui verò tales non fuerint, neque semel.* Eadem sæpiùs diuersis locis. sufficiet adnectere, quod ille ad populum Antiochenum: *Ne torpeamus igitur tantâ digni caritate & honore putati. nonnè videtis, quantâ promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? accedamus cum tantâ quoque alacritate ad hanc mensam: quin imò cum longè maiori trahamus, tanquam infantes lactanei, spiritus gratiam, & vnus sit nobis dolor hac esca priuari.* Hactenus Chrysostomus.

Hom. 17. sup. ad Heb. hom. 28. in 2. ad Cor tota hom. 60 & 61. ad pop. Antioch. & in orat. ad Philogon.

Hom. 60. ad pop. Antioch.

S. Gregorius, eidem fauet doctrinæ. ait enim: *Prouidens Dominus nobis dedit hoc Sacramentum, vt, quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest, per istud Sacramentum remissionem peccatorum consequamur. Quotidie enim ipse comeditur in veritate, sed integer & viuus atque immaculatus manet.*

Greg hom. Pasch & ref c. Quid sit sanguis. de cons. dist. 2.

S. Bernardus, maximos fructus huius Sacramenti recenset: *Si quis,* inquit, *vestrûm, non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi; gratias agat Corpori & Sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. Duo enim præcipuè operatur in nobis, & sensum minuit in minimis, & in grauioribus peccatis impedit omninò consensum. Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus habemus, dum sub peccato sumus. medicina optima est, Sacramentum: quotidie accipe, quotidie curaberis.*

Bern. ser. de Cana Dom.

Idem

Idem docet Innocentius Papa: *Cauendum est, ne si nimiùm Sacramenti sumptio differatur, in mortis spiritualis periculum incidatur.* *Innoc. l. 4. de myster. Missæ, c. 42.*

§. III.

Sententia D. Thomæ, circa frequentiam Communionis.

HAnc omnem Sanctorum doctrinam, & plures eorundem auctoritates, (quæ, ne nimiùm prolixæ, omittuntur) compendiosè tradidit S. Thomas more scholastico, eâ pietate elegantiâque, quæ sanctimoniæ tanti viri, & ingenio clarissimo conueniebat. Etenim eò quòd scientia huius articuli tam clara sit, vt à quolibet queat intelligi, & ponatur expressè & formaliter, quæcunque ad hanc materiam spectant, ipsum hîc suis verbis inseremus.

Igitur quæstione factâ, licitumnè esset, atque laudabile, communicare quotidie? subiecit: *Respondeo dicendum, quòd circa vsum huius Sacramenti duo possunt considerari: vnum ex parte ipsius Sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, & ideò vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat; vnde Ambrosius dixit, in lib. de Sacram: Si quotiescunque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, quia semper pecco. Alio modo potest considerari, ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia, ad hoc Sacramentum accedat: & ideò, si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est, quòd quotidie sumat. Vnde Augustinus, cùm dixisset: Accipe quotidie, vt quo-* *S. Thom. 3 p. q. 80. a. 10.*

quotidie tibi prosit; subiungit: Sic viue, vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominibus multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis vel animæ indispositionem; non est vtile omnibus hominibus ad hoc Sacramentum accedere: sed quotiescunque se homo ad illud inuenerit præparatum. Vnde in libro, de Ecclesiasticis dogmatibus, dicitur: Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero. Et post solutionem primi, ita ait: *Quia quotidie homo indiget salutiferâ Christi virtute, quotidie potest laudabiliter hoc Sacramentum suscipere.* Et statim: *Hoc Sacramentum, est cibus spiritualis: vnde sicut cibus corporalis quotidie sumitur; ita hoc Sacramentum quotidie sumere, laudabile est. vnde Dominus docet nos petere, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. in cuius expositione Augustinus dicit: Si quotidie accipis, quotidie tibi hodie est.* Et in solutione ad secundum: *In hoc Sacramento, traditur nobis memoriale passionis Christi, per modum cibi, qui quotidie sumitur: & ideò significatur per Manna, quod quotidie dabatur populo in deserto.* Et in solutione ad tertium: *Reuerentia huius Sacramenti, habet timorem amori coniunctum: ex amore enim prouocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reuerendi. Et ideò vtrumque pertinet ad reuerentiam huius Sacramenti, & quòd quotidie sumatur, & quòd aliquando abstineatur. Amor tamen & spes, ad quæ semper Scriptura nos prouocat, præferuntur timori.* Ex quo patet, accedendum esse potiùs amore, cui semper timor, seu reuerentia filialis, coniungitur.

Melius est accedere cum amore, quàm differre cum timore.

Hæc est sententia summi Doctoris, dignâ consideratione, quæque altissimâ memoriâ reponatur. vnde colligitur, quòd nullus sit limes vel cir-

cum

cu scriptio, quoad sumptionem huius Sacramē-
ti, nisi eius, qui accedit, indispositio. si verò benè
semper est dispositus, laudabile est & fructuosū.
Quæ etiam docet suprà Chrysostomus, aliiq; San-
cti ad quam se conformat omnis Theologorum
schola. Omnes tum veteres, tum moderni, in hac
conueniunt conclusione: quòd generatim & ab-
solutè, melius sit atq; vtilius, frequenter hoc Sa-
cramentum suscipere, quàm raro. Ita præstat com-
municare, aut celebrare, quàm abstinere. Denique
satius est semper ad frequentiam accedere, quàm
ad raritatem.

Hasce conclusiones, probant expressè Theo-
logi. auctoritates non adiungam, quia id ab hoc
instituto alienum. Cui libet, consulat duos hac æ-
tate doctos & graues, Franciscum Suarez, & Hen-
ricum Enriquez: qui plurimos citant, & hanc ma-
teriam luculenter prosequuntur. *Suar. tom. 3. disp. 69. sect. 4. Enriq. tom. 2. l. 8. de Sacrã. Euch. c. 55.*

Adeò, vt hæc doctrina, sic intellecta, generali-
ter certissima sit & securissima. quamuis in parti-
culari longè secùs se res habeat, de quo post, Deo
dante: nunc verò solùm ostendimus omnes San-
ctos, consuluisse generatim, & hortatos fuisse ad
frequentandam sacram communionem.

§. IV.

Quid Concilium Tridentinum consulat, circa frequentiam communionis.

Colophonem dictis imponam referendo,
quid de hoc Concilium Tridentinum. cuius
verba grauissima, dignàque omni veneratione, sic

Côc. Trid. sess. 13 c. 8.

habe: *Demum paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, vt omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc vnitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiæ symbolo, iam tandem aliquando conueniant & concordent, & hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis Christi, ea fidei constantia, & firmitate, ea animi deuotione, eâ pietate & cultu, credant & venerentur, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint: & is verè eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam peruenire valeant, eundem panem Angelorum absque vllo velamine manducaturi.* Item porrò: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior perueniret.* Quæ verba plus cæteris omnibus nostram sententiam asserūt. quibus subnectam, quid Cardinales à latere Legati, cum plenariâ auctoritate dubia resoluendi, determinârint. qui prædicta exponendo, sic loquuntur: *Obstat Concilium Tridentinum, Episcopo volenti præscribere certa tempora, vt dies Dominicos, quartam & sextam feriam, quibus tantùm liceat viris laicis, coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus, etiam non coniungatis, SS. Eucharistiam sumere, ob irreuerentiam, quam potest quotidiana huius Sacramenti sumptio, in suâ Diœcesi parere. Hoc fuit decisum in mense Ianuarij 1587. Quia antiquo tempore peractâ consecratione, omnes adstantes sumebant Eucharistiam, & ideò licitum est quotidie Eucharistiam sumere. c. Quotidie. de consecr. dist. 1. Quapro*

4. par. decis. & declar. Conc. Trident.

pter

ter exhortandi sunt fideles, vt sicut quotidie peccant, ita quotidiè medicinam accipiant. c. Quotiescunq., de consecr. dist. 2. Quæ verba cum tantæ sint auctoritatis, vt sit nefas his contraire; confirmant ea quæ hîc asserimus, & os occludunt omnibus, quæ obijci vllo modo possunt.

§ V.

Conclusio prædictorum, cum doctrinâ notatu dignâ.

EX dictis colligere est doctrinam eam, quæ asserit & commendat frequentandum esse SS. Sacramentum, securam esse, fixamque ratione, vt fundamento. Et verò consonat his, quæ Christus, Apostoli, Sancti docuerunt. Contrà arguere hanc frequentiam communionis, res est plena periculi, & malæ famæ, cùm transuersum à Sanctis eatur, ad hæreticorum dæmonumque institutum fiat accessus. hi enim auent vehementer eam consuetudinem abolere, quæ iam inde ab Ecclesiæ incunabulis perseuerat. Pro quo apprimè notandum est, quod consulit Ioannes in suâ Canonicâ: Nota. vbi monet Discipulos, caueant sibi ab his illusoribus, qui periculosa dogmata commentantur & obtrudunt. nempè cùm dixisset: *Probate spiritus, si* *1. Ioan. 2.* *ex Deo sint*, adiecit: *Vos quod audistis ab initio, in vobis* *Cyr. in Isa.* *permaneat: si in vobis permanserit, quod audistis ab ini-* *26. in illa* *tio, & vos in Filio & Patre manebitis.* Et continuò: *Verba Spi-* *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos.* Ex quibus ver- *ritum salutis.* bis, SS. Cyrillus & Anacletus, normam spirituum *Anacletus* probandorum effingunt. Quòd hos, qui se con- *quadam epist.*

for-

formant ad ſanctorum Patrum doctrinam, veteremque Eccleſiæ morem ſectantur, recipere ſecuri poſſimus: qui verò ab his recedunt, audiri debent trepidè, tanquam adferant falſa & fraudulenta. Huic videtur alludere, imò allludit Ieremias, cùm ait: *State ſuper viam, & interrogate de ſemitis antiquis, & ambulate in eis; & inuenietis requiem animabus veſtris.* Itaque, ſtante iam olim in Eccleſia conſuetudine frequentandi SS. Sacramentum, idque affirmantibus Sanctis, pleriſque; clarum eſt, quod quatenus nos ad hanc magis conformabimus (penſatis adiunctis perſonarum, temporis, loci, aliorumque, quæ prudenter excutienda ſunt) eatenus longè ſecuriùs procedemus: qui verò ab hac diſcedent, temerarij iudicandi, vt qui in periculo & errore verſentur.

Regula, examinãdi doctrinam nouam.

Ierem. 6.

Concluſio.

CAPVT V.

Ponuntur quædam mirabilia, & fundamenta, quibus aßignatur methodus, in frequentandâ communione.

QVÆ dicta hactenus, tam certa & ſecura ſunt, vt de illis ambigere nemo poſſit. nihil enim docuimus, præter ea quæ Chriſtus, Apoſtoli, Sancti Doctores: attulimuſque dogma Catholicum, fixum, ratum. Quod verò difficultate & periculo non caret, in quo vtendum prudentiâ & induſtriâ; hoc cenſeo: quî hæc doctrina generalis ad vſum & exercitium Chriſtianorum applicabitur. huic

hic enim nulla methodus aptari poteſt, quæ omnes complectatur: ſed attendenda ſunt prudenter adiuncta perſonis & rebus. Etenim cùm ex Theologorum mente, virtutes conſiſtant in medio, habeantque pro extremis duo contraria, (licet ea non ſemper proprio nomine cenſeantur) neceſſum eſt in illis aliquando peceari per exceſſum, & defectum. quod proinde euenire poteſt, ideò euenit in vſu SS. Sacramenti. Quapropter hîc aduigilent Prælati & Confeſſarij, & cæteri omnes quibus animarum ſalus incumbit. ſint hîc fideli & induſtrij diſpenſatores, & Dei ſeruis cibum congruo tempore ſubminiſtrent. Quod ex hac parte cùm difficilè ſit, ex illa tanti momenti, cumque Sacerdotes velut œconomi ſint menſæ diuinæ (*quibus ſic congruit, vt ſumant & dent cæteris*) quia præfecti ſunt animarum regimini: nec omnes æquè calleant Sanctorum doctrinam, & quid ipſi iudicârint, obſeruandum; ſubnectam (Dei gratiâ fixus) quædam ſigna & notabilia, quæ ſpero fore, vt in hoc negotio lucem adferant. In quo enixè cùm rogarim, ſuo Deus fauore me proſequeretur; dicam id, quod mihi videtur conuenire magis cum doctrina Euangelicâ, SS. Patrum, Doctorum Eccleſiæ: quæ verò dicturus ſum, non tantùm ſubijcio eiuſdem Eccleſiæ Catholicæ determinationi, ſed etiam omnium ſententiæ & cenſuris, qui de hac re meliùs ſenſerint, & iudicârint,

1.2.q.64.

In vſu SS. Sacramẽti, peccari poteſt exceſſu & defectu.

* * *

§. I.

§. I.

Laici omnes, ad Confeſſarij arbitrium ſe conforment.

PRÆ omnibus ſuppono velut certum, (quod mecum omnes Sancti conſulunt, qui de ſpiritu tractant erudiendo) quòd hi qui ſtudent ſuæ ſaluti enixiùs, patrem ſibi ſpiritalem elegerint, cui cogniti ſint intimè, cuius in his quæ ad ſalutem ſpectant, conſilia ſequantur. Qui Confeſſarius, ſeu Pater ſpiritualis, conetur, quoad fieri poteſt, doctus eſſe, multarum rerum vſu peritus, ſanctus. Quamuis autem eiuſdem illi in cunctis ſequi debeant ſententiam, maximè verò in vſu SS. Sacramenti, quòd hoc multum referat, nec par ſit, vt ſeculares ſuo nitantur iudicio, non Sacerdotis. Neque enim æquum eſt, vt quis in propriâ causâ iudex ſit, eâ potiſſimùm quæ facile queat iudicãtem decipere. Si porrò Confeſſarius cui ordinariè confitetur, non videatur ſufficiens, alium conſulat magis idoneum, cui ſincerè & candidè aperiat penetrale mentis, & ad eius ſententiam ſe conformet, nec directè aut indirectè procurando, vt iſte ad conſulentis guſtum & ſaliuam aliquid conſtituat. Futurum quippe tunc quis dubitat, quin, Deo volente, in pœnam, & hic & iſte in errorem ducerentur? Vbi autem ſe quis ſubijciat voluntati diuinæ, vt eam impleat, & quidquid ad eius pertinet obſequium, operetur; fidendum eſt fore vt à Deo Confeſſarius illuminetur: cui proinde ſecurus conſilium ſequi poſſit.

Nemo fidat in ſuo iudicio, in causâ propriâ.

H

Hoc præsupposito, vt nôrit Confessarius, quid cuiq; expediat in frequentandâ communione, ex ratione statûs, conditionis, emolumenti; cõsideratè ei procedendum est, plurimaque notanda sunt, vt hîc infrà subnectemus.

§. II.

Confessarius, examinet studiosè, intentionem & finem eius, qui frequentare desiderat S. communionem.

Primò conetur discutere, atque aperire mentem & intentionem eorum, qui frequentare desiderant SS. Sacramentum. Sæpiùs enim contingit, in fœminis maximè (quarum natura infirmior est, magisque subiecta vanitati) vt, quamuis ipsæ nõ cognoscant, putent se accedere velle ad communionem, bonâ intentione, & spe profectûs animorum: sed re ipsa, eò ducuntur vanitatis & gloriæ quodam fumo, quia id æstimari vident, & quia multi sanè præditi sanctimoniâ hoc ipsũ laudabiliter frequentant. Quòd si in mente vel animũ huiusce gloriæ delitescat, quamuis tectè & occultè, damnum infert maximum, & sufficit ad suffocandam omnem virtutem: quemadmodum modicum fermenti totam massam corrumpit. Vnde Confessarius de hoc certiorem sese faciet, aliquo experimento mortificationis, studebitque tentare fundamentum, quòd in votis sola Dei gloria habeatur: sic enim reliqua secura fixaque erunt, teste Christo: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus*

Quid primò Confessario faciendũ.

Vanæ gloriæ damnum.

Luc. 11.

tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum eri
intelligitur hîc oculus esse intentio & finis, qu
in his, quæ agimus, habetur.

§. III.

Considerandus est status personæ: vt frequen tet SS. Sacramentum, & obligationibus soluat, quibus ex parte eius tenetur.

Quid secundo?

SEcundo, consideret statum, conditionem personæ, obligationes quibus tenetur: quòd frequentando SS. Sacramentum his satisfacere a liquis non possit, omittat S. communionem, d nec id detur. quippe generatim hoc seruandum est, vt illa quæ obligant, præferantur his quæ vo luntaria sunt: licet hæc per se excellentiora sin & maioris virtutis. vnde Samuel: *Melior est obed entia, quàm victima*; per obedientiam, intelligend res quæ obligant; per victimam, quæ sunt volũt tis. Quapropter studiosè curandum, vt his diebu ad communionem accedatur, quibus nihil d cedat, quoad obligationes, quæ cuiuslibet stat adnectuntur: & quibus sufficiens tempus adsi ad præparandum se, confitendum, orandum pau lisper, ante & post Missam, nec in his defectus al quis committatur. Aduertendum tamen circ obligationes, eas hîc censeri, quæ tales verè sun non autem prauas mundi consuetudines, quibu dicitur: Viro nobili eundum esse ad ludos, soda les, conuiuia, & huiusmodi, quæ à mundi asseclı obligationes vocantur, cùm non sint; sed me tantùm abusus, & profana negotia; à quibu

Obligatorijs, cedãt voluntaria.

1. *Reg.* 15.

Abusus, vocantur à mundo, obligationes.

æquu

quum eſt, abſtineant hi, qui frequentare volunt acramenta, & ſaluti ſuæ incumbunt: neque ſub-ant ſe arbitrio legibuſque mundanis, ſed hiſce duerſentur, vt ſaltem à virtute exercendâ non npediantur.

Etenim vt huic methodum conuenientem tra-amus, præuidere debet Confeſſarius, vt qui-unque plus quàm ſemel in hebdomade com-nunicare voluerit, præterquam quòd confitea-ur, & Miſſæ adſiſtat, alteram habeat mediam ho-am, quâ ſe ad communionem componat, alte-amque à communione. quibus locum dare de-et ſtatus & conditio, ſine eorum, quæ obli-ant, defectu, aut omiſſione. Regula, valdè con ducens.

§. IV.

Licentia, ſeu venia, frequentandæ communio-nis, dependeat ſemper à Confeſſarij arbitrio, & voluntate.

TErtiò notandum, vt quando alicui conceſ-ſum eſt toties frui S. communione, in men-e vel hebdomade, non intelligatur iſta licentia am generalis fuiſſe, vt non dependeat vltrà, ab rbitrio Confeſſarij hanc reuocare, præſcindere, ommutare, prout viſum fuerit. Cùm enim id tatuatur interdum ob nonnulla adiuncta, pro-pter ſalutem, aut etiam ſpiritale incommodum alis perſonæ: haud quaquam ſequitur, eodẽ ſem-per ordine & ſtilo eſſe procedendum, adeò vt ni-hil porrò ab arbitrio Confeſſarij dependeat. Quin potiùs ad exercendam humilitatem, obedientiã & mortificationem, negari communio nonnun-quam Quid tertiò, Interdum neganda commu-nio ſine cauſa.

quam debet, vt de virtute experientia sumatur. Si enim id imperari molestè ferant, signum aliquod edant intolerantiæ, eamq; sibi deberi contendant; argumentum est clarissimum à talibus, non frequentari aliquando SS. Sacramentum ad maiorem Dei gloriam, & animæ suæ profectum; sed hîc misceri propriam libidinem, aliosuè fines contortos, non sine labe peccati.

Similiter aduertendum, licet huic concedatur toties & illis diebus cõmunio; id non tam generatim accipiẽdum esse, vt in cõsuetudinẽ vertatur, adeoq; occurrentibus illis diebus cõmunicandũ sibi esse persuadeat, vel deficiente dispositione necessariâ. imò verò, si diebus præscriptis necessaria quædam negotia offerantur, quibus quiete solitâ, debitâq; præparatione frui non potest, omittat cõmunionem, aliumuè in diem trãsferat, vt adsit cõtinuò reuerentia illa, quæ SS. Sacramẽto debetur. Istud etenim cauendum est maximè, vt communio frequentetur quasi ex consuetudine, sine feruore caritatis: maiorq; attentio habeatur ad dispotionem & commoditatem eius, qui communicaturus est, quàm ad dies constitutos.

§. V.

Aduertendum, quid per communionem proficiat, aut deperdat communicans: non tamen illa facilè omittatur, quamuis clarus non appareat profectus.

Quid quartò? QVartò, aduigilet Confessarius diligenter, quid pœnitens communionem frequentando, proficiat. Nam si deprehendat eum per hoc

ɔc nulla penè reuerentiâ accedere, temerariè ɔlâ consuetudine ductum, frigidè omninò, frequentiam illam deminuat, aut certè admonitum eius negligentiæ ad maiorem caritatem ıflammet. Sed aduertendum, quòd præter os casus, quos diximus, ad exercendam in œnitente humilitatem & mortificationem (prudenter id fiat) facilis non sit Confessarius in ommunione abrogandâ, maximè vbi videt uos velle incumbere ad salutem, quamuis etiam ideatur parum illos, aut nihil proficere, & peccatis venialibus crebrò inquinentur, imò interlum mortalibus, modò pœnitentiâ ducti, verè onterantur animo, proponantque meliorem rugem. Quod notatu dignum est, quia solidis ıititur fundamentis. *In negandâ communione vtendum prudentiâ.*

Primò, quia spiritale emolumentum non ita ıcquiritur, vt facilè percipi possit: vt contingit in ırbore, quam crescentem non videmus, creuisse ɔosteà cognoscimus. sufficit videri non deficere: quod ipsum attribuendum est virtuti sanctæ communionis, sicut & in his tantùm peccâtis esse, quibus anteà. vt affirmat S. Bernardus, quem suprà vide. *Non facilè percipitur fructus spiritalis.* *In hoc tract. c. 4. §. 2.*

Secundò, quia etiam Sancti docent, ob peccata venalia non esse à communione abstinendum. Ita S. Augustinus in Decreto: *Quamuis quis peccato mordeatur, peccandi tamen de cætero non habeat consuetudinem, & communicaturus satisfaciat lacrymis & orationibus, confidens de Dei misericordiâ, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus: hoc autem de illo dico, quem peccata mortalia non grauant.* Quod postremum *Ob venialia non differatur communio.* *In c. Quotidie. de consec. dist. 2.*

mum addidit, quia id ætatis, pro quolibet peccato mortali, ad certos dies, S. communione reus priuabatur. quæ summa erat pœna: vnde & nomen excommunicationis profluxit. Quâ ratione intelligas sententiam SS. Augustini & Hilarij cùm dicunt, si peccata tanta non sint, vt mereantur excommunicationem; abstinendum non esse à quotidianâ communione Corporis Domini. Dicere volunt, si peccata mortalia non fuerint, ob quæ communione reus est priuandus, id non fiat propter venialia. Hanc esse mentem Augustini constat ex eius epistolâ 118. vnde prædicta in decretum referuntur.

In c. Si nō sunt tanta, de consec. dist. 2.

Vt indeuotus nō differat communionem.

Tertiò, quia etiam est documentum Sanctorum, licet aliquis seipsum deprehendat minori caritatis flammâ accedere, quàm vellet, & suo iudicio, cum torpore; non idcircò abstineat à S. communione, modò, quod in se est, conetur efficere humiliterque accedat, & cum desiderio promouendæ salutis. Ita SS. Bernardus & Bonauentura quem audi: *Licet tepidè accedas, accede fiducialiter, confidens de Dei miseratione: quia quò magis æger es, tanto magis indiges medico.* Alibi dicit, ne opinetur homo se accedere vt Christum sanctificet, verùm vt à Christo sanctificetur. Enimuerò Ioannes Gerson, auctor sanè grauis, sic quodam tractatu: *Qui propterea ad hoc Sacramentum non accedit, quia tepidus est ac frigidus, similis est ei qui diceret: Ad ignem non accedo, quia frigidus sum; Medicum non requiro, quia infirmus sum. Sacramenta medicinæ sunt; etiamsi infirmus sis, accede: Christus ignis est; etiamsi frigidus sis dummodo in mortali peccato non sis, accede: nam sæpe acce-*

Bern. ser. de Cœna Domini. Bonau. l. de processu religionis. processu 7. c. 11. Gerson de præparat. ad Missam.

cedit homo ad Eucharistiam frigidus & indeuotus, & st illam feruidus & calescens inuenitur. Et Venerailis P. F. Ludouicus Granatensis, in tractatu e communione, ita dicit: *Quamuis autem Sacraentum hoc tantæ sit dignitatis, non tamen ob eam causam mo debet illo abstinere, suam considerans indignitam, atque inopiam: nam in vsum pauperum thesaurus e apertus est; in vsum infirmorum, composita est hæc meicina; pro indigentibus oblatum est hoc auxilium; & pro melicis cibus ille datus est. Verùm quidem est panem hunc se Angelorum, sed & panis est pœnitentium: est quidem bus sanorum, sed & medicina est malè habentium: est uidem conuiuium regale, sed & refectio est laborantium: utrimentum quidem est robustorum, sed & lac est inntium: ita vt omnibus Sacramentum hoc commune sit. Nemo igitur quantumcunque imperfectus, abstinere debet ac medicinâ, qui ex toto corde appetit sanitatem.* Audi Christum: *Non est opus valentibus medicus, sed malè abentibus.*

Lud. Granat. tract. de commun.

Matth. 9.

Hæc retuli, vt ne Confessarij faciles sint in negandâ communione, nisi manifestam vrgentemque causam viderint. Addo, licet pœnitens lapsus sit in nonnulla peccata mortalia, dummodò de his doleat ex corde, proponatq; seriam emendationem; negari non debet illi communio his diebus, quibus solet accedere. *Sic nos existimet homo*, inquit Apostolus, *vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, quibus incumbit recipere peccatores eâ caritate & clementiâ, quâ eos ille recepit. At cùm Christus neminem ad se venientem eiecerit; cur illi peccatores pœnitentiâ ductos, à corporis eius participatione excludant?

Confessarius se consideret vt ministrum Christi.

1. Cor. 4.

§. VI.

Dilatio non addit communicaturo maiorem reuerentiam, melioremuè dispositionem; quin ad hoc ipsa frequentia plurimùm confert.

Quid quinto?

QVINTO, persuadeat sibi Confessarius, per frequentem communionem nullo modo deperdi obseruantiam erga SS. Sacramentum: illam verò magis magisque frequentando accrescere: ad minùs, quantum est ex parte ipsius frequentationis. Fieri quidem potest vt culpa communicantis aliquid deperdatur ex hac reuerentia; quia fortè minori præparatione accedit, aut certè solâ consuetudine (vt diximus) ad quod vigilandum est, omnisque defectus corrigendus. Verùm ex parte Sacramenti, & crebrâ sumptione reuerentia & deuotio augmentatur. Quamuis autem inter homines locum habeat: *Nimia familiaritas parit contemptum*, secùs est in conuersatione cum Deo, & contrà fit. Cuius ratio est, quia quantò magis cum hominibus versamur, tantò meliùs eorum mentem aperimus, cognoscimusque aliquando affectus prauos & effrenes: vnde nascitur contemptus. Deum verò, quantò arctiùs illi coniungimur, tantò meliùs magnum esse perfectumque deprehendimus: quem proinde maiori in honore & reuerentiâ habemus. Quod clarè ad oculum patet in his, qui virtutũ studiosi, frequentes ad Deum orationes fundunt. hi enim maximâ Deum veneratione prosequuntur: ad quam nul-

Apud homines familiaritas parit contemptum, nõ sic apud Deum.

o modo attingunt, qui raris Deum precibus interpellant. Hinc procedit illa differentia, quam S. Gregorius inter corporales & spiritales delitias cõstituit : quòd *corporales deliciæ cùm non habentur, graue in se desiderium accendunt : cùm verò auidè eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contrà, spiritales deliciæ cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm verò habentur, in desiderio : tantoq́; à comedente ampliùs esuriuntur, quantò & ab esuriente ampliùs comeduntur.* Vnde & Sapientia de se : *Qui edunt me, adhuc esurient : & qui bibunt me, adhuc sitient.* Atque ita docet experientia, quantò sæpiùs frequentatur Sanctissimum Sacramentum, tantò maior erga id reuerentia accrescit: modò cum debitâ præparatione accedatur. Greg. hõ. 36. in Euang. Eccli. 24.

Ad hanc rationem alia est: Nimirum sicut in SS. Sacramento ei confertur gratia, qui nullum obicem ponit: quantò accedit frequentiùs, tantò maior gratia crescit: & crescente gratiâ, crescit amor, timor, deuotio, reuerentia, cæteræque virtutes, quæ ex illa nascuntur. Et verò istæ sunt præcipuæ dispositiones ad dignè communicandum. Ex quibus liquidò sequitur, eo digniùs, & meliori dispositione ac reuerentiâ, aliquem communicaturum, quo sæpiùs communicarit. Et hoc procul dubiò, quantum est ex parte Sacramenti, & crebrâ frequentatione, nisi fors in communicante sit defectus, qui nullâ præparatione accedit.

Denique hoc ipsum expresè docent SS Chrysostomus & Cyrillus : *Non est audaciæ sæpiùs accedere ad Dominicam mensam, sed indignè accedere, etiamsi semel*

mel tantùm qui accedat toto tempore vitæ suæ. Plur
eorum sententias, præcedenti cap. videbis. Qu
si penitiùs intueamur, ipsa eadem experient
nos docet, eos qui rariùs accedunt, minore reu
rentiâ duci, quàm hi qui sæpiùs. Vt verbo abso
uam, vera reuerentia SS. Sacramenti in hoc co
sistit, vt quis illud recipiat, omnem operam, qu
ad in se erit, ad debitam præparationem imper
dere. Vbi sanè verus est honor, vera obseruan
tia. quemadmodum si hîc sit defectus, genus e
fastidij & contemptûs: cùm nesciat æstimare qu
perdit, & vilipendat caritatem, quâ vel maxim
Deus seipsum offert, cum omni cumulo meritor
atque virtutum.

Is veram habet reuerentiã, qui Christum recipit.

Nonnunquam, fateor, Sancti docent, abstinen
dum esse, humilitatis & reuerentię causâ: sed ho
propter singulare vitium pœnitentis, qui de diui-
nis æquè iudicat, atque humanis, perditque reue-
rentiam frequentando, quia solâ consuetudine
accedit, sine vllâ quasi præparatione. Et sic vtile
erit abstinere interdum, nisi minima, quam habet
reuerentia, aliâ ratione corrigatur. Etenim satius
erit emendare hoc vitium suum, & maiori acce-
dere consideratione, & affectu, exercendo se in
oratione ac humilitate, non omittendo commu-
nionem. Hanc autẽ propter sese, & quia res sum-
ma, relinquere, non auget reuerentiam, vt dictũ
est: potiùs iterata sumptio ad hoc confert. Quod
toties innuunt Sancti, cùm aiunt, licet laudabile
sit abstinere interdum SS. Sacramento humilita-
te, reuerentiâ, timore: melius tamen esse id recipi
cum amore, & spe diuinæ clemẽtiæ, ac bonitatis.

Interdum laudabile est, abstinere ex reuerentiâ.

§. VII.

§. VII.

Non potest quis sæpiùs communicando, peccare per excessum, nisi in casibus duobus: sed per defectum in multis potest.

Sextò notãdum: licet S. Ecclesia decursu temporum, vetus illud præceptum, quo tenebantur Christiani singulis diebus, dein singulis Dominicis, inde præcipuis quibusdam Festis communicare, licet, inquam, eam legem ita reuocârit, vt semel tantùm præcipiat in Paschate communionem: prudenter hoc instituens, ob deprauatos hominum mores, & consuetudinem inueteratam peccandi, omnesque huic tantùm volens obstringere, quòd essent tanti peccatores, qui difficillimè à via flagitiorum possent auerti; nũquam tamen vetuit frequentandum esse SS. Sacramentum, nec id limite aliquo circumscripsit, quin potiùs consuluit, admonuitque fideles ad frequentem communionem: vt suprà patet. Solùm hoc sanxit, semel tantùm in die communicandũ esse, etiam Sacerdoti: cui tamen quibusdam in casibus bis celebrandi facit potestatẽ; velut, cùm Pastori duplex Parochia incumbit, cui satisfacere vnâ Missâ non potest. nunquam verò tertiâ id vice licet, nisi die Natalis Christi.

Quid sextò.

Nunquã Ecclesia limitauit communionem.

In hoc Tract. cap 3. & 4.

Quapropter in communione recipiendâ, duobus tantùm casibus per excessum peccari potest. Vnus est, cùm contra præceptum in die plus quã semel aliquis communicat. Alter, cùm indignè acce-

Quomodo quis cõmunicando per excessum peccat.

accedit, ſine diſpoſitione neceſſariâ, aut conue- nienti: id enim vel ſemel in vita audere, maximum eſt peccatum, adeoque exceſſus.

Quomodo per defectum. Per defectum verò & omiſſionem hi peccant, qui rectè diſpoſiti ad communionem, ſolâ negligentia confitendi & colligendi ſe, vel certè timore & puſillanimitate vitioſâ non recipiunt, ſuaſque animas ingenti priuant theſauro meritorum. Quænam ſit diſpoſitio ad id ſufficiens, conſequenter dicemus.

§. VIII.

Quæ ſit diſpoſitio ſufficiens ad recipiendum SS. Sacramentum, & qualis debeat procurari.

Quid ſeptimo? SEptimò aduertendum: Diſpoſitio neceſſaria ad dignè communicandum, poteſt dupliciter conſiderari: vno modo, cum proportione ad dignitatē eius, qui recipitur: & ſic nulla poteſt parari diſpoſitio, quæ illi correſpondeat, licet quis ſexcentis ad hoc annis intentus foret. quamuis etiam caritatem Seraphim omniumque Sanctorum, virtutes complecteretur. Omnis enim puritas creaturarum ſordes ſunt, præ infinitâ Dei puritate. Nimirum *in cælis immunditiam, & in Angelis ſuis reperit prauitatem.* *Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.* Porrò ſi hanc diſpoſitionem poſtularet Deus, fruſtra videretur inſtitutum eſſe SS. Sacramentum: nemo enim eſſet, cui liceret recipere. Enimuerò pijſſimus Saluator, qui id inſtituit ad medicinam eorum qui infirmi erāt, ad noſtram ſe conformauit debilitatem; & nihil vltrà

Nulla diligentia ſufficit, vt quis accedat ſecundū quod Christus meretur.
Iob 4.
Iob 26.

ltrà petijt, quàm quod ipsi possemus, quodque ermitteret humanæ fragilitas naturæ.

Vnde altera est dispositio, quam postulat Deus, abeamus nos infirmi & peccatores. Quæ etiam uplex est. vna, quæ præcisè necessaria est ad umptionem SS. Sacramenti, & quæ sufficit, vt audabiliter & cũ fructu recipiatur. Atq; hæc est habere conscientiam, nullâ mortiferâ labe infectam, aut si ita est, sublatis per confessionem peccatis, incumbere, vt ardenti affectu à quolibet nostrûm Christus recipi queat in Sacramento. Ista est dispositio, quam omnes Sancti ac Theologi necessariam dicunt & sufficientem, vt quis accedat: quâ habitâ, consulendum est semper, securus sit, confidatque fore, vt à Deo omnis suppleatur defectus, si adsit cum humilitate bona voluntas, & de hac dicitur, qui eam habuerit, licet multis venialibus abundet, non esse ei à sacrâ sumptione abstinendum; ac satius esse cum amore & desiderio proficiendi accedere, quàm præ timore & humilitate abstinere.

Quæ sit dispositio necessaria ad recipiendũ.

Altera est dispositio: quâ ducimus non esse satis, vt præfatam duntaxat habeamus, quæ ferè minima est ad saltem non indignè communicandum: sed illam ipsam conamur perficere, quoad licet viribus humanis præuentis à gratiâ. Et hæc dispositio nec limitem, nec terminũ habet. Nam, vt diximus, non potest homo, vt maximè laboret, ad illam peruenire, quæ cum dignitate Saluatoris conueniat. Proinde iustissimum est, vt qui eum recipimus gratis, connitamur recipere perfectissimâ dispositione. vbi enim omnibus neruis in hoc inteude-

Quæ dispositio debeat procurari.

tende-

tenderimus, officiorum adhuc magnâ religion constringemur. Quod nos Sancti monent tam se riò, tam enixè; quodq; omnibus semper, arripiant consulendum est. Porrò ad hunc finem dirigitu omnis doctrina, quam suprà pertractauimus, vbi de sanctitate, quæ Sacerdotali muneri adnectitur, & de præparatione ad celebrandũ. Præsertim cùm hoc verum sit, vt ibidẽ dicebamus, quantò maior est præparatio & dispositio, tantò maior est fructus, qui ex Sacramenti sumptione comparatur.

Tract. 2. & 4.

§. IX.

Christus magno afficitur honore, cùm à fidelibus SS. Sacramentum frequentatur.

Quid octauo.

OCTAVO considerandum: Suscipere Eucharistiam, est actus latriæ & cultûs diuini, tam excellens & heroicus, vt maiorem Christianus facere vix possit, in quo æquum Seruatori Christo obsequium præstetur. Etenim res est certissima, maximè eum gaudere, si ab omnibus fidelibus, quibus impedimentum non est, dignè excipiatur. Vnde & sub specie cibi, & panis quidẽ, qui communior est, hoc nobis testamentum condidit. Vt scilicet ipsa necessitas huiusce alimenti nos doceret, quantum egeamus hoc animarum edulio: propriaque vtilitas nos obstringeret, vt sæpiùs id reciperemus. Ac propter eandem causam nobis tantoperè Christus commendat: *Nisi manducaueritis, &c. non habebitis vitam in vobis.*

Quare Christus sub specie panis Corpus suum reliquerit.

Quòd Christus magno quasi gaudio lætetur, cùm à Fidelibus frequenter sumitur in Sacramento; præter hoc quòd sit conforme Euangelio, sanctorum-

orumque Patrum testimonijs, confirmauit ipse
eus, docuitque plures è famulis suis fidis, singu-
ri instinctu, & variâ reuelatione. vnam verò
ibijciam, quæ est probatæ fidei, tabulis testibus-
ue locupletibus firmata. habetur autem inter
s, quæ factæ D. Gertrudi: in cuius tertio libro
euelationum hæc reperias.

Lib. 3. Insinuationis diuinæ pietatis. c. 78.

Quidam (indubiè Confessarius aliquis aut Præ-
icator) ductus zelo, indignatus est quibusdā reli-
iosis fęminis, intelligens eas sæpiùs communica-
e, non illo, quo decebat, deuotionis affectu. quod
bi tristi vultu, asperis verbis significâsset, causam
edit, vt nonnullæ perculsæ metu, seipsas com-
nunione sacrâ priuarent. Gertrudis verò indolēs
uper re gestâ, sollicitis à Christo precib⁹ postula-
it, indicaret quid sibi de hoc videretur. ille respō
lit: Cùm deliciæ meæ sint esse cū filijs hominum,
quibus in signum amoris hoc condidi, Sacramen-
tum, vt id frequentarent, inq; mei memoriam su-
sciperent: in quo ipse me ad finem vsque mundi
futurum, pollicitus fui; certum est, quicunq; à me
seiunxerit eos homines, qui bonæ sunt intentio-
nis, nec mortiferâ labe inquinantur, & verbis, seu
opere, à mei participatione corporis amouerit, hic
sanè delicias mihi surripit, quibus eram fruiturus.
Similis autē est pædagogo Principis, qui iuuenem
à sodalium cœtu castigatione durâ excludit, quos
tamē ille amat maximè, & quibuscū versari gau-
det. causa verò hæc adfertur, quod deceat Prin-
cipem esse cum Magnatibus regni, nō pilâ ludere
in cōpitis, alijsq; eius ætatis lusibus intentū esse.
Etenim Gertrudis hac comparatione intelligens

Notabilis reuelatio facta S. Gertrudi.

displi-

displicuisse Christo, quòd timore & reuerentiâ abstinuissent, ita locuta est: Si hic homo ex nunc proponeret meliora, & peccatum suum deprecaretur, nonnè ignosceres? Respondit Dominus: Non tantùm ignoscerem, sed etiam benè afficerer proponenti meliora. quemadmodum faceret Princeps, si magister eum suis redderet, & in amatam duceret societatem collectaneorum. Hæc ex isto libro hactenus desumpta.

His qui abstinebant ex reuerentiâ, sese Christus obtulit.

Idem confirmatur rebus gestis Sanctorum, qui humilitatis & reuerentiæ causâ cùm abstinerent, obtulit se Christus in hostia ab altari delatus, osque ingrediens mentis subijt penetrale: quod legitur de SS. Bonauentura, Catharina Senensi, alijsque. in signum placere sibi magis cum amore sumptionem, quàm abstinentiã cum timore.

Notent Prædicatores & Confessarij.

Prou. 8.

Ierem. 3.

Hæc, & huiusmodi notent Prædicatores & Confessarij. quibus si fidem negent, habeant (quibus negari non potest) sacris Literis, vbi Deus ipse testatur: *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* vbi anima adultera, quæ se mille modis contaminârat, inuitatur amicè ad reditum: quod si faciat, in promptu esse pristinam beneuolentiam, solitamq; conuersationem. Expendant, quàm benignè & amanter Deus sponsam suam in Canticis, animam, inquam, compellet. verba illa dulcissima verbis exprimere stultum, cogitatione vix assequare. Discant hi humanitatem, comitatem, dulcedinem, quam immensa Dei Maiestas sui oblita erga homines, vsurpat, quâ facilem se præbet, optatq; vt ab his, quos amat, redametur. Sic etenim mitigabunt nimium zelum honoris diuini, nec tam

parci erunt eius erogandi, quod nobis Deus largissimè communicauit.

Ad quod stimulũ fors subijciet, si contemplẽtur, quàm amicè egerit Saluator cũ peccatore quodam notorio, seu publicano, imò omnium principe, Zachæo. hunc cupido incesserat videndi Christi; in arborem conscendit, vt voto potiretur: etenim cùm videre tantùm vellet, Saluator dedit & frui: *Zachæe, inquit, festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere.* Ita factum, nec curauit Christus obtrectationem & cauillos Pharisæorũ, qui frendebant eum diuertere ad peccatorem, alienum id à tanti viri grauitate, ac sanctimoniâ arbitrati. Sed enim non solùm ille hospes fuit Zachæi, verùm etiam maximis affectum beneficijs ad virtutis tramitem reuocauit.

Benignitas Christi erga Zachæũ.

Luc. 16.

Porrò, si Christus sequitur non inuitantẽ, quærit se non quærentẽ, quia aduertit bonæ eum esse, mentis: quî fieri poterit, vt se neget illi, quẽ inuitat, quem quærit, si eum videat edidisse propositum vitæ melioris? quare autẽ nos ministri illũ negabimus his, qui cibo illo cælesti, ad famem animi pellendam, frui volunt? quare summo bono illos priuabimus? illud sanè percipitur eâ ratione qua Zachæus salutẽ est cõsecutus, hospes Christi.

Quæ aduertenda & notanda diximus, attentè considerari debent: continent enim doctrinam veram, fixam, ratam, non absimilem Sanctorum. Quòd si benè excutiantur, methodũ dabũt Confessarijs, quot dies cuilibet ad communicandum præscribent, habitâ ratione conscientiæ ac status, ac cæterorum, quæ ad id examinari debent.

CA-

CAPVT VI.

Traditur methodꝰ magè particularis: qu[æ] seruanda in frequentiâ communionis.

QVamuis prædicta possint sufficere, vt his Sa-cerdotes & Confessarij ducantur: quia ta-men res est maximi momenti, quam attentè in-trospexi, visum fuit efferre specialiùs, quid senti-rem, quid sequi alius in casu particulari posset. Norint autem id à me dici, meamque esse senten-tiam, quam subdo iudicijs & censuræ eorum, qu[i] rem meliùs vestigabunt.

§. I.

Omnes Christiani quotidie deberent accedere.

Aug. epist. ad Ianuar. & l. de Eccles. dogm. c. 53.

DIco igitur primò: vellem, & opto vehemen-ter, vt quilibet Christianus, singulis Domi-nicis, aut semel in hebdomade ad cõmunionẽ ac-cederet, & nemo, licet crassus peccator, vltra die[s] octo eã differret. Hæc aperta est sententia Augu-stini. Quẽ nõnulli malè interpretãtur, fortè quia ipsum fontem nõ adierunt, & existimant eum li-mitem ponere, non esse sæpiùs cõmunicandum quàm semel in septimanâ. vnde & eam methodũ præscribũt velut Augustini. Sed errant, vt ad ocu-lum clarè patebit, si attentè euoluatur. Sanctus enim Doctor, diuersis vicibus, quotidianã cõmu-nionẽ cõsulit, atq; commendat. Quod verò dicit: *Quotidie accipere, nec laudo, nec vitupero,* intelligitur de cõsuetudine generali, qua omnis populꝰ varijs locis id temporis indies cõmunicabat: quod fortè non erat sine incõmodo. Vnde dicit, *non laudo,* & pru-

rudenter adiunxit, *nec vitupero*. Consulit autem emel in hebdomade, id est non vltrà differēdum sse & hæc procul dubio mens est Augustini. Cui uidem ego assentio: & videtur iustum, vt omnes Concionatores & Confessarij, hoc ipsum consu- ant & procurent, vt quilibet Christianus in se- ptimana semel accedat. Etenim nulli neganda est communio, qui ad hanc vel maximus peccator e volet componere: quin potiùs ad illam animā- dus est. Nec enim impedimento sunt grauissima peccata, nec relapsus: dummodò horum pœni- teat, nec scelus sit continuum, neu constitutus sit n proximâ occasione peccandi, à qua nolit rece- dere. quæ faciunt, vt homo in statu infelice verse- tur, nec veram agere pœnitentiam possit.

Si vera est Pœnitentia, peccata non impediũt communionem.

Enimuerò si accideret mihi peccator, innume- ris grauissimisque sceleribus constrictus, quem intelligerem verâ duci pœnitentiâ, & propositum edidisse vitæ melioris; consulerem profectò sin- gulis Dominicis communicaret. Quòd si Sabba- to sequenti rediret eodem, quo antè, pondere grauatus peccatorum, viderem que quòd pœnite- ret eum cum proposito emendandi, magis hunc accenderem, ne communionem semel inceptam relinqueret. Et si iterum iterumque sic reuerte- retur, communicaret omnino admonerem.

Quod si quis hanc nimiam esse indulgentiam putet, obsecro constituat talem ante pedes Sal- uatoris. An non veniam sceleribus ex animo pe- tentem, recipiet Christus magno amore, magnâ pietate? huic similes esse eiusdē ministri studea- mus. Etenim si quis læsus à vipera me accedat,

Pia consideratio.

qui theriacam habeo sanitatis ego verò nolim e reddere saluti, quòd sæpiùs id iam contigerit, ne cauerit ille à morsu serpentis: nunquid crudeli ego, inhumanus, barbarus? Sanè crudelior est, qu peccatori negat animæ salutem, licet id sit pos medicinam sæpiùs applicatam. Si hoc minùs vi deatur, quid sibi volunt Christi verba, cum Petr

Matth. 11. interroganti: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* respondit? *Non dico tibi vsque septies, se vsque septuagies septies*, imò septingenties, &c.

Cum prudẽtia pœnitens in ducendus ad emendationẽ. Hîc nihil demo prudentiæ, quã habere debe Confessarius, in procuranda omnium salute. quin vbi inueteratam videt consuetudinem peccandi aut scelus crebrò geminatum, differat sanè communionem, imò & absolutionem. Sed fiat hoc discretè & prudenter, vt cedat in commodum, non dispendium animarum. Nam si videt niti reum, vt se corrigat, quamuis non omnibus neruis, & ad hoc videatur adspirare; negari non debet medicina, quæ ad id consequendum non minimam feret opem. Confessarius etiam, quoad in se erit, conetur efficere, sic viuat pœnitens, vt cõmunicare singulis septimanis possit. & si reus non sit mortalis delicti, nec in occasione proximâ, aut huius virtuali proposito; nullatenùs debet negari. Quod à veræ Theologiæ regulis non est alienum, vt multis fundamentis facilè probaretur. sufficiat referre, quæ huius ætatis vir doctus

Enriquez l. 8 de Euchar. c. 53. circa hanc materiam suadet: *Prudens Confessarius à luteo homine non exquirat diuinam aut Angelicam puritatem: sed satis est ea probatio, vt de præteritis habeat iustam accusationem, & de præsenti non habeat iniustam*

ſtam delectationem, de futuro verò iuſtam voluntatem. ; ſufficienter diſpoſitus accedet. Et pòſt: *Quos Confeſſa-us iudicat idoneos abſolutione, (vt qui habeat attritio-em dignam, quæ affectum peccati excludat, nec inſordeſcit eccato publico, cuius ſcandalum ante communionem au-erendum ſit) poteſt incitare ad communionem, quamuis acilè recidant non ex habituali conſuetudine, ſed propter xtrinſecas cauſas, quæ fortè tentant. Habet enim homo ius d medicinam Sacramentorum, vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Pſal. 103.

Adeò, vt diſpoſitio quæ ad ſemel in anno com-nunicandum ſufficit, ad idem ſingulis Dominicis ufficiat, modò ad illam ſe homo præparare velit. Quod autem ipſe dico eſt, vt Prædicatores & Confeſſarij, quantum in ſe erit, conentur procu-are, Chriſtiani ſe ita diſponant: nec terrendi ſunt, ſed animandi. quod præcisè volunt SS. Am-broſius, & Auguſtinus: *Qui non meretur quotidie acci-ere, non merebitur poſt annum.* id eſt, diſpoſitio quæ ſufficit, vt quis in anno ſemel communicet, ſuffi-cit vt quotidie, dummodò ad hanc ſe componat. *Suprà in hoc Tract. c.4.§.1.*

§. II.

SVPPOSITO igitur, quod cuilibet Chriſtiano, quamuis maximus ſit peccator, conſuli debet, vt ſingulis Dominicis frequentet.

Dico Secundò, quòd his, qui vitam ſequuntur arctiorem, à grauioribus abſtinent ſceleribus, ve-nialia etiam declinant, ſaluti ſuæ diligentiùs in-cumbunt; concedi poſſit & debeat bina in hebdo-made communio. nec refert eos non carere defectibus, aliquid propriæ libidinis ſupereſſe, Quoties frequentabunt, qui ad meliora quotidie tendunt.

nec profeciſſe multum in virtutibus, modò ad adſpirent & conentur. His verò qui plùs profec runt, qui orationi & exercitio ſpiritali vacant, inquirunt circa hæc, non eſſe nimium arbitror, ter, aut tertio quoque die fruantur. Quæ intell ge, ſeruatis, quas ſuprà diximus, conditionibu Si ex ſtatu, & nullo defectu obligationum, pra parare ſe poſſint eâ quiete, quâ conuenit, antè poſt. Adeò, vt plus difficultatis iudicem in ho quòd poſſint & velint ſe expedire à negotijs, ritè diſponere ad dignè communicandum, quar quòd debeant in virtutibus profeciſſe. Etenim vt dicit S. Bonauentura, homo accedit, non v Chriſtum ſanctificet, verùm vt à Chriſto ſancti ficetur. vnde nec eſt neceſſe, vt qui accedit ſan ctus ſit, aut abſolutus in virtute: modò talis eſſ deſideret.

Pro quo notandum. Cùm Apoſtolis Chriſtu dedit Sacramentum, infirmi erant tam in virtute, quàm in fide. Quin eadem nocte grauiter deliquerunt, vnus negando, reliqui Magiſtrum deferendo, plerique fidem & ſpem Reſurrectionis abiecerunt, quam illis toties prædicârat. Vnde non arbitror tantam perfectionem requirendam eſſe in his qui frequentant: quandoquidem communio medium ſit ad illam adquirendam.

Confiteor inſcientiam meam (ſi hæc eſt:) quatenus rem iſtam altiùs inſpexi, eatenus opinio mea vires cepit, & optaui omnes ad eam ſe conformarent. Si alijs aliud videatur, reſpondebo id Rom. 14. Apoſtoli: *Vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet.* Et quod Auguſtinus: *Vnuſquiſque faciat, quod ſecundùm fidem ſuam*

am credit esse faciendum. Hæc faciliùs sequenti capite innotescent.

CAPVT VII.

Declaratur, liceátne, aut conueniens sit, vt præter Sacerdotes, alij ad Communionem quotidie accedant.

§. I.

HANC quæstionem mouet S. Thomas, cuius responsum vide suprà. Cui cùm Angelicus Doctor sapienter responderit, sententiam suam abundè confirmans, quæ sanè cum Sanctorum doctrinâ conuenit; temerarium foret alio modo respondere. Non faciam, neque latum vnguem ab his, quæ resoluit, discedam. Quæ dicturus sum, habebunt se per modum declarationis. quod verò ipse dixit clarè satis & distinctè, sed stilo Scholastico, efferam terminis, qui familiares & communes sunt, atque ita figam, vltrà dubium esse nemini possit.

S. Thom. p. q. 80. art. 10. In hoc Tract. c. 4. §. 3.

Pro quo ad ea, quæ præcedentibus cap: dicta, animus & cogitatio referenda. illa enim fundamentum sunt eorũ, quæ hoc articulo decidentur.

Vbi confiteor me satis admirari non pôsse scrupulum & religionem, quâ loquuntur de communione viri graues & docti, tanquam foret res periculi plena, & assiduâ frequentatione in discrimine versaretur Dei honor, auctoritas & virtus Sacramentorum. Hoc zelo feruntur, ne quis in

Nota scrupulum quorundam.

in eâ re fors delinquat. Cùm tamen contrà communio sit verum antidoton, salus, vita animarum: & crebra frequentatio sit id, vnde Deus maximo honore afficiatur: quam omnes, qui eius se honore & gloriâ duci putant, habere in votis & procurare deberent.

Posset quidem, dum Eucharistia indignè, sine dispositione conuenienti recipitur, incurri periculum irreuerentiæ, ac dispendij animorum: vnde nec omnibus quotidiana communio prodesset: at iniquum foret, si timore huius periculi aut incommodi, (quod aliquorum tantùm est) tam generale edictum poneretur, tanquam res de se illicita, aut periculosa esset: aut SS. Sacramentum non æquè laicis foret institutum, nec illi ius haberent sibi deposcendi, quoties rectè sibi dispositi videbuntur: aut præcepisset Christus toties se, nec vltrà, suscipiendum esse. Igitur loquar hic fidenter: quia spero nihil me à S. Thoma recessurum, qui aliud senserit, tale sibi adminiculum quærat.

Quid S. Thomas circa quotidianam communionem.

Etenim resolutio S. Thomæ est eiusmodi: *Quantum est ex parte Sacramenti, vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Quantum est ex parte sumentis, quia multoties in pluribus hominibus multa impedimenta deuotionis occurrunt, propter corporis vel animæ indispositionem, non est vtile omnibus hominibus ad hoc Sacramentum accedere: sed quotiescunque se homo ad illud inuenerit præparatum.* Hæc verbis eius methodicè digestis. Ex quibus liquet alium non esse limitem, præter non esse dispositum.

* * *

§. II.

§. II.

NVnc reliquũ est vt enucleetur, quandonam homo rectè dispositus dici possit. quod suprà ostendimus, vbi est sententia Sanctorum ac *Cap.5.§ 8.* Theologorum omnium: qui conscientiam habet nullà mortiferà labe infectam; sin minùs, sublatis per confessionem peccatis, de cætero proponit ad virtutem incumbere; hic tutò communicet magnam vtilitatem percepturus. Quin etiam (testibus SS. Ambrosio, Augustino, Chrysostomo) eam dispositionem, quæ sufficit ad semel communicandum, sufficere diximus vt sæpiùs, licet quotidie. rationem adfert Chrysostomus euidentem: *Chrys. hom 5 sup. 1. ad Tim.* *Nihil habet amplius, quod in Pascha consummatur mysterium, illo quod continuè celebratur: vnum quippe atque idem est, eadem litatur hostia, idem sacrificium consummatur. semper ergo Pascha est.*

Adeò vt, si is qui in Paschate communicat ad implendum Ecclesiæ preceptum, sufficientem habeat dispositionem ad esum Sacramenti, & postridie eandem habeat, volueritque suscipere: sic tertio, quarto, quinto, cæterisq; anni diebus, imò & totà vità: rectè facturus videatur. Communio enim hesterna non aufert de dispositione ad hodiernam, potiùs superaddit: quantoque magis communicarit, tanto meliùs erit dispositus, modò ex altera parte illam dispositionem non amittat; & si amiserit, conetur recuperare contritione & confessione. Vtinam multi, aut omnes, in hâc dispositione persisterent, qua semel ritè communicarunt, (quamuis etiam nõ esset adeò perfecta,

dummodò sufficiens) vtinam cum hac in dies accederent! ius illis esset petendi SS. Sacramētum, & afficeret iniuria, qui negaret habitâ dispositione, aut vllatenus impediret. Id verò optari nullus miretur, nec stupeat. si tamen; audiat Concilium Tridentinum : *Optaret sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos SS. huius sacrificij fructus vberior proueniret.*

Seß. 22. c. 6.

At rogo, vtrùm liceat mihi optare, quod Concilium? Si licitum optare; procurare an liceat? Certum, si procurare nefas, & nefas optare. Huic me conformans, dico me optare & desiderare vehementer, vt Prædicatores & Confessarij, ac omnes qui saluti inuigilant animarum, optarent & conarentur efficere, plurimi essent, qui se ad communionem quotidianam compararent. vt consuetudo illa sanctissima, quæ olim viguit, si non ex toto, ex parte, quoad fieri posset, reuocaretur. Sanè persuadeo mihi rem fore Deo, & Ecclesiæ, acceptissimam. Quòd si multi frequentarent, incommodum vnum, idque maximum auferretur, de quo infrà.

In hoc c. §. 6.

Enimuerò, si obijciant tantam modò non esse caritatem, nec æquam vitæ perfectionē, ad quam omnes olim adspirabant; Respondeo id ita esse: vnde & dixi non posse fieri, vt integrè ea consuetudo reuocetur: at cur desperemus fore, vt multis hac ætate tantam Deus gratiam & fauorem conferat, quantam habuerunt veteres Christiani, aut si non æqualem; eam quæ sufficiat ad dignè com-

ommunicandum, vt in virtute etiam illi perfi-
antur? si porrò hac Dei gratia donantur, cur eos
cælesti edulio priuemus?

Aduertendum etiam: licet generatim loquen-
o, olim esset in Ecclesia maius virtutis studium;
aud dubiè tamen multi fuerunt magnis pecca-
s obnoxij, vt ex Epistolis Pauli constat. prima ad
orinthios sic: *Ego, fratres, non potui vobis loqui
uasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: cùm enim sit
ter vos zelus & contentio, nonnè carnales estis, & se-
ndùm hominem ambulatis?* Et quinto cap. arguit
los tanquam impudicos & adulteros, &c. A-
ostolus verò Iacobus in Canonica: *Vnde bella,
r contentiones in vobis? nonnè hinc ex concupiscentijs
estris?* Et iterum: *Adulteri, nescitis, quia amicitia
uius mundi, inimica est Dei?* Alijsque è locis cer-
um est, fuisse scelestos, qui & pro talibus nunc
aberentur. vnde & viuunt modò non pauci, qui
ræditi virtute nonnullos, multos fortè, ex ve-
eribus illis superant innocentiâ, quibus, non vi-
leo causam, si petant rectè dispositi, cur
quotidiana communio negetur, quandoqui-
dem ius ad eam habeant fideles, sicut etiam
ad cætera Sacramenta, quæ sint conseruatio sa-
lutis, augmentum vitæ spiritualis: maximè, cùm
sciamus in primitiua Ecclesia quamuis aliqui de-
linquerent sæpiùs venialiter, ob id nunquam
communione quotidianâ priuatos fuisse, nisi
grauia & mortalia committerent, vt suprà est
declaratum.

Initio Ecclesiæ in nonnullis erant peccata.

1. Cor. 3.

Iacob. 4.

In hoc Tract. c. 5 §. 5.

§. III.

Ad quotidianā cōmunionē non requiritur sanctitas, aut summa perfectio

ITaque summoperè desidero, persuadeant sibi Confessarij, non esse necessum ad quotidianam communionem, vt quis sanctus habeatur & confirmatus in gratia (quemadmodum multi videtur) nec requiri, vt in culmine sit perfectionis. sufficit ad hoc adspiret, curam habeat suæ salutis, de oratione facienda inquirat, disponere se velit ad quotidie communicandum, id deniq; facere possit simul obligationibus se soluendo: in quo postremo plus vigilandum, quàm vt sanctitas vitæ adsit. Et in hoc excellebant maiorem habentes opportunitatem, qui vixerunt prima Ecclesiæ ætate. Tunc enim fideles hęreditate, patrimonio, bonisque acquisitis sese exuebant in cōmune totum referendo, atque ita paupertatem amplexi, curis erant liberi temporalibus, vacabantque commodiùs orationi & communioni, in quibus vni id temporis tenebantur. Nunc verò multos impedit amor & affectus diuitiarum, quibus congerendis intentos tempus dificit, vt quotidie se præparent ad S. Synaxim. Sed eos, qui istis nō detinentur, (vel ex status conditione, vel suomet labore, res terrenas contemptui habendo) & quadam paupertate seu mediocritate contenti, vt spiritalibus meliùs incumbant, eos, inquam, priuare illo bono, quod ipsis commodo esse possit in mente, (præsertim si adsint adiuncta vel circumstantiæ, quas suprà posuimus) iniustum planè censetur. Qui porrò id ausi fuerint, metuant sibi dictum per Prophetam: *Paruuli petierunt*

Negare his cōmunionem, qui se benè disponunt, iniustitia est.

Thren. 4.

erunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Per paruu-
os intellige animas illas, quas diximus non esse
erfectas in virtute, ad quam tamen incumbunt.
er eos qui non frangunt, ministros, quibus hæc
ispensatio credita est.

§. IV.

CVm mentionem de pane fecerimus, alteram adnectemus rationem, quæ efficaciter icta confirmabit. Christus Dominus SS. Sacramentum reliquit in specie panis, qui cibus omniũ communissimus. docuit porrò nos orare, *Panem ostrum quotidianum da nobis hodie*: id est, Domine, a nobis nostram portionem, & sustentationem communem: hoc enim sibi vult panis quotidianus. quòd verò ille accipiatur de SS. Sacramento, st opinio Sanctorum. vt suprà. quod magis confirmat Euangelista Matthæus, qui loco panis quotidiani posuit Panem supersubstantialem, id est, panem alimenti spiritualis, excellentem atque diuinum, qui substantiam excedat rerum terrenarum. *In hoc tract. cap. 4. §. 1.*

Igitur ex vnâ parte Christo dicitur panis quotidianus, quem nos petere iubet quotidie, commendatq; eius frequentationem, qui nobis necessarius sit, ex quo innumera simus commoda percepturi. Ex alterâ Apostolos videmus plenos Spiritu sancto, qui consuetudinem quotidie recipiendi in Ecclesiâ fixerunt. Iterum ex vnâ parte sanctissimos Doctores audiuimus, qui illos secuti in regimine, maximo adfectu, verbis clarissimis ad quotidianam excitant communionem. Ex al- **Rationes multæ pro communione quotidianâ.** *Suprà in hoc tract. cap. 4.*

terâ

tera verò, Ecclesia nunquam illam vetuit, aut li-
mite circumscripsit, nisi semel in die tantùm ac-
ciperetur. Nec prohibet solùm, imò optat & de-
siderat, quotidiana communio, vt antiquitus, si
modò frequentetur. patet ex Tridentino. Qu-
cùm verissima sint, quæ adferri potest causa, v-
his qui velint accedere sufficienter dispositi
communionem quotidianam denegemus? nul-
lam sanè video.

Doctrina prædicta est Sanctorum.

Si nihilominùs cuipiam videatur, largum mo-
esse nimis, & summam copiam facere, non hoc
mihi adscribat, quod ipse non somniaui, quodq;
asserunt SS. Doctores, Cyprianus, Athanasius,
Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Hilarius,
Cyrillus, Bernardus, S. Thomas: hæc ipsorum est
doctrina, quam expresse & euidenter tradunt,
quos vide suprà. Ex ore tam grauium auctorum
sumpsi resolutionem scriptam in hoc articulo:
qui laxiorem censent, his attribuant: his se oppo-
nant qui contradicere præsumunt.

Pharisæorum zelus apparens.

Tantùm rogo aduertant hi, qui zelo ducun-
tur, ne reuerentia Christo debita & Sacramen-
tis perdatur: aduertant, inquam, ne spiritum ali-
quem concipiant Pharisæorum, qui se eodem du-
ci zelo existimabant, indignum rati Christo, &
eius sanctimonia, cœtus ingredi peccatorum, cos-
que ad suam admittere societatem. Sed illis be-
nignè respondit Saluator: *Non est opus valentibus
medico, sed malè habentibus. Non enim veni vocare
iustos, sed peccatores.* Quapropter non excitabant
ei nauseam scelera grauissima. in cuius signum sa-
nabat leprosos, hydropicos, paralyticos, aliasque

Matth. 9.

que

e ægritudines, quamuis horridæ essent, & fœdæ aspectu.

§. V.

VNA tamen formari posset obiectio contra dicta: quòd nonnulli auctores graues, docti, ij, censeant & indicent omninò, sufficere vnam i hebdomade communionem in his, qui Sacer-otes non sunt, & hac eos contentos esse debere, antumuis sint virtute ac sanctimoniâ excellen-s. vnde videor ego temerarius, qui plus, imò rgissimam licentiam concedo. Obiectio contra dicta.

Hoc argumentum, fateor, incussit mihi reli-gionem altiùs cogitandi. quòd, qui hæc dicunt, auctores magnæ sint auctoritatis, quibus & ego urimùm deferam. Sed à cogitatione seriò in-situtâ, & collatis his qui huius sententiæ, cum il-is qui meam tuentur opinionem, inter vtramque artem tanta est imparitas, vt sexcentos illa, hæc num alterumque censeat. Vnde videor mihi, uòd talibus fideiussoribus tutò me opponere mnibus possim, qui contrarium asserere conan-ur, nec periculum esse audaciæ, vel temeritatis: ùm, vt ostendimus, consilium, quòd hîc datur, sit S. Patrum, Doctorumque Ecclesiæ, qui hanc vt olumnæ sustinent, qui fontes sunt, è quibus sa-ra Concilia hauserunt scientiam, qua, quid esset Catholicum, definirent. Solutio.

Puto sic de audaciâ me purgatum esse, ita ta-nen, vt ipse quid replicare velim: Nimirum quo undamento laicis semel tantùm in hebdomade ermittunt? Etenim non ex Euangelio, neque Replica.

sacris

sacris Literis id didicerunt. Nam Christus hoc Sacramentum instituens, non mandauit, vt Sacerdotes quotidie, laici semel tantùm in septimana, aut illis & illis diebus communicarent. Nec panem hebdomadalem aut menstruum, sed quotidianum nuncupauit: quin illum omnes omninò docuit peteremus. Profectò nescio, vbi directè, vel indirectè, ista limitatio præscribatur. Neque sanctis Doctoribus hęc sententia tribuenda est, cùm nostram illi tueantur: adeoque patet, videtur saltem, illam eorum ex arbitrio profluxisse: cùm opinarentur ad octo dies quamlibet communionem rectè differri. Hinc applicari eis posset, quod Presbyteris Bethuliæ S. Iudith, vbi eis quinque dies, non habito subsidio, decreuissent se hosti dedere, ait illa: *Qui estis vos qui tentatis Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs, qui iram excitet. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.*

Iudith 8.

§ VI.


Aduertentia notabilis.

VNVM in hac re consideratione dignum deprehendo: quod magni esse momenti reor, & nõ parum inuoluit difficultatis. Videlicet cùm ita exoleuerit quotidiana communio, vt res rarissima videatur; apud omnes fama habet, cui illa conceditur, necessè est illum esse eximiâ sanctitate atque innocentiâ: qui ergò quotidiè communicat, Sanctis illicò adscribitur. Hoc discrimen est maximum virtutis, vel vera ea sit, nisi fixa, stabilis, radicata. Sic mecum Sancti docent, & experientia

Aug. epist. 64. Ansel. sup. 1. Thessal. 2. Chrysos. hõ. 3. in Ioan. & hõ. 17. sup. ad Rom.

rentia confirmat. fuerunt enim nonnulli illustres virtute, qui illam ipsam miserè perdiderunt, quia hasce gloriæ titillationes admiserũt. Ex natura enim hos fumos diligimus: maximè verò mulieres. quòd in fragiliori sexu constitutæ. vnde nullus facilè huic exponendus periculo; nec dicendum vnquam, eam ab omnibus, sicut & Confessario, haberi in opinione sanctitatis.

Hîc inquam, cautè agendum, rebus, vt sunt, & communione quotidianâ vix in vsu. vnde Confessarij & Prælati ex suâ iudicent prudentiâ, & hanc doctrinam ita sectentur, vt in commodum, non dispendium cedat animarum. Porrò diligentia & studio opus, ne sequamur quod præscribit hostis ille, contra frequentationem Sacramenti. procurandum certè, vt paulatim vincatur, & accrescat vsus quotidianæ communionis: fiet enim vt istorum nihil timendum sit. Fidenter dico, magnum Christo & Ecclesiæ obsequium sic præstandum esse, magnamque vtilitatem ad omnes venturam. Porrò ad hoc faciet humilitas exercita, propriæque vilitatis cognitio, in his qui sæpissimè frequentabunt: persuadendum ipsis, quotidianam communionem non concedi, velut habeantur sancti; sed quia desiderant, vt aliquando sint, & vt propriæ succurrant infirmitati. His alijsque remedijs vtendum, Spiritu sancto docente, conformiter ad eorum conditionem qui sunt accessuri.



CA.

CAPVT VIII.

De religione, qua arctè obligantur Sacerdotes ad Missam: & licet de præcepto non teneantur quotidie, consilio tamen vtilissimo parebunt.

SVperest arctiùs agamus, sitnè necessarium, aut conueniens, vt celebrent quotidie Sacerdotes.

Videtur friuolum de hoc tractare sigillatim, maximè cùm laicis dictum sit conuenire, sæpius frequentent: & quo sæpiùs, eo meliùs, vel quotidie: ergo & Sacerdotibus: quia magis illi ad hoc obligantur. Nihilominus quia Sacerdotibus hic liber conscribitur, æquum est adijciamus rationes, quæ id suadent, fortè persuadebunt. sunt autem multæ, & sanè graues.

§. I.

PRimò doctrina, quam hîc rigidè Theologi, legenda est: vt supra veritatem fortiùs cōsistat moralis exhortatio, & quæ consilij adinstar adducemus, vt quilibet suo munere meliùs fungatur.

Sacerdotes non obligantur quotidie ad Missam.

Quod Theologi hîc docent, in tribus consistit. Primò: Sacerdotes nullo præcepto obligantur, vt quotidie celebrent, nisi quis ad id se beneficio aliquo obstrinxisset. Quod tamen adhuc moderatè intelligendum. Hæc conclusio certa habetur: quia nullum est tale præceptum Ecclesiast-

siasticum neque diuinum. Etenim nimis hoc strictum foret: quia multa, quæ id impediunt, offeruntur. Secundò, Sacerdotes tenentur ratione officij saltem aliquoties in anno. ita S. Thomas. Et quamuis sint, qui putent non tam arctè obligari, vt ad mortale, etiamsi nunquam celebraret, modò in Paschate accederet communionem; plures tamen sunt, ijq; grauissimi, qui contrarium tuentur, scilicet, Sacerdotem, si aliquoties in anno celebrârit, peccare mortaliter, nec absoluendum, nisi meliora promittat. Sic auctores grauissimi, tum antiqui, tum recentiores. quos vide citatos apud Franciscum Suarez, & Henricum Enriquez. Quapropter hoc velut certiùs & securiùs tenendum: & fundatur cùm in munere Sacerdotali: ad quam dignitatem nemo effertur, vt otiosam & velut superfluam gerat: tum in præcepto Saluatoris: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quòd verò ijs verbis intenderit obligare, quod tunc instituit Sacerdotes, ad celebrandum; declaratur in Tridentino: *Christus Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, Corpus suum, vt sumerent, tradidit, & eisdem eorumq; in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: vti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Et Canone 2. anathema his qui negant, infligitur.

Aliquoties in anno tenentur.

3.p.q. 82. a-10.

Suar.tom. 3. disp. 80. sect. 1. Enriq.l 9. de Miss. c. 23.

Tenentur præcepto diuino.

Côc. Trid. sess.22.c.1.

Vbi aduertendum, non id tunc à Concilio præscriptum esse velut nouum præceptum, sed declaratam solùm obligationem, quâ Sacerdotes ratione veteris præcepti tenentur: & hoc ijs verbis includi, vnde & infrà: *Curet Episcopus, vt ij* (Sa-

Seß.23. c. 14. de reform.

cerdotes) *saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Sed hoc præceptum, quia affirmatiuum, non semper obligat: vnde & diximus, non esse quotidiè celebrandum. Sed obligat ad aliquot vices, de quibus iudicandum prudenter ex naturâ & conditione eius, quod mandatur. vt statim dicemus. Præter has obligationes, quæ satis arctæ, certum est à Sacerdote, si anno integro, aut paulò minùs à Missa abstinuerit, graue scandalum dari his, qui norunt Sacerdotem, nec tamen celebrare. Vix enim potest intellectus refrenari, quin iudicet hoc procedere vel ex grandi delicto, quo inficitur conscientia, vel ex prauo affectu, cui constituit adhærere. Quapropter æquum est, vt & in illo sibi metuant Sacerdotes, & se faciliùs tanti officij religione soluant.

Scandalizant, qui non celebrant.

Quoties in anno celebrandum

In decidendo, quoties Sacerdoti sit celebrandum, variæ sunt opiniones. S. Thomas ait: in Festis solemnissimis & solemnioribus totius anni, quibus fideles ad communionem solent accedere. Alij, ter aut quater celebrando, soluere eos dicunt obligationem.

Porrò, etsi verè sic impleatur præceptum: tamen, vt scandalum euitetur, quilibet se consulat, quid facto opus: dictabit enim procul dubio conscientia (si candidè vestigent veritatem) num necesse sit frequentiùs celebrare.

Inc Seculares. de consec. dist. 2.

Quid autem mirum id exigi à Sacerdotibus, cùm in Concilio Agathensi legamus, *Seculares, qui in Natali Domini, Pascha, Pentecoste, non communica-*

nicauerint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur.

At omittamus ea, quorum pudet meminisse. nec enim Sacerdotis nomen merentur, qui nesciunt æstimare dignitatem, ad quam à Deo sublimati sunt, quandoquidem Maurorum instar, qui vi ad Missam coguntur, compelli debeant solis inferni pœnis, vt semel iterumq; celebrent: cùm tamen res sit eiusmodi, quæ summo ipsis in pretio habenda esset. Illos ego remitto ad diem rationis, quam adeò strictam fore polliceor, vt tremore maximo concutiendi sint. His igitur omissis vltrà videamus.

§. II.

SVpposita iam obligatione, quæ in duobus cōsistit: nempe, teneri Sacerdotes ad nonnunquam celebrandum, nec teneri ad dies singulos; tertium est, esse fas, sanctum, laudabile, fructuosum, quotidie celebrare, communiter loquendo: nisi sint rationes iustæ, quæ impediant. tunc enim cessent cōsulendum est: & ipsum suadent Theologi. De quo Suarez doctè, iuxtà ac piè. Laudabile & fructuosum, sæpiùs celebrare. *Suar. tom. 3. disp. 80. sect. 2.*

Hoc suscepi, vt persuadeam Sacerdotibus: & opinor magnum ijs à me præstitum fore obsequium, si propter hæc quæ hîc dicuntur, diligentiores euadant in suo munere, ac diuina frequentiùs mysteria operentur: adeò vt nullus adsit dies quo non celebrent, nisi vrgeat impedimentum. Ad hoc nollem eos moueri stimulo imperfecto, atque humili, velut timore pœnæ, & rationis exigendæ, quæ haud dubiè strictissima inibitur de

talento tam grandi, quale potestas Sacerdotalis, deque vberrimis commodis, quæ inde tum ipsis, tum proximo, totique Ecclesiæ prouenire potuissent. Neque etiam proprijs incommodis, aut cupiditate bonorum spiritualium, quæ consequi solent: quamuis id meliùs. Sed incitamine perfectissimo, quod est, vt placeant Saluatori, scientes magno illum affici honore, ac renouari passionis memoriam, quandocunque hoc sacrificium offertur. vnde & præmium reddet diuina Maiestas, quòd rem acceptissimam immolarint. quod affatim Sancti testantur.

Quàm grata sit Deo Missa quotidiana. Gloriosus Martyr Hippolytus, declarans quomodo electos Christus inuitaturus sit ad gloriã, ita de illo Iudice: dicet, inquit, *Venite* (etiam vos) *Sacerdotes, qui purè mihi sacrificium obtulistis, ac pretiosum Corpus & Sanguinem meum quotidie immolastis.* *Orat. de consummat. mundi.*

Narrat Gregorius de Cassio Episcopo Narniẽsi: *Illi mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Quadam verò nocte eius Presbytero per visum Dominus adstitit, dicens: Vade, dic Episcopo: Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua. Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam.* Vnde dubium non est, quin Missam dicere, sit res Deo acceptissima. quo stimulo adduci debemus ad quotidie celebrandum sic enim supplebimus multos defectus, quibus ei ex fragilitate displicemus. *Hom. 37. in Euang.*

§. III.

§. III.

VT porrò clariùs & apertiùs de hoc agamus, diuersitas constituenda est inter eos, qui abstinent interdum à Missâ, & inter causas, cur eam omittant. Neglectis verò istis qui diutiùs abstinent, eò quòd è turpitudine vitiorum nolint emergere conscientiam purgando: quorum pudet meminisse, quos vocari Sacerdotes pudet: quibus redarguendis nulli satis aculei verborum, nulla potest condigna inuectio reperiri; cùm ingratissimi sint, & brutali quâdam ignoratione ducantur. Profectò immundis animantibus similes sunt, quæ vnicè delectantur in cœno, & contemnunt pascua florida, delitijs & iucunditate plena. Aut si magis extolendi sunt, filio prodigo æqui videntur: qui honore, affluentiâque paternæ domus contempta, vt vagari posset, factus est nebulo & scortator, eò tandem redactus, vt inter subulcos illustris, comederet quæ erāt porcorum, idque tàm parcè & frugaliter, vt satiari non posset. Eiusmodi est eorum conditio, qui in scelerum volutantur putredine. O infelices, quos Deus ad culmen honorum euexit, dum Sacerdotes instituens, conuiuas sibi continuos adsumpsit, & amicorum titulo decorauit! His ille pro ingenitâ benignitate lucem fauoremque addat, vt aliquando prodigi instar sui meminerint, & discriminis, in quo versantur, admoniti, dicant: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo!*

Sacerdotes, qui abstinent ob sua peccata, reprehenduntur.

Luc. 15.

CAPVT IX.

A Missa abstinere, ob occupationes temporaneas, est reprehensione dignum, quòd Deus molestè ferat, & vt tale castiget.

NEglectis ergo ijs Sacerdotibus, qui hoc nomine indigni sunt, loquamur de alteris, qui, Dei gratiâ, non versantur in mortali, & curam habent salutis: sed nonnullos interdum aut plures dies à Missa abstinent, ob causas minùs malas, magis, vt videtur, iustas. Hi duplicem ordinẽ constituunt: vni, qui ob curas temporales opum, aut eiusmodi: quas esse spinas dixit Christus, quæ semen optimum suffocant, ne fructum vberem largiatur. Est hic obex generalis, quo dæmon & mundus innumeras animas arcent, & desideria salutis comprimunt: scilicet ne desint rebus terrenis, & mundi vanitatem sequantur, quam sibi omnino amplectendam ducunt, ab oratione, sacrisque exercitijs deflectunt, quibus certiùs salutem suam asseruissent. Ne autem se obligent ad confitenda peccata, & dispositionem necessariã ad celebrandum; abstinere malunt seipsos vberrimo fructu priuantes.

Luc. 8.

Occupatio in temporalibus bona multa tollit.

§. I.

Luc. 14.

HOs obtestor, meminerint eius parabolæ, quam ad rem instituit Christus de patrefamilias, qui ad solemne epulum multos inuitauit. hi sese excusarunt, quòd curis tum quoad opes, tum

tum quoad statum distinerentur. Vnus boues emptos erat exerciturus. Alter prætoriã domum seu villam comparauerat, quam necesse erat inspicere. Tertius, ductâ vxore, nuptias apparabat. Cæteri aliqua harum excusatione vtebantur. Aduertendum porrò omnes eas licitas fuisse sine mistione peccati. Nihilominùs adeò indignatus est paterfamilias, vt iurârit à nemine istorum cænam esse gustandam. Ratio est, quia vt licita sint tempore, & loco, debitisque circumstantijs; non fiunt tamen sine peccato, cùm melioribus proponuntur: sic enim negligitur spiritale bonum, non audiuntur Dei inspirationes, qui inuitat ad longè perfectiora, & maximi valoris.

Insuper, multa sunt licita & honesta secularibus siue laicis, quæ Sacerdotibus non licent, quia in statu Ecclesiastico & perfectiore constituti. Vnde in Iure prohibentur sæpiùs curis terrenis incumbere, negotiari ad opes augendas, eò quòd deuoti sint cultui diuino, spiritalibus duntaxat commercijs mancipati. vt suprà. Proinde mandatur etiam, contenti sint honestâ quadam mediocritate, victu, vestitu moderatis. de quibus & suprà. Hinc magè vitiosum est in istis, quàm secularibus, propter hasce curas & occupationes rariùs accedere ad SS. Sacramentum, rariùs celebrare. Quibus idcircò iure dicitur: *Amen dico vobis, nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cænam meam.* Quâ sententiâ minatur Deus grande supplicium, à quo nobis sanè caueamus. Vel enim intelligitur de cænâ eiusdem Sacramenti, & tunc fit iusto Dei iudicio, vt qui id æstimare nescierint, & ob res vilissi-

Multa licent laicis, non Sacerdotibus.

Tract. 2. cap. 2.

Tract. 3. cap. 13.

Pœna eorum qui Missâ abstinent propter occupationes.

lissimas se diutiùs priuant bonis cælestibus, (cùm tamen peculiariter sint inuitati (in cordis duritiâ atque appetitu emortuo consistant, adeò vt in dies crescat tædium, nec ipsi optent recipere, sed curis temporalibus miserè pascantur. vbi porrò accedunt magis, vt aiunt, pro formâ, nullam in mente percipiant dulcedinem, omni vtilitate frustrentur. quin in fine vitæ, aut non recipiant: sin magis, nullo emolumento.

Gen. 2. Contingit his, quod omnium parenti Adæ, qui cùm posset ex arbore vitæ comedere inuitatus à Deo, noluit: cùm vellet, non potuit, vt ob priorem culpam plecteretur. Et quod virginibus fatuis, quæ sponsum exspectârunt dormiendo: pòst cùm serò venissent, foris permanere iussæ sunt. Matth. 25.

Quòd si intelligatur de cœnâ regni cœlestis (vt alij volunt) magis terribiles sunt illæ minæ, & grauius supplicium impendet. Etenim iure punientur, qui humanissimè ad diuinam mensam inuitati, eandem crassè negligunt, & ob friuola negotia, ac res perituras sese excusant. Nempè cùm ad cæleste epulum intrare putabunt, excludentur: *Qui spernis, nonne & ipse spernêris? Cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris.* Isai. 33.

§. II.

ET verò non mirentur, nec nimius esse, quem dicimus, rigor videatur. Non illum ego somniaui. notat idem S. Cyprianus, qui ait: Sicut est argumentum consecuturæ salutis, frequentare SS. Sacramentum, & cum ardenti affectu recipere: quia principium est in hac vitâ fruitionis diuinæ,

quà

quâ postea in æternum potientur; ita euidens est signum damnationis, nullo duci affectu, nullo desiderio ipsum percipiendi. qui enim hoc agit, iam in hac vitâ per propriam voluntatem se à Deo incipit disparare. vnde nec Deus iniuriam faciet, si eiusmodi hominẽ à se æternùm disiungat.

Nam si rectè inspiciamus, nihil est aliud gloria & regnum cæleste, quàm esse cum Deo, & frui conuiuio sempiterno, de quo Christus: *Ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam, in regno meo.* Et alibi: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Cuius conuiuij figura est ipsum SS. Sacramenti: vnde hoc frequentare, est velut pignus futuri: vt canit Ecclesia, *Futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et in oratione vltimâ Missæ de SS. Sacramento: *Fac nos, quæsumus, Domine, diuinitatis tuæ sempiternâ fruitione repleri, quam pretiosi Corporis & Sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.*

Gloria cælestis est esse cum Deo: Infernus sine illo. *Luc. 22.* *Luc. 14.*

Si contrà videamus, quid sit infernus, & condemnatio æterna, nihil sanè, quàm à Deo disiunctio. quod significabit Iudex in suâ sententiâ: *Ite à me maledicti in ignem æternum.* Etenim qui tam benignè inuitatus ex merâ negligentiâ, aut ob friuolum quoddam negotium noluit accumbere, non habebit quod queratur, si æternùm isti pœnæ fuerit addictus.

Nec mirentur, quòd Deum & conuiuium eius contemni dicamus. Ita est, & hoc clamat ille per Prophetam: *O Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus te?* & respondet: *in eo, quòd dicitis: Mensa Domini despecta est.* Quid refert, nostri Sacerdotes hoc non dicant ore? Nec enim

Qui facilè abstinẽt, Christum cum suo conuiuio contemnunt. *Malach. 1.*

est inter Christianos tam audax, tam à ment[e] alienus, qui hoc ausit: *Sed multi*, ait Apostolus, *co[n]fitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Proinde l[i]cet non dicant verbis: *Mensa Domini despecta est*, clamant hoc ipsum operibus: quandoquidem c[um] res vanas, quales sunt huius mundi, nihil eam ęst[i]ment, & priuent sese bonis maximis, quæ in e[a]dem communicantur.

ad Tit. 1.

Clarius id exemplo innotescat. Si rex conu[i]uium ditissimum se dignum instrueret, omnesq[ue] aulicos inuitaret benignè ad cibos lautissimos, ex[]quisitos: promitteretq; his, qui accederent, à pra[n]dio se daturum maxima beneficia. Omnibus ver[ò] paratis ipse in capite accumberet, cunctos ita fa[]ciant hortatus. Illi verò huc illuc circa mensa[m] discurrerent, quòd fortè aliquid sit oblatum par[ui] momenti: dicerentuè manus esse lauandas, siu[e] ob eiusmodi rem vilem nollent accedere, hora[m] prandij nugis istis terentes, quòd malint cibis cra[s]sioribus vesci; quis non dicat ab his regẽ & regal[e] epulum despectum esse? illi verò iustam esse cau[]sam, qua se vindicet, aliàs eos non admissurus?

Videamus igitur, num comparatio institui po[s]sit à rebus minimis ad immensas. &, Deúsne mer[i]tò irascatur & conqueratur. Et verò questus est pe[r] Isaiam statim principio prophetiæ, velut qui ma[]ximè indignaretur: vt ex verbis patet: *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Quid hoc, Domine, quid ex[]probrabis homini, cùm cælum & terra querel[æ] testes eliguntur? quasi dicat: Non audiunt me ho[]mines, quibus dedi intellectum: audiant cælum & terra, licet ignorent, an causa mihi sit conqueren[]di

Isai. 1.

Queritur Deus de hominum ingratitudine.

di. Quid ais, ô Deus? *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Quàm malè tibi grates referimus, Domine, qui creasti nos, & voluisti, vt creaturæ tuæ tibi seruiremus. Insuper nos ad eam extulisti dignitatem, vt mēsæ tuæ conuiuas adhibueris, & te reciperemus in cibum, æquales, imò Angelis superiores efficiendo. Cùm verò tot tantæq; sint rationes, ob quas grati acceptiq; esse deberemus, tantus est torpor noster atq; negligentia, vt compares nos boui & asino, animantibus rudibus omnino & ignauis, eorumque nos comparatione condemnes. Illa etenim, vt sint rudia omni humanitate, dominum tamen cognoscunt, parentque illi & famulantur ob modicum fœni: norunt præsepe ad quod sustentantur, tantaque fame & desiderio illuc contendūt, vt ruptis sæpè vinculis teneri non possint, quin ad ordinaria pascua decurrant. Nos autem, quibus proponitur mensa, cibusque cælestis, qui nos ad honores extollit, æternæque vitæ confert alimentum, tam sumus ingrati, tam immemores beneficiorum, vt infami nos ingratitudine polluamus.

Bruta gratiora Deo quàm homines.

§. III.

MOdo non æstimatur, quod dixit Psalmista: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Id iam parum est, cùm per Isaiam clamet Deus, nos illis ipsis iumētis insipientiores esse: quandoquidem nos excellant in quærendo loco, vbi pascantur,

Psal. 48.

tur. O res dignissima omni confusione! Deus panem de cælo offert, homo surdus contemnit: Panem Angelorum negligit suscipere, vt aëre terrenorum se queat saturare: ille cùm solidus, hic instar fumi. Pascua cælestia miseri perdunt, & ab eiusdem Dei conuersatione discedunt, ne in temporalibus vel modicum patiantur detrimenti, aut ne se præparent paruo labore, aut nescio potiùs quo instinctu. quare fugiunt? cur sese à Deo seiungunt? maximis spoliant opibus, ornamentis: vt quid amoris diuini inuenta vilipendunt, quæ commentus est ipse Deus, vt ad se traheret homines, eos nutriret, in seipsum transferret?

Sacerdotes magis culpabiles, quàm laici.

Muti sunt, rationem non habent. ast aliquam seculares adferant: nullam Sacerdotes, quæ admittetur. Poterit enim dicere secularis: Vxorem duxi, familiæ mihi cura incumbit: nequeo toties me expedire à negotijs, & præparare communioni. fors satisfaciet. Alter dicet: Operarius sum, nequeo victui lucrãdo deesse. Mercator emptione venditione impedietur. At Sacerdoti nihil horũ est: ipse verò iuratus est cultui diuino, altari ministerio dedicatus. Ad hoc munus se obtulit cùm Ordinem sacrum suscepit: vnde & Clericus vocatur, id est, Dei & Ecclesiæ seruitio mancipatus.

Agnoscamus, Patres, vocationem nostram, conditionem status nostri. Cumque inuitati simus ad epulum tam magnificum & solemne, in quo vberrimus fructus; non perdamus id curis hisce mundanis intenti, quæ nihil sunt si ex marito æstimentur.

CA-

CAPVT X.

acerdotes, qui sufficienter sunt dispositi, Missam non debent omittere titulo reuerentiæ, atque humilitatis.

§. I.

NVnc agamus de ijs Sacerdotibus, qui interdum abstinent à Missa, ob causas magis aparentes, titulo humilitatis & reuerentiæ. quia bi videntur magni peccatores, indigni qui toties crosancta mysteria frequentent, quòd sæpè disahantur, nec ea excellant puritate quã vellent. uibuscum, vt vincantur, parum negotij erit, paim vt ab errore deducãtur. Tantùm eos remitto d signa, seu notas suprà positas, & precor enixè, is diligenter euoluant. cogitent, quàm ardentiis monitis ad quotidianam communionem Sani hortentur. Si enim illa dicuntur secularibus, uis nõ videat ad Sacerdotes maiorem vim habiira: qui non solùm recipiunt sacram Synaxim particulare sibi cõmodum, sed etiã pro vniuers offerunt in sacrificium, velut ministri publici, uos ad hoc munus Ecclesia deputauit. Vnde omnes creaturæ meritò postularẽt, ne tam eximijs onis priuentur; conqueri possent, & criminari ostemos illos, cùm singuli suã ratione spoliẽtur iquo bono, ipsi verò infinitis. crudeles ergo in nnes, in se crudeliores censendi. Quæ luculẽtè sapienter notauit D. Bonauentura: cuius verba hîc

c. 5. 6. 7. huius Tractat.

Nota benè. Creaturæ omnes queri possunt de Sacerdotum, in celebrando, negligentia.

Tract: de præpar: ad Missam c. 8

hîc adſcripſi: *Cùm Sacerdos abſque peccato mortali, c*
in propoſito bono, non habens legitimum impedimentum
ex negligentiâ celebrare omittit, tunc quantum in ip
eſt, priuat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætiti
peccatores venia, iuſtos ſubſidio & gratia: in Purgator
exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneſ
cio, & ſeipſum medicina & remedio contra quotidian
peccata, & infirmitates: quia ſicut ait Ambroſius, ſi quo
tieſcunque effunditur Sanguis Chriſti, toties in remi
ſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper acc
pere, vt ſemper mihi peccata dimittantur: quia ſemp
pecco, debeo ſemper accipere medicinam. Item priuat ſe
mnibus talibus prouenientibus ex ſacrâ communione; q
ſunt peccatorum remiſſio, fomitis mitigatio, mentis i
luminatio, interior refectio, Chriſti & corporis eius m
ſtici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolu
armatio, fidei certitudo, ſpei eleuatio, caritatis exercit
tio, deuotionis augmentatio, & Angelorum conuiuati
Item non complet ſibi iniunctum magnæ dignitatis o
ſequium, nec officium exercet debitæ ſeruitutis Dei, & t
men ſcriptum eſt: Maledictus, qui facit opus Dei negliger
ter. Item contemnit Chriſti præceptum de obſeruant
huius Sacramenti: ideò Chriſtus comminatur: Niſi ma
ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſang
nem, non habebitis vitam in vobis. Item abijcit viaticu
ſuæ peregrinationis, exponens ſe periculo mortis: qu
niſi recipiat alimentum Corporis Chriſti, & vitæ veg
tationem, efficitur ſicut aridum membrum, ad quod n
tranſmittitur corporalis cibi nutrimentum. Vltim
quantum in ſe eſt, euacuat diuinum cultum, & latria
creatori debitam ingratus de beneficijs. Vnde dicitur
Num. 9. Numeris: *Si quis mundus eſt (ſcilicet à peccato mortal*

in itinere non fuerit (scilicet alter impeditus) & non fe-rit Phase; anima illa de populo suo exterminabitur, quia crificium non obtulit Domino in tempore suo. Ergo quan-m potes, toto conatu, per exercitium boni operis, lacryma-m contritionem, & deuotionis flammam, expelle à te mem teporem & negligentiam, ne inueniaris respuere ntorum charismatum dona.

Hactenus verba Bonauenturæ. quæ vtinam al-ùs expenderent Sacerdotes, & animos conci-erent generosiores, nixi Dei clementiâ & be-ignitate, & voto quo ipse ducitur, vt hæc sacra equentemus mysteria, ne nos ipsi, cæterasque reaturas tantis opibus spoliemus! Vtinam per-naderent sibi hanc non esse humilitatem nec re-erentiam, propriè & formaliter loquendo: po-ùs pusillanimitatem quandam vitiosam, aut tor-orem negligentiamq; in disponendo, aut dæmo-is fieri astutiâ, qui multos eò perducere sub co-ore virtutis conatur. hoc enim certum est, omni-us eum viribus contendere, vt vel vnam Missam npediat. Proinde iniquum est, falsâ hac persua-one ludamur, fore scilicet, vt cum temporis di-ione accrescat reuerentia, humilitas, aut me-or dispositio. id quippe non ita est: sed qui ma-is differunt, minùs apti redduntur. Dilatio celebrandi plus ex negligentiâ, quàm humilitate.

Quia verò circa hæc varia Sanctorum attuli-nus, tantùm hîc referam, quod Ambrosius ad Deum, & à S. Thoma refertur: *Graue est*, inquit, *quòd d mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus on venimus: sed grauius est, si dum peccata metuimus, etiam crificium non reddamus.* Ex quibus eliciant Sacer-dotes, quàm non debeant abstinere à Missâ, nec tam

c. 4. 5. 6. huius tractat.

Ambr. in orat. prap. ad Miss. S. Tho. 3. p. q. 82 a. 10. in argumento, sed contrà.

tam facilè, vt quidam. Sed hęc sententia ad limam Theologicam aptanda est. Quippe constat satis, celebrare in mortali, esse sacrilegium grauissimum, & hoc casu meliùs est, aut minùs malum, abstinere, ne tam graue scelus committatur. Vnde verba illa explicanda, vt intelligantur de venialibus, ob quæ non ea, qua par est, accedimus puritate. Aut si de mortalibus, intellige, si contriti & confessi illa simus: quâ ratione meliùs est celebrare cum humilitate & fiduciâ diuinæ misericordiæ, quàm timore istorum abstinere. quæ, vt ait Hieronymus, quamuis grauia, si displiceant, non damnant, neque impediunt, quò minùs percepturi fructum accedamus.

Ita explicat verba Suárez, tom. 3. disp. 80. sect. 1.

§. II.

DE hac eadem fiduciâ tractat doctè Ioannes Gerson, auctor grauis & spiritualis: & quia doctrina hæc pia & vtilis, ad confortandos pusillanimes, & docendum ignorantes, è multis pauca adnectemus. *Interrogo*, inquit, *me, si dignus sim accedere ad Dominum, si sufficienter præparatus. hæsito primum, tremisco, reformido: tandem sic respondeo mihi ipsi: Interim, quantum in me est, nihil, Deo propitio mihi conscius sum, super peccato mortali, aut peccandi proposito: peccata autem venialia, etiam non confessa nequaquam obsistunt. hoc vnum scio, quòd apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio quòd pietatis eius fontem nulla potest nostra iniquitas euincere, vel siccare. quòd si decreuerit saluare, nemo est qui condemnet. Ipse præcipit, vt sperem in eo, & me totum in suas manus projiciam. obedio vt possim, non est crudelis*

Gers. in tract. de præpar. ad Miss. consid. 9.
Doctrina insignis.

crudelis, aut mendax. Venientem ad eum non eijciet foras, prouolutum suis pedibus non indignanter abijciet, sed præueniet me in benedictionibus dulcedinis, dum mihi displiceo. O anima mea, fornicata es cum amatoribus plurimis; pius sponsus iubet per os propheticum, vt reuertaris; modò etiam te suscipiet, si millies abscesseris, contempseris, irriseris, te venientem non repudiabit, pœnitentem non aspernabitur. Si quis ex hominibus talia diceret, crederes, confideres, & accederes: Deus ipse hoc dicit, Deus hoc pollicetur, imò Deus hoc imperat, & tu diffidens non accedes? Igitur in suâ veritate, non in tuá vanitate confidens, voluntariè illi sacrifica. Immunda es, accede mundanda ad fontem puritatis incontaminabilem: esuris, accede pascenda ad panem viuificum & indefectibilem: ægrotas, erit hoc tuæ infirmitatis efficacissimum argumentum: fluxum sanguinis pateris, nec sanari potes à medicis, hoc est à tuis exercitijs; tange plena si le cum muliere hæmorrhoissa fimbriam vestimenti Iesu, sacrosanctam videlicet hostiam, & statim sanaberis: si percussam te sentis serpentibus peruersarum tentationum, quid restat, nisi vt serpentem Christum eleuatum inspicias? si dicis cum Propheta: Quoniam vnicus & pauper ego sum, particeps esto sacrosancti huius mysterij, habebis Christum comitem fidum, & hospitem ditissimum: cæcam fortassis, debilem & claudam conquereris; memineris quoniam tales ad cænam magni Regis non solùm inuitantur, sed etiam trahuntur, & intrare compelluntur: lubrica sum, inquis, & instabilis, ecce hic panis cor hominis confirmat: tristis es & anxia? ecce vinum quod lætificat cor hominis: inquietant te, & turbant plurima? adhære ei, qui tumentes fluctus sedat, qui est pax nostra, ipse enim ait: In mundo quidem pressuram, in me autem pacem habebitis: peregrinaris à

Domino? in fortitudine cibi huius ambulabis vsque ad montem Dei. Quid ergo tandem formidas? quid expauescis, ô anima mea? & quare conturbas me? spera in Deo, & confitebor illi, quoniam ipse est salutare tuum. Suspirabunda fortè quæris, vbi est Deus tuus? in hoc certè conuiuio, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratiæ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

§. III.

Resolutio totius materiæ.

DEnique resolutio huius articuli, quam licet ex Sanctorum, & Theologorum doctrinâ colligere, ista est: Sacerdoti, qui excusâ conscientiâ sibi non est conscius mortalis delicti: aut si fors (quod auertat Deus) fragilitate humanâ, in aliquod, aut aliquot eiusmodi lapsus fuerit, de his contritus & confessus, etsi multos in se defectus, culpasq; veniales animaduertat, nec, quo vellet, fertur deuotionis affectu: (si tamen adhibuerit diligentiam, quæ in se erat, vt accederet considerate & reuerēter) hac dispositione habitâ melius est celebrare, quàm abstinere, licet titulo humilitatis, & maioris reuerentiæ.

Sacerdos non tam facilè omittat Missam, quàm laicus communionē. *Suarez tom. 3. disp. 69. sect. 4. ad finem.*

Quamuis verò dicant Sancti, posse interdum communionem differri ad conciliandam maiorē reuerentiam; tamen Sacerdoti non facilè abstinēdum à Missâ. quin maiori cautione, quàm laicus differt communionem: vtrumque raro fiat: vt quidam Theologus consultè: *Non est negandū, posse interdum huiusmodi frequentiam differri, ad conciliandam maiorem reuerentiam: id tamen potiùs debet esse rarum & extra ordinarium, quàm frequens: ne fortè contingat*

tingat

tingat illud Psalmi 101. *Percussus sum, vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

Vt autem id clariùs intelligatur, exemplo fiet. Ponamus duos Sacerdotes hac Dominicâ celebrare, pari deuotione, & dispositione; similiter alterâ Dominicâ, pari diligentiâ se præparare, sibi item cauere à peccatis pari studio: vnus verò humilitatis & reuerentiæ causâ, differat in sequentem Dominicam, alter celebret totâ septimanâ. Haud dubiè hic excellentiùs erit dispositus sequenti Dominicâ, quàm iste qui non celebrârit. præterea superat in maximis diuitijs, quas sibi, totique Ecclesiæ cumulauit. Quod de octo diebus dicitur, eâdem ratione de quatuor, duobus, vno dici potest: nempe cæteris paribus, qui celebrat, longè non celebrantem excellit.

Declaratur id magis.

Iuxta hanc resolutionem, quæ vera est & secura, æquum videtur, vt vigilemus, ne nos dæmon sub persona religionis, reuerẽtiæ, & humilitatis, à Missa deterreat. Vera religio est, offerre Deo sacrificium Filij incruentum. Vera reuerentia est, sacra mysteria venerari, quoad possumus, deuotè celebrando. Vera humilitas est, agnoscere tantam in nobis esse infirmitatem, vt vel pedem figere nequeamus, sine præsidio Sacramentorum. Et licet solùm dæmonis auerteremus lætitiam, qui enixè curat ne celebremus, conandum eò nobis esset vehementiùs, cùm certi simus, esse eius cogitationes, vt damna in nos maxima procuret.

Quæ vera religio, reuerentia, & humilitas.

§. IV.

Obiectio contra dicta.

FOrte cuipiam videbitur, hanc reſolutionem & doctrinam, qua conſulitur frequentatio Sacramenti, etiam his, qui multis venialibus inquinantur, non rectè conuenire cum ijs, quæ ſuprà Tractatu ſecundo, & quarto, diximus, de puritate, & ſanctimonia, qua ad celebrandum opus, & de præparatione neceſſariò adhibenda. quandoquidem ibi ad dignè celebrandum tot conditiones, tantamque diligentiam poſtulemus. Hîc autem videmur contenti eſſe, ſi Sacerdos conſcientiam immunem à mortali habeat, & mediocrem ponat diligentiam, vt humiliter, ac reuerenter accedat.

Solutio.

Huic obiectioni Reſpondetur: ſi hæc duo de ſuperficie tantùm inſpicias, cõtraria videntur. ſin altiùs, non tantùm non diſſentire, ſed & conuenire inter ſe deprehendes. Quemadmodum in cantu vox † elata & depreſſa, non diſſonãt, ſed ſuauiorem in muſica harmoniam efficiunt: quantoq; illa eleuatior, hæc depreſſior, tantò conſonantia eſt melior; ita hîc, quantò magis commendatur ſanctitas, & perfectio, qua opus ad dignè celebrãdũ, & ex alterâ parte ſe ſubmittit Maieſtas Diuina, vt hominibus myſteria altiſſima communicet, quamuis ij imperfecti ſint, & peccatores; tantò meliùs hiſce duobus inter ſe conuenit, harmoniamque efficiunt dignam eodem Deo. Quod ita eſſe in diuinis clariùs patet: Si per ſe contempleris opera diuinæ iuſtitiæ, tam ſunt ſtricta, tantumque horrorem incutiunt, vt eripere videantur omnem

Comparatio.

† al. acuta & grauis.

ſpem

ſpem ſalutis. Et ſanè fatendum eſt tam eſſe ſeuera, vt nullâ id oratione queat explicari. Ex alterâ verò parte diuinæ miſericordiæ effectus tam ſunt lati, tam extenti, vt videantur ad audaciam impellere, omnemq; auferre cauſam timoris.

At hæc duo extrema, quæ ad faciem tantoperè contrariantur, ſatis inter ſe conſentiunt, eodemque ex principio & origine ducuntur. in Deo enim iuſtitia, & miſericordia, vnum ſunt, vna eademq; ſimpliciſſima perfectio.

Simile huic, quod dicimus. Ex vnâ parte, vt quis Sacerdos ſit, & dignè celebret, tanta requiritur ſanctimonia & puritas, vt nõ ſufficiat Angelorũ: ex alterâ, inuitãtur tam Sacerdotes, quàm cæteri, ad frequentationem SS. Sacramenti. His autem nulla pugna, ſed inter ſe maximè conuenit: vnũ altero temperatur, & vtrumque eodem ex principio dimanat. Nam eadem ex Dei miſericordia, & infinitâ erga nos caritate proceſſit, vt ad munus Sacerdotale nos extulerit, & ad diuinorum adminiſtrationem Sacramentorum ſublimârit: quæ tam ampla ſunt & eximia, vt ad dignè pertractãda non ſufficiat puritas Angelorum. Ex illâ ipsâ Dei bonitate profluxit, vt fragilitatem humanam miſeratus, voluerit ſe nobis conferre, inuitare nos amanter, nunquam à diuinis excludere, dummodò adſit mediocris quædam diſpoſitio, quam in hoc Tractatu diximus ſufficere.

Enimuerò, vt magis in particulari, & terminis magè ſingularibus, obiectioni ſatis fiat, & hæc conuenientia liquidiùs declaretur, reuocandum eſt in memoriam, quod ſuprà aduertimus. Nimirum

Reſpondetur; & declaratur magis in particulari. Cap. 5. § 7. huius Tract.

rum diſpoſitio recipiendi Sacramentum, ſi conſideretur cum proportione ad dignitatem eius qui recipitur; talis eſt, vt nulla diligentia, cùm humana, tum Angelica, ad eam parandam ſufficere poſſit. Si verò cum proportione ad noſtram paupertatem, atque fragilitatem; ea tantum exigitur, quam peccatores adquirere poſſumus. ſufficit, quæ à nobis poſita eſt. illa enim habita, melius ſemper eſt accedere, quàm abſtinere.

Porrò ſi excutiant hoc Sacerdotes diligentiùs, inuenient ſe, quotieſcunq; celebrant, hanc ipſam doctrinã ad praxim deducere. quamuis enim ſint ſanctiſſimi, vbi ad ſacroſancta myſteria accedũt, de ſe confitentur: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Et ad hoc vel ſanctiſſimus tenetur non pro forma, vt aiunt, ſed verè ita ſentiendo. Quod cùm ita ſit, non tamen abſtinet à ſumptione Sacramenti: quin cõtinuò in ſe recipit. Adeò, vt ex vnã parte agnoſcat nullã ſanctitatem ſufficere, quæ dignum faciat hominem tanto Sacramento: ex alterâ verò, licet peccator ſit, qui hæc efferat, ſe tamen determinet ad ſuſcipiendum, confidens Saluatoris eiuſdem miſericordię & bonitati, atque intelligens ſic ipſi placere. In vtroque autem rectè facit, & præcisè doctrinam hanc vltimam cum priore ad exercitium deducit.

Aſt valdè conſiderandum, poſito hoc ita eſſe, & dici, vt animus addatur infirmis; non idcircò Sacerdoti tam humiles ſunt cogitationes, vt contentus hac diſpoſitione, quæ minima eſt earum, quæ ſufficiunt, accedat. imò par eſt, eam perficiat, quoad in ſe erit. Vt verò intelligatur illam poſſe

perfici,

perfici, & quousque adspirare debeant vota nostra, dicitur, ad dignam sumptionem Sacramenti, opus esse tali tamque perfectâ dispositione, ad dignitatem eorum quæ sumenda, vt nullum studium, nulla sanctitas, cùm hominum tum Angelorum queat sufficere. Etenim illuc respicit doctrina suprà posita, vbi integritas, munditia, præparatio summâ, postulantur. Non vt animis deijciantur homines, sed eos concipiant, & conentur ad perfectissimam hanc dispositionem, nullis denique in hoc laboribus succumbant, memores quantumcunque profecerint, se adhuc esse debitores. Quod autem ad finem dicimus, ad idem est, scilicet, etiamsi in se, quam vellent, perfectionem non reperiant, non ideò sic mente concidendum, vt abstineant à Missa. sed celebrent fidenter eo animo, vt ista, quam desiderant, perfectione aliquando potiantur.

Tract. 2. & 4.

Eadem hîc methodo vsus est S. Chrysost. qui quadam vice cùm ostendisset, quanta opus sanctimonia, vt quis dignè accedat, subiunxit: *Hæc autem non ideò dico, vt non accedamus: sed vt non temerè & absque dispositione accedamus.* Et iterum, cùm fuisset hortatus ad frequentationem SS. Sacramenti, vt reciperent fideles quotidie, nec ad Pascha, nec festiuitatem exspectarent, subiecit: *Ista non ideò dico, vt simpliciter quomodocunque communicetis, sed vt dignos vos ipsos constituatis.*

Homil. 24. in 1. ad Corinth.

Homil. 3. sup. ad Ephes.

Similiter SS. Ambrosius & Augustinus (per eadem verba) postquam dixissent: *Iste panis quotidianus, accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit:* addiderunt: *Sic viue, vt quotidie merearis accipere.*

Eadē ratione non intendimus ſcribere, vt puſillanimes factiSacerdotes abſtineant à Miſſa, neque etiam vt cõſuetudo peſſima quorumdã figatur, qui ſolo curſu ordinario ad diuina accedũt ſine vllâ præparatione, aut conſideratione præuia, velut ad menſam comeſturi accederent. vtroſque voluimus admonitos, ita viuant, ita ſe componant, vt dignè celebrent, innumeriſque à Deo beneficijs afficiantur. Quòd verò ipſos deficiet ex diſpoſitione perfectâ, cõfidant fore ſe aliquãdo obtenturos ab illo, qui immenſa noſtri caritate eſt accenſus. Vnde ei laus per infinita ſæcula ſæculorum.

Hæc, Patres mei, ſeſe mihi obtulerunt, vt ſcriberem ad inſtructionem & exhortationem Sacerdotum. voueo, multorum inde commoda ſequantur.

Obſecro, quicunque hæc legent, omnes defectus à me commiſſos (qui non pauci) adſcribant ignorantiæ meæ & tenuitati, quæ ſe nequiuerint vltra extendere. Si verò fructum aliquem decerpant, gratentur Deo bonorum omnium auctori, & meminerint, in ſuis ſacrificijs huius miſerrimi peccatoris, qui ad ſcribendum ſe contulit. Ad maiorem Dei gloriam, quem laudent omnes creaturæ in ſæcula ſæculorum. Amen.



INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Alexan-

Cor

Qui

Casti-

Castigatio.

Castitas.

Communio quotidiana.

Comparatio.

Confessarius.

Confessio.

Con-

Deus.

Ecclesia.

Ecclesiastici.

Com-

est

Mors.

Obe-

Pater

Peccata venialia.

Pœnitentia.

est

Redi-

brans

Sum-

Sumptus.

Templum.

Tempus.

Timor.

Tutor.

Veneratio.



